


1891-92



ANNALI DEL MUSEO CIVICO

DI

STORIA NATURALE

DI GENOVA

PUBBLICATI PER CURA

DI

G. DORIA E R. GESTRO

Serie 2.ª, Vol. XI
(XXXI)

INDICE

GENOVA
TIPOGRAFIA DEL R. ISTITUTO SORDO-MUTI

ANNALI DEL MUSEO CIVICO

DI

STORIA NATURALE

DI GENOVA

SERIE 2.ª, VOL. XI

(XXXI)

ANNALI DEL MUSEO CIVICO

DI

STORIA NATURALE

DI GENOVA

PUBBLICATI PER CURA

DI

G. DORIA E R. GESTRO

Serie 2.ª, Vol. XI
(XXXI)

GENOVA
TIPOGRAFIA DEL R. ISTITUTO SORDO-MUTI
1891-92

A TOMMASO WORKMAN

VALENTE ARACNOLOGO

PER LA CUI LIBERALITÀ ILLUMINATA

VIENE ALLA LUCE QUESTO VOLUME

CON GRATO ANIMO

L'AUTORE

STUDI SUI RAGNI MALESI E PAPUANI

PER

T. THORELL

PARTE IV.

RAGNI DELL' INDO-MALESIA,
RACCOLTI DA O. BECCARI, G. DORIA, H. FORBES,
J. G. H. KINBERG ED ALTRI.

VOLUME II.

LATERIGRADAE.

Fam. **STEPHANOPOIDAE.**

Gen. *Stephanopis,* Cambr., typus familiae propriae jam etiam nobis videtur, praesertim propter structuram mandibularum, quae plane alia est atque in *Misumenoidis* (Thomisoidis), cui familiae hoc genus a plerisque scriptoribus subjungitur; mandibulae enim in *Stephanopi* non ut in *Misumenoidis* conicae sunt, sed sub-cylindratae, sulco unguiculari distincto et postice serie dentium limitato, ut in *Heteropodoidis* aliisque. Etiam ad habitum in universum multum a *Misumenoidis* differunt species generis *Stephanopis,* hac in re saltem interdum similitudinem non levem cum *Cryptotheloidis* et *Uloboroidis* praebentes.

Gen. **Regillus**, CAMBR., 1884.

Familiae *Stephanopoidarum* adscribendum videtur gen. *Regillus*, a Cel. Cambridge ([1]) ad fam. *Cryptotheloidarum* relatum; quod, quum modo *binos* unguiculos tarsales habeat hoc genus, minus rectum videtur; Cel. Simon ([2]) contra novam familiam, *Bradystichidas*, ad *Bradystichum*, Sim., et *Regillum* sive *Borboropactum*, Sim., recipiendos creavit, locum hujus familiae in vicinitate *Drassoidarum* (praesertim *Clubioninarum*) et *Misumenoidarum* (« praesertim *Stephanopis* ») judicans. Nobis quidem *Stephanopi* quam maxime affinis videtur *Regillus*, quamquam dispositione oculorum, pedibus 4.ⁱ paris pedes 2.ⁱ paris longitudine superantibus et maxillis *non* in labium inclinatis ab hoc genere differt; « laterigradus » appellari vix quidem potest, et femora ejus antica a medio ad basin curvaturam illam ostendunt, quam in araneis *non* laterigradis plerumque videmus; sed vestigia hujus curvaturae etiam in formis saltem nonnullis generis *Stephanopis*, e. gr. in *S. Cambridgei*, Thor., 1870 ([3]), evidentia sunt.

173. **R. cinerascens** (Dol.), *opacus, in fundo sub-fuscus vel testaceo-fuscus, cephalothorace ad maximam partem pube densa crassa albicanti-cinerea tecto et postice tuberculis duobus vel tribus in seriem longitudinalem ordinatis munito; oculis lateralibus anticis medios anticos magnitudine aequantibus; pedibus cinerascenti-fuscis, squamulis et pube ad maximam partem cinerascentibus vestitis paulloque nigro-annulatis -maculatisque, tibiis* 1.ⁱ *paris* 5, *tibiis* 2.ⁱ *paris* 4, *metatarsis anterioribus* 3 *paribus aculeorum subter*

([1]) On two new Genera of Spiders, *in* Proceed. of the Zool. Soc. of London, 1884, p. 203.

([2]) Descr. d'une nouv. fam. de l'Ordre des Araneae (Bradystichidae), suivie de la descr. d'une Cryptothele nouvelle et d'une note synonymique, *in* Comptes-rendus de la Soc. Ent. de Belgique, 1884, p. (1).

([3]) Araneae nonnullae Novae Hollandiae, *in* Öfvers. af K. Vet. Akad. Förhandl., XXVII, p. 378. — Bradley anno 1871 (Descr. of eight new Species of Stephanopis, *in* Transact. of the Entom. Soc. of New South Wales, II, p. 233) aliam speciem *S. Cambridgei* vocavit: eam *S. acrocephalam* appellatam vellem.

armatis; abdomine supra squamulis densis albicanti-cinereis tecto et fascia longitudinali inaequali nigricanti antice notato, quae linea albicanti geminata est. — ♀ ad. *Long. circa* 11 $^1/_2$ *millim.*

Syn.: 1859. *Thomisus cinerascens*, Dol., Tweede Bijdr., *cet.*, loc. cit., p. 58, Tab. XII, fig. 4.
1884. *Borboropactus cinerascens*, Sim., Descr. d'une nouv. fam. de l'Ordre d. Araneae (Bradystichidae), *cet.*, loc. cit., p. (4).

Femina. — *Cephalothorax* multo longior quam tibia cum patella 4.[i] paris, non parum longior quam latior, antice utrinque fortiter sinuato-angustatus, lateribus partis thoracicae sub-orbiculatae fortiter rotundatis et, inter coxas parium 1.[i] et 2.[i], ut et 2.[i] et 3.[ii] parium, paullo angulatis; margo ejus posticus in medio emarginatus est; margo anticus late truncatus abdominis dorso ipso cephalothoracis postice late truncato arcte adjacet, declivitatem posticam cephalothoracis tegens. Pars cephalica sat parva et angusta est, lateribus rectis anteriora versus sensim modice angustata; latitudo frontis leviter rotundatae clypei leviter rotundati latitudine paullo minor est et vix $^1/_3$ latitudinis partis thoracicae aequat. Humilis valde est cephalothorax, dorso ante declivitatem posticam brevem et praerupte declivem usque ad oculos medios anticos parum proclivi et paene recto, modo in medio paullo depresso, ita ut pars cephalica postice paullo altior evadat, quam est pars thoracica antice; clypeus paene directus. Facies humilis, plus duplo latior quam altior, lateribus declivibus; spatium inter marginem clypei et oculos medios anticos saltem aeque magnum est ac spatium inter eos et oculos medios posticos. Transversim leviter convexus est cephalothorax (inter oculos posticos laterales parum convexus); satis inaequalis est, impressionibus cephalicis et, utrinque, sulcis radiantibus duobus aliis sat distinctis; in medio partis thoracicae tuberculis duobus sat parvis est munitus, quorum anterius conicum et altero minus crassum est; ante id, in parte cephalica postice, vestigium tuberculi tertii video. Totus cephalothorax, declivitate postica excepta, pube appressa longa crassa opaca plus minus squamuliformi tectus et quasi villosus est. Area

oculorum totam frontis latitudinem occupat, fere triplo latior quam longior; oculi, sat magni et ad magnitudinem parum inter se discrepantes, in series duas transversas sunt ordinati, quarum antica a fronte visa paene recta est, parum sursum curvata; series postica, anticam dupla oculi diametro longitudine superans, ut antica desuper visa leviter recurva est. Oculi medii aream paullo latiorem postice quam antice, et aeque saltem longam ac latam postice occupant. Oculi bini laterales, costae forti in medio impressae impositi, spatio paullo minore (oculi diametro circa dimidio majore) inter se distant, quam quo medii antici a mediis posticis sunt remoti; oculi medii antici, eminentiae communi humili impositi, spatio oculi diametrum paullo superanti separati sunt: ab oculis lateralibus anticis vix dimidio longius quam inter se distant. Oculi medii postici, spatio oculi diametro paullo majore disjuncti, duplo longius a lateralibus posticis quam inter se remoti sunt. *Sternum* inverse ovatum fere, antice et postice sub-acuminatum, planum, ut coxae subter dense pilosum.

Mandibulae directae, sat fortes, paene duplo longiores quam latiores, patellis 1.ⁱ paris non parum breviores et earum apice paullo angustiores quoque; sub-cylindratae sunt, in latere exteriore ad longitudinem leviter rotundatae, intus apicem versus sensim paullo angustatae, in dorso versus basin fortiter convexae: nitidae, subtilissime transversim striatae, sat dense et fortiter pilosae. Sulcus unguicularis antice et postice 5-6 dentibus sat fortibus armatus est. Unguis sat longus, fortis. *Maxillae* parallelae (non in labium inclinatae), sat longae, labio non dimidio longiores, apicem late et sat fortiter rotundatum versus sensim paullo dilatatae. *Labium* multo longius quam latius, apice truncatum. *Palpi* mediocres, basi angusti; setosi sunt, pube et pilis vestiti. Partes patellaris et tibialis paene eadem magnitudine sunt, paullo longiores quam latiores; pars tarsalis, his partibus etiam basi paullo angustior, eas conjunctim longitudine aequat, desuper visa a basi ad apicem sub-obtusum sensim angustata. *Pedes* sat breves et robusti, pedes 4.ⁱ paris longiores quam 2.ⁱ paris pedes, 1.ⁱ paris reliquis longiores et multo robustiores; femoribus exceptis deplanati et ad longitudinem plus minus

carinati vel costati sunt pedes, femoribus sex posterioribus extus inaequalibus vel sub-tuberculatis, patellis, tibiis et metatarsis supra planis et, exceptis metatarsis posterioribus, supra lineis binis longitudinalibus impressis praeditis; tarsi breves sunt, metatarsis multo (in $1.^{i}$ paris pedibus plus duplo) angustiores. Femora robusta $1.^{i}$ paris in latere interiore sensim a medio ad basin angustata (et modo leviter pubescentia) sunt, a medio ad apicem sensim modo paullo angustata, et hoc modo sub-clavata; haec femora aculeis paucis brevibus sat fortibus in dimidio apicali munita sunt et praeterea subter aculeis multis brevissimis vel tuberculis parvis acuminatis conspersa. Tibiae $1.^{i}$ paris 5 paria aculeorum appressorum fortium sed non longorum subter ad vel potius in marginibus habent, metatarsi ejusdem paris 3 paria aculeorum ejusmodi; in pedibus $2.^{i}$ paris aculei debiliores sunt, ad vel in marginibus siti, 4 paria subter in tibiis, 3 paria subter in metatarsis. Femora $2.^{i}$ paris aculeis carere videntur. Pedes 4 posteriores, ut patellae omnes, aculeis carent. Pube densa appressa sat crassa (supra saltem ad partem squamuliformi) vestiti sunt pedes, et pilis longioribus crassis obtusis, ut et setulis sub-clavatis, praediti. Unguiculorum tarsorum alter dente singulo forti longo armatus est; alter dente ejusmodi et, pone eum, dentibus nonnullis parvis sat longis dense est pectinatus. *Abdomen* circa dimidio longius quam latius, pentagonum, supra modo leviter convexum, postice sat praerupte declive, antice truncatum, lateribus primum (basi) paene rectis et parallelis, dein, usque ad circa $^{3}/_{4}$ longitudinis, divaricantibus et parum rotundatis sensim modice dilatatum, denique lateribus paene rectis sensim cito angustatum et breviter acuminatum. Squamulis parvis densis opacis supra tectum est et praesertim posterius setis brevioribus crassis clavatis sparsum; praeterea aculeis brevissimis obtusis sat crebris conspersum est dorsum. Latera et venter abdominis pube densa sub-squamuliformi vestita sunt, illa posterius praesertim setis sub-acuminatis conspersa. *Vulva* ex area cornea oblonga sat magna sub-lanceolata fusca constare videtur, quae antice acuminato-rotundata est, lateribus paene parallelis, postice vero utrinque rotundato-dilatata et impressione longitudinali levi

praedita; etiam secundum medium haec area impressionem sive sulcum levem latum ostendit; utrinque ad marginem ejus, posterius, ante dilatationem, dens sub-obliquus retro et paullo deorsum directus conspicitur. *Mamillae* breves, sub-conicae, art. 2.° brevissimo; mamillae inferiores crassiores sed vix longiores quam superiores sunt.

Color. — *Cephalothorax* et *abdomen* supra albicanti-cinerea; praeterea paene totum animal cinerascenti-fuscum est, excepto quod *pedes* paullo nigro-, albo-cinereo- et ferrugineo-annulati et -maculati sunt, et quod cephalothorax antice linea media longitudinali nigricanti notatur et postice, pone tuberculum posterius, macula vel fascia brevissima minus distincta nigra praeditus est, quae quasi continuatio fasciae inaequalis nigro-ferrugineae videtur, qua abdomen supra ad longitudinem est notatum; haec abdominis fascia, postice abbreviata, linea albicanti-cinerea geminata est, excepto ad basin. Color jam descriptus ex squamulis, pube, pilis et setis, quibus vestita est aranea, ad maximam partem pendet; in fundo fusca vel testaceo-fusca videtur, cephalothorace in medio posterius cum tuberculis nigro, et macula marginali nigra utrinque postice notato, patellis subter nigris et pedibus (apice obscurioribus) etiam praeterea nigro-maculatis et, praesertim in tibiis posterioribus subter, paullo nigro-annulatis. Abdomen supra in fundo paullo nigro-maculatum videtur, fascia media longitudinali valde inaequali nigra antice, in lateribus postice nigricans vel nigro-maculatum. *Venter*, secundum medium nigricans, in lateribus fusco-cinerascens est. *Mamillae* testaceo-fuscae. *Sternum* et pedes basin versus subter clariora, sub-fusco-testacea. *Mandibulae* fuscae, pilis longioribus non ita densis cinereo-fuscis et nigris hirsutae. *Maxillae* et *labium* modo basi dense cinerascenti-pilosa, praeterea nigro-fusca. Aculei pedum 1.ⁱ paris nigro-fusci, aculei brevissimi dorsi abdominis nigricantes quoque, reliqui aculei pallidiores.

Lg. corp. 11 $^1/_2$; lg. cephaloth. 6, lat. ej. 5, lat. clypei paene 2; lg. abd. 6 $^2/_3$, lat. ej. 4 $^1/_2$ millim. Ped. I 18, II paullo plus 12, III 11 $^1/_2$, IV 13 $^1/_2$ millim. longi; pat. + tib. IV paullo plus 4 $^1/_3$ millim.

Feminam supra descriptam singularis hujus speciei Cel. Beccari ad Ajer Mancior Sumatrae cepit; aliam feminam, modo 7 $^3/_4$ millim. longam, cephalothorace et abdomine supra nigro-fuscis et paullo nigro-variatis, ad Tcibodas ins. Javae invenit. *Thomisus cinerascens*, Dol., quae eadem species videtur, in Java (Levibunger) est inventus; *Borboropactum cinerascentem* suum Cel. Simon (qui nostra exempla vidit) ex Java obtinuit quoque.

Fam. HETEROPODOIDAE.

Gen. **Urgulania** (1), n.

Cephalothorax paullo longior quam latior, inverse cordiformi-orbiculatus fere, antice sat fortiter angustatus, postice altus, dorso a declivitate postica usque ad oculos sensim sat fortiter proclivi et paene recto; clypei altitudo diametrum oculi lateralis antici superat.

Oculi non magni, in duas series transversas parallelas ordinati; series postica leviter recurva. Area oculorum mediorum longior (vel saltem non brevior) quam latior postice, latior postice quam antice. Oculi laterales utriusque seriei mediis majores; oculi medii antici longius inter se quam a lateralibus anticis, medii postici contra longius a lateralibus posticis quam inter se remoti.

Mandibulae ovato-cylindratae, convexae.

Maxillae parallelae, duplo longiores quam latiores, labio plus duplo longiores.

Labium sub-transversum, apice truncatum.

Pedes mediocres vel longi, modice robusti, aculeati et scopula instructi, ita: II, IV, I, III, longitudine se excipientes.

Abdomen oblongum; mamillae brevissimae.

Typus: *U. Borneensis*, n.

Hoc genus *Heteropodae* (Latr.), n., valde affine est et, ut videtur, *Panareto*, Sim., similis quoque, pedibus 4.i paris pedes 1.i paris longitudine superantibus ab iis facile distinguendum; in specie

(1) Nom. propr. pers. latinum.

singulâ nobis nota mandibulae basi pube densa tectae sunt, ut in formis gen. *Panareti.*

174. **U. Borneensis**, n., *in fundo ferrugineo-fusca, cephalothorace cum palpis pedibusque ut et abdomine pube densissima, in illo ferrugineo- vel flavo-cinerea, in abdomine rubro- vel flaventi-cinerea tectis, ventre lineis duabus longitudinalibus albis notato; pedibus supra ferrugineo- vel albicanti-cinereis, femoribus paullo magis rufescentibus, patellis et tibiis posticis in femina supra rubro-ferrugineis et linea longitudinali albicanti-cinerea ornatis.* — ♂ ♀ ad. *Long.* ♂ *circa* 21, ♀ *circa* 22 *millim.*

Femina. — *Cephalothorax* paullo longior quam latior, patellâ 4.ⁱ paris paullulo brevior, lateribus partis thoracicae postice fortissime, anterius sat leviter rotundatis, postice in medio breviter truncatus, utrinque ad insertionem palporum modice sinuato-angustatus, antice truncatus, latitudine clypei dimidiam partis thoracicae latitudinem paene aequanti; pars cephalica quoad libera est lateribus rectis anteriora versus sensim paullo angustior evadit. Sat altus postice est cephalothorax et transversim fortiter convexus, impressionibus cephalicis distinctis, lineis radiantibus impressis partis thoracicae vero parum evidentibus; sulcus ordinarius centralis angustus et longus est, usque in declivitatem posticam productus; haec declivitas, dimidium reliqui dorsi longitudine non aequans, a latere visa recta et valde praerupta est, dorsum ante eam usque ad oculos fortiter proclive et paene rectum, inter partes thoracicam et cephalicam modo paullulo impressum, hac parte posterius levissime, antice fortius convexa. Clypeus sat praerupte proclivis; spatium inter marginem ejus et oculos laterales anticos horum duplam diametrum fere aequat. *Oculorum* series postica plus dupla oculi lateralis diametro longior est quam series antica; desuper visa utraque series paullulo recurva est, series antica a fronte visa recta, non deorsum curvata: linea recta per centra mediorum ducta laterales in vel parum sub centro secat. Oculi laterales antici vix vel non majores sunt quam laterales postici, mediis anticis paene dimidio majores; medii antici mediis posticis non parum, paene

dimidio, majores sunt. Area oculorum mediorum paullulo longior est quam latior postice, non parum latior postice quam antice. Spatium inter oculos binos laterales, quorum posticus eminentiae sat humili extus impositus est, aeque magnum videtur ac spatium inter oculos medios anticos et posticos, oculorum lateralium diametrum vix vel non superans. Spatium inter oculos medios anticos eorum diametro non parum minus est, sed paene dimidio majus quam spatium, quo a lateralibus anticis sunt remoti. Intervallum inter oculos medios posticos eorum diametro circa dimidio est majus: a lateralibus posticis spatio duplam suam diametrum aequanti sunt sejuncti. *Sternum* paullo longius quam latius, antice late truncatum, postice breviter acuminatum, in lateribus sat leviter rotundatum.

Mandibulae, patellas 1.ⁱ paris longitudine et femora ejusdem paris latitudine aequantes, duplo longiores sunt quam latiores, versus basin fortiter convexae, nitidae, basi sat late pube crassa vestitae, praeterea pilis fortibus sat dense sparsae. Sulcus unguicularis postice dentibus 4 fortibus munitus est, antice, intus, 3 dentibus. *Maxillae* parallelae, duplo longiores quam latiores, labio circa triplo longiores, paene aequali latitudine, in medio extus tamen paullulo sinuatae, apice extus brevius et oblique truncatae paulluloque rotundatae, apice intus latissime et valde oblique truncatae, impressione levi obliqua versus medium praeditae. *Labium* paullo latius quam longius, apicem late truncatum versus sensim angustatum. *Palporum* partes patellaris, tibialis et tarsalis conjunctae cephalothorace paullullo breviores sunt. *Pedes* sat longi, modice robusti, 1.ⁱ paris cephalothorace saltem 4.plo, 2.ⁱ paris eo paene 4.plo et dimidio longiores; pedes 4.ⁱ paris circiter dimidio tarso suo pedes 1.ⁱ paris longitudine superant. Aculei pedum sat breves et graciles sunt; patellae modo postice aculeo sunt munitae, tibiae omnes aculeo supra carent. Omnes metatarsi et tarsi scopula sat angusta et, excepto in metatarsis 4.ⁱ paris, densa et completa instructi sunt. *Abdomen* (post partum) circa dimidio longius quam latius, antice sub-truncatum, lateribus anterius paene parallelis, postice rotundatum. In area *vulvae* transversa cornea et paullo convexa sulci duo breves fortes po-

stice fere paralleli, anterius paullo divaricantes et apice antico in foveam dilatati conspiciuntur, septo oblongo sat lato nitido sejuncti. *Mamillae* breves; articulus 2.[s], praesertim inferiorum, brevissimus est. — Cephalothorax, abdomen, palpi et pedes pube brevi densissima sunt tecta.

Color. — *Cephalothorax* in fundo obscure ferrugineo-fuscus, pube brevi densissima ferrugineo-cinerea totus tectus, in marginibus sat dense pallido-villosus; pars cephalica pilis brevioribus setiformibus rufescentibus praesertim antice sat dense sparsa est, pars thoracica postice, supra declivitatem posticam, pilis longioribus pallidis conspersa; pubescentia clypei magis cinerea. *Sternum* ferrugineo-fuscum, pilis longis ferrugineo-fuscis dense sparsum. *Mandibulae* nigrae, basi sat late pube flavo-testacea tectae, praeterea modo pilis longis ferrugineis sparsae, apice intus rufo-ciliatae. *Maxillae* piceae, apice rufo-ciliatae; *labium* nigro-piceum. *Palpi* obscure ferrugineo-fusci, sub-ferrugineo-pubescentes et -pilosi. *Pedes* ferrugineo-fusci, coxis et trochanteribus ferrugineo-piceis; pube densissima brevi ferrugineo-cinerea tecti sunt, hac pube supra in tibiis et metatarsis magis cinerea: tibiae tamen et patellae 4.[i] paris rubro-ferrugineae sunt, linea longitudinali albicanti-cinerea supra ornatae. Praeterea parum cinerascenti-pilosi sunt pedes, aculeis fuscis armati. Scopulae nigricanti-fulvae, in tarsis (et in marginibus metatarsorum) clariores, sub-ferrugineae vel -fulvae. *Abdomen* in fundo fuscum est, pube brevi densissima ferrugineo-rubra, in lateribus anterius magis cinerascenti, tectum; venter secundum medium fasciam longitudinalem sat latam obscuriorem habere videtur, lineis duabus tenuibus albis inclusam. *Mamillae* sub-ferrugineae quoque. — In femina *juniore* postice in dorso abdominis ferrugineo-cinerei lineam tenuem transversam sub-undulatam albam, antice anguste ferrugineo-marginatam video.

Mas, cujus exemplum singulum valde vitiatum (palpis et 1.[i] paris pedibus plane carens) vidi, clypeum angustiorem, mandibulas angustiores minusque convexas et pedes longiores quam in femina habet: pedes 2.[i] paris cephalothorace paene 6.plo longiores sunt. — *Color* ejus a feminae colore eo differt, quod

pubescentia *cephalothoracis* paullo longior et cinerascenti-flava fuisse videtur; *abdomen* supra pube pallide flaventi-ferruginea est tectum, venter obscurior, lineis duabus longitudinalibus tenuibus albis distinctissimis. *Mandibulae* basi pube testaceo-ferruginea vestitae. *Pedes* pube in femoribus ferrugineo-cinerea, praeterea albicanti-cinerea sunt tecti.

♀. — Lg. corp. 22; lg. cephaloth. 11 $^1/_2$, lat. ej. 10 $^2/_3$, lat. clyp. 5; lg. abd. 11 $^1/_2$, lat. ej. 7 $^1/_2$ millim. Ped. I 47 (tib. 12 $^3/_4$), II 51, III 43, IV 49 millim. longi; pat. + tib. IV 16 $^3/_4$ millim. Mandib. 5 millim. longae.

♂. — Lg. corp. 21; lg. cephaloth. 11, lat. ej. 10, lat. clyp. 4 $^1/_3$; lg. abd. 11 $^3/_4$, lat. ej. 6 $^1/_2$ millim. Ped. I ?, II circa 65 $^1/_2$ (sine tarso 61; tibia 18 $^1/_2$), III 49, IV 60 $^1/_2$ millim. longi; pat. + tib. IV 19 $^3/_4$ millim. Mandib. 5 millim. longae.

Tria exempla lustravi, marem (valde mutilatum) et feminam adultos aliamque feminam juniorem, a Cel. Doria et Beccari ad Sarawak in ins. Borneo capta.

Gen. **Heteropoda** (Latr.), 1804 (1).

175. **H. Boiei** (Dol.), *in fundo fusca, cephalothorace non parum longiore quam latiore, pube densa sub-olivacea tecto; serie oculorum antica fortiter deorsum curvata, serie postica paullo recurva, spatio inter marginem clypei et oculos medios anticos longitudinem areae oculorum mediorum aequanti; mandibulis et palpis dense flavo-pilosis, illis nigro-fasciatis; pedibus pube densa olivaceo-flava tectis, nigro-maculatis et in femoribus albo-punctatis; abdomine longo,*

(1) Memoriâ lapsus, in his Stud., III, p. 274, perperam dixi, Sundevallium, quum (in Consp. Arachn., p. 28) gen. *Sarotem* proponeret, *Ar. regiam*, Fabr., sive *Ar. venatoriam*, Linn., non ut « typum », sed ut exemplum gen. *Sarotis* sui dedisse. Verum est, hunc scriptorem voce *typi* loco illo paucisque aliis usum esse, sed certe non eadem significatione, qua hac voce utuntur zoologi hujus novissimae aetatis: qui nunc temporis « typum » generis constituit, nimirum hanc vim verbo typi subjicit, ut nomen illud genericum in specie « typica » semper — si « lex prioritatis » non vetat — servari debeat. Talem notionem « typi » Sundevallium non habuisse, ex eo e. gr. videre licet, quod, secundum eum (loc. cit., p. 19), *sub-genus* ejus « *Agelena* Walck. ut typus generis [*Araneae* Latr.] vel sub-familiae [Agaleninarum] consideranda » est! — Praeterea Sundevallio ignotum erat, La-

sub-lanceolato, supra fusco- et olivaceo-flavo-pubescenti, et vitta transversa basali recta pallida vittisque quattuor Λ-*formibus pallidioribus latis (prima tamen angusta) secundum dorsum ornato.* — ♀ ad. *Long. circa* 34 *millim.*

Syn.: 1859. *Sparassus Boiei*, Dol., Tweede Bijdr., *cet.*, loc. cit., p. 52, Pl. XV, fig. 1 et 1*a* (= ♂).
1880. *Heteropoda Boiei*, Sim., Révis. de la fam. d. Sparass., *in* Actes de la Soc. Linn. de Bordeaux, 1880, p. (51).
1880. » *flavimana*, id., ibid., p. (54).

Lg. corp. 34; lg. cephaloth. paene 14 1/2, lat. ej. 12 1/2, lat. clyp. 6; lg. abd. 20, lat. ej. 9 millim. Ped. I 70 1/2, II 71 1/2 (tibia 19 1/2), III 55, IV 68 1/2; pat. + tib. IV 22 1/2 millim.

Secundum Doleschall haec species in Java invenitur; Ludeking eam in Sumatra (Agam) inventam esse dicit; Simon feminam adultam ex Benkolen Sumatrae descripsit. Beccari feminam juniorem, eam quoque in Sumatra (ad Sungei Bulu) captam, domum reportavit; ipse feminas duas, adultam et juniorem, possideo, ab amico Van Hasselt dono mihi datas et nescio an in Java inventas.

176. **H. imbecilla**, n., *cephalothorace brevi, minus alto, tibiam 4.*[i] *paris longitudine aequanti, in fundo ferrugineo-fusco, nigro-radiato, lateribus superius late nigricanti-ferrugineis, clypeo et mandibulis angustis; serie oculorum antica paullo deorsum curvata, oculis mediis posticis medios anticos magnitudine duplo superantibus; pedibus gracilibus, in fundo testaceo-fuscis, supra dense nigro-maculatis -annulatisve, tibiis posterioribus supra aculeis carentibus, pedibus sex anterioribus scopula praeditis; abdomine an-*

treilleum jam in 1804 gen. *Heteropodam* ad *Ar. venatoriam* recipiendam finxisse, cujus rei nisi inscius fuisset, loco: « *Sarotes* n. g. . . . Typus *Ar. regia* Fabr. », « *Heteropoda* Latr. Typus *Ar. regia* » (vel *venatoria*) haud dubie scripsisset. (Eodem fere modo Mac Leay (On some new forms of Arachn., *in* Ann. of Nat. Hist, II (1838) n.° 7, p. 8), nominum *Heteropodae*, Latr., et *Sarotis*, Sund., ignarus, haec de eadem aranea habet: « genus *Olios*, of which the type is the *Aranea venatoria* of Linnaeus »). Quam ob rem nescio an melius sit, nomen genericum *Heteropodae* in *Ar. venatoria*, ut typo hujus generis, cum Simon aliisque etiam posthac servare, praesertim quum nullam aliam speciem generis *Heteropodae* suae *nominaverit* Latreille.

gustius sub-ovato, supra in fundo nigro-fusco, fascia media longitudinali angusta abbreviata albicanti antice notato, quae apice antico dilatata est. — ♀ ad. *Long. circa* 8 *millim.*

Femina. — *Cephalothorax* parum longior quam latior, tibiam 4.[i] paris longitudine aequans, inverse cordiformi-orbiculatus fere, postice in medio leviter emarginatus, lateribus partis thoracicae in medio et posterius fortiter rotundatis, anteriora versus sensim citius angustatus et utrinque, ad palpos, leviter sinuatus, parte cephalica quoad libera est lateribus brevibus rectis sensim sat fortiter angustata, antice truncata vel parum rotundata; latitudo clypei modo $^2/_5$ latitudinis partis thoracicae aequat. Parum altus est cephalothorax, radiis partis thoracicae et praesertim impressionibus cephalicis bene expressis, sulco centrali longo, sat tenui sed profundo, in declivitatem posticam producto. Ante declivitatem posticam, quae recta et praerupta est et dimidium reliqui dorsi longitudine saltem aequat, dorsum paene usque ad oculos modice declive et rectum est, dein fortius proclive, clypeo paene directo; spatium inter marginem clypei et oculos laterales anticos eorum diametrum aequat. Series *oculorum* postica saltem tripla oculi lateralis diametro longior est quam series antica, quae a fronte visa sat leviter deorsum est curvata, ita ut linea margines superiores oculorum anticorum tangens recta sit; desuper visa utraque series levissime est recurva. Area oculorum mediorum paullo longior est quam latior postice, paene duplo latior postice quam antice. Oculi laterales antici, posticos laterales maximos magnitudine paene aequantes, mediis anticis parvis fere triplo majores sunt, laterales postici mediis posticis circa duplo majores; medii postici mediis anticis fere duplo sunt majores. Spatium inter oculos binos laterales, quorum posticus eminentiae amplae sat humili extus impositus est, oculi maximi diametrum aequat et paullo minus est quam spatia, quibus distant medii antici a mediis posticis. Spatium inter medios anticos eorum diametro paullo minus est; spatium, quo a lateralibus anticis distant hi oculi, vix $^1/_4$ diametri oculi medii aequat. Oculi medii postici, spatio disjuncti, quod diametro eorum paullo est majus, a lateralibus posticis paene dimidio longius quam inter

se remoti sunt. *Sternum* vix longius quam latius, cordiformi-triangulum fere, antice latissime truncatum, lateribus leviter rotundatis apicem sat breviter acuminatum versus sensim angustatum.

Mandibulae directae, graciles, femoribus 2.ⁱ paris paullo angustiores, patellas ejusdem paris longitudine aequantes, paullo plus duplo longiores quam latiores, cylindratae, in dorso versus basin modo leviter convexae. Sulcus unguicularis postice 4 dentes sat parvos ostendit, antice, intus, dentes saltem 3. *Maxillae* parallelae, paene duplo longiores quam latiores, labio triplo longiores, apice intus et extus oblique truncatae, impressione media praeditae; *labium* fere dimidio latius quam longius, paene rectangulum, apicem latissime truncatum versus sensim parum angustatum. *Palpi* longi: partes patellaris, tibialis et tarsalis conjunctim cephalothoracem longitudine aequant. *Pedes* modice longi, graciles; aculei graciles et sat longi. Patellae aculeum postice habent; tibiae supra aculeis carent. Scopulae angustissimae parum densae in tarsis et saltem in apice metatarsorum pedum sex anteriorum adsunt; pedes 4.ⁱ paris scopula carent. *Abdomen* angustius sub-ovatum. Area cornea *vulvae* sulcos duos fortes longitudinales paullo incurvos ostendit, quae aream nitidam, aeque circiter longam ac latam postice, antice angustiorem et ad longitudinem leviter striatam, postice late truncatam includunt. *Mamillae* brevissimae.

Color. — *Cephalothorax* in fundo ferrugineo-fuscus, striis sat multis radiantibus (duabus in parte cephalica) et sulco centrali nigris, lateribus superius late et inaequaliter nigricanti-fuscis, remanentibus limbo laterali et postico sat late ferrugineo-fuscis, margine summo nigerrimo, clypeo in medio testaceo; hic illic in exemplo nostro valde detrito remanent vestigia pubescentiae tenuis pallidioris. *Sternum* cum coxis et femoribus subter, *maxillae* et *labium* pallide fusco-testacea. *Mandibulae* fusco-rufae, pallido-pubescentes et -pilosae. *Palpi* fusco-testacei, parte saltem femorali paullo nigro-maculata. *Pedes* testaceo-fusci, dense nigro-vel nigricanti-annulati, annulis saltem subter abruptis; femora 5 annulos habent, patellae fere 3, tibiae 3, metatarsi 3 parum

distinctos. *Abdomen* in fundo nigro-fuscum est, fascia media longitudinali angusta, antice inaequaliter dilatata, a basi paene ad medium dorsi pertinenti notatum: vestigia pubescentiae ferrugineo-testaceae hic illic remanent. Venter paullo clarius est, dense ferrugineo-testaceo-pubescens. *Mamillae* nigro-fuscae.

Lg. corp. 8; lg. cephaloth. 4, lat. ej. 3 $^3/_4$, lat. clyp. 1 $^1/_2$; lg. abd. 4, lat. ej. 2 $^2/_3$ millim. Ped. I? II 17 (tib. 4), III 14 $^1/_4$, IV paullo plus 16 millim. longi; pat. + tib. IV 5 millim. Mandib. 1 $^4/_5$ millim. longae.

Feminam unam vidi detritam et pedibus 1.^{i} paris carentem, in antro quod Buae vocatur in Padang superiore Sumatrae a Cel. Beccari inventam.

177. **H. leptoscelis**, n., *cephalothorace humillimo, brevi, quam tibia 4.^{i} paris multo breviore, in fundo pallide fusco-testaceo, paullo fusco-variato et -striato; serie oculorum antica fortiter deorsum curvata, oculis mediis paene aequali magnitudine; mandibulis annulo basali magno oblongo fusco, qui linea longitudinali fusca in duos dividitur, notatis; pedibus longissimis, gracillimis, pallide sub-fusco-testaceis, punctis et maculis parvis fuscis conspersis, scopulis obsoletis; abdomine sub-ovato, in fundo sub-testaceo-cinerascenti, dorso praesertim versus latera dense fusco- et nigricanti-variato.* — ♂ ad. *Long. circa* 5 $^1/_2$ *millim.*

Mas. — *Cephalothorax* aeque longus et latus, $^2/_3$ tibiae 4.^{i} paris longitudine fere aequans, inverse orbiculato-cordiformis fere, postice in medio sat late et leviter emarginatus, lateribus partis thoracicae antice sat leviter, praeterea vero fortissime rotundatis, utrinque ad insertionem palporum fortiter angustatus et modice sinuatus, parte cephalica quoad libera est brevissima et lateribus paene rectis anteriora versus sensim sat fortiter angustata, fronte truncata, latitudine clypei $^1/_3$ latitudinis partis thoracicae paullo superanti. Humillimus est cephalothorax, transversim modo leviter convexus, impressionibus cephalicis fortibus, et praeterea impressionibus binis radiantibus distinctis praeditus, sulco ordinario centrali tenui et sat longo, in declivitatem posticam producto; a latere visus postice modo paullo altior est quam antice, dorso

ante declivitatem posticam (quae brevissima est, sat praerupta et leviter convexa) modo paullulo proclivi, in medio paullo impresso: primum, in parte thoracica, rectum et paullo proclive est dorsum, dein libratum et omnium levissime convexum, inter oculos modice proclive, clypeo paene directo. Spatium inter marginem clypei et oculos laterales anticos dimidiam horum oculorum diametrum vix aequat. Series duae *oculorum* apicibus paullulo divaricant; series postica circa tripla oculi lateralis diametro longior est quam antica, desuper visa leviter recurva; series antica, desuper visa recta, a fronte visa fortiter deorsum est curvata: linea recta oculos laterales anticos supra tangens medios fere in centro secat. Area oculorum mediorum modo paullo longior est quam latior postice, circa dimidio latior postice quam antice. Oculi 4 laterales magni, paene aequales, mediis anticis duplo, mediis posticis saltem duplo majores: medii postici mediis anticis paullulo minores videntur. Oculi medii antici, spatio eorum diametro paullo minore disjuncti, a lateralibus anticis spatio modo minuto remoti sunt, paene cum iis contingentes. Oculi medii postici spatio eorum diametrum saltem aequanti sejuncti sunt et a lateralibus posticis paene duplo longius quam inter se remoti. Spatium inter oculos binos laterales, quorum posticus tuberculo amplo humili extus est impositus, non parum majus est quam spatia, quibus distant medii antici a mediis posticis, et oculi maximi diametro circa dimidio majus. *Sternum* paullo latius quam longius, antice latissime truncatum, postice breviter sub-acuminatum, lateribus modice rotundatis.

Mandibulae paullo porrectae, sub-cylindratae, in dorso parum convexae; duplo longiores sunt quam latiores, femoribus anticis non parum angustiores, patellis anticis paullo breviores et crassiores. Sulcus unguicularis postice 4, antice, intus, saltem 2 dentibus sat parvis armatus est. *Maxillae* in labium paullulo inclinatae, latae, fere dimidio longiores quam latiores, labio circa triplo longiores, apice late rotundatae, in medio extus levissime sinuatae. *Labium* multo latius quam longius, apicem late truncatum versus sensim angustatum. *Palpi* longissimi et graciles, clava femora antica latitudine saltem aequanti; pars patellaris

circa dimidio longior est quam latior; pars tibialis parte patellari basi est angustior et usque ad apicem sensim paullulo incrassata, parte patellari circiter dimidio longior, triplo longior quam latior: prope apicem supra, ad latus exterius, calcar longum et fortissimum fuscum, anteriora versus, sursum et paullo foras directum habet, quod subter excavatum est et in latere exteriore, ante medium, citius angustatum, hac parte apicali sensim angustato-acuminata et deorsum paulloque foras curvata vel fracta. Parum pone basin hujus calcaris, in latere exteriore, subter, dens maximus latus triangulus fuscus (sive lamina triangula) conspicitur. Pars tarsalis prioribus duabus conjunctis paullo brevior est, a basi ad paene $^2/_3$ longitudinis utrinque rotundata et hic ovata fere, dein vero in apicem longum et satis angustum excurrens. Bulbus altus, non valde complicatus; antice extus fasciam corneam obliquam fere in semicirculum curvatam et sub-tortuosam ostendit, cujus apex obtusus et inaequalis deorsum directus est. *Pedes* longissimi et graciles valde, 2.^{i} paris cephalothorace fere 9.plo longiores. Metatarsi omnes scopula carent: etiam in tarsis scopulae obsoletae sunt. Aculei sat crebri, longi et graciles; patellae aculeum utrinque habuisse videntur; tibiae supra aculeis carent. *Abdomen* sub-ovatum, antice truncatum, postice acuminatum. *Mamillae* superiores non parum longiores et duplo angustiores quam inferiores, art. 2.º aeque paene longo ac lato, sub-conico.

Color. — *Cephalothorax* pallide fusco-testaceus, lateribus superius paullo obscurioribus, dilute fuligineo-testaceis fere; in declivitate postica vittis duabus transversis nigricantibus parum distinctis et in maculas abruptis est notatus, praeterea vero lineis tenuibus radiantibus nigricantibus sex, quarum duae in parte cephalica locum tenent. *Sternum* cum coxis subter, *maxillae* et *labium* pallide testacea. *Mandibulae* eae quoque pallide testaceae, macula magna oblonga annuliformi fusca ad basin ornatae, quae linea media longitudinali ejusdem coloris persecta est. *Palpi* pallide et sub-fusco-testacei, bulbo ad partem fusco. *Pedes,* pallido-pilosi et fusco- nigroque -aculeati, pallide sub-fusco-testacei ii quoque sunt; femora maculis nonnullis minutis fuscis, quibus

insistunt aculei, sparsa sunt, tibiae et metatarsi densius fusco-punctati; praeterea ad basin, supra, tibiae lineola brevi obliqua fusca sunt notatae. *Abdomen* in fundo supra testaceo-cinerascens, dorso praesertim versus latera dense fusco- et nigricanti-variato; paullo supra anum puncta nonnulla fusca video, in ordines duos transversos ordinata et suum quodque pilum retro directum gerentia. Etiam praeterea pilis nonnullis fortibus nigris sparsum est dorsum. Venter testaceo-cinerascens; *mamillae* ejusdem coloris, superiores tamen supra fuscae.

Lg. corp. 5 $^1/_2$; lg. cephaloth. 2 $^1/_2$, lat. ej. 2 $^1/_2$, lat. clyp. 1; lg. abd. 2 $^1/_2$, lat. ej. 2 millim. Ped. I 20, II 22, III 16 $^1/_4$, IV 17 $^1/_2$ millim. longi; pat. + tib. IV 5 $^3/_4$ millim. Mandib. circa 1 millim. longae.

Marem singulum valde detritum examinavi, in Sumatra a Cel. Forbes captum et a Cel. Cambridge mecum communicatum. — Non nisi cunctanter hanc speciem gen. *Heteropodae* subjungo, quum cephalothorace humillimo (ut in gen. *Adraste*, Sim., fere) et pedibus scopula paene carentibus a reliquis *Heteropodis* differre videatur.

178. **H. venatoria** (Linn.).

Syn.: 1758. *Aranea venatoria*, Linn., Syst. Nat., Ed. 10, I, II, p. 1035.
? 1798. » *pallens*, Fabr., Suppl. Ent. Syst., p. 291.
? 1837. *Olios antillianus*, Walck., H. N. d. Ins. Apt., I, p. 568.
1837. » *colombianus*, id., ibid., p. 571.
? 1838. *Ocypete pallens*, C. L. Koch, Die Arachn. IV, p. 82, Tab. CXXXI, fig. 304.
? 1863. *Sparassus ammanita*, Duf., Sur une nouv. esp. d'Aran. du genre Sparassus, *in* Ann. de la Soc. Ent. de France, 1863, p. 9, Pl. I, fig. 3.
1872. *Olios setosus*, Tacz., Les Aran. de la Guyane Franç., *in* Horae Soc. Ent. Ross., IX (1873), p. 12.
1877. *Heteropoda venatoria*, Thor., Studî, *cet.*, I, loc. cit., p. 484 (144); } *ubi alia syn. videantur.*
1878. » » , id., ibid., II, p. 195 et 305, }
1878. *Sarotes venatorius*, McCook, Note on the probable distrib. of a Spid. by the Trade Winds, *in* Proceed. of the Acad. of Nat. Sciences of Philadelphia, 1878, pp. 136-146.
1880. *Heteropoda venatoria*, Sim., Rév. de la fam. d. Sparassides, *in* Actes de la Soc. Linn. de Bordeaux, 1880, p. (48).
1881. » » , Thor., Stud. *cet.*, III, loc. cit., p. 274.

In Indo-Malesia haec species in Singapore, Sumatra, Pulo Loz, Labuan, Borneo, Java et Celebes inventa est; Cel. Beccari exempla ex Kaju Tanam, Ajer Mancior et Sungei Bulu Sumatrae domum reportavit; Van Hasselt (1) et Simon (2) specimina ex aliis locis ejusdem insulae viderunt. Conf. haec Stud., locis supra cit.; ad locos alios, ubi *H. venatoriam* captam ibi diximus, addendi sunt: Birmania (Minhla), secundum Simon (3); porro Zulu-land Africae, ins. Lu-chu, ins. Palmyra, Cuba et Santa Cruz, Florida, Yucatan et Surinam: hi loci omnes secundum McCook, loc. cit. In ins. Rodriguez et Magdalena inventa est, secundum Butler (4); verisimiliter in Annam quoque (Dufour, loc. cit.) et (secundum Blackwall (5)) in insulis, quas Bermudas vocant, vitam degit haec aranea. Karsch (6) exempla ex insulis Guilbert et Marshall dictis vidit.

Cel. McCook rationibus sat gravibus (7) conatus est probare, *H. venatoriam* per regiones orbis terrarum calidas plerasque eam ob causam esse diffusam, quod pulluli ejus, textis aëre librati,

(1) Midden Sumatra, *cet.*, Aran., pag. 40.

(2) Arachn. recueillis par M. Weyers à Sumatra (1er envoi), loc. cit., p. 8.

(3) Arach. recueillis en Birmanie par . . . Comotto, *cet.*, *in* his Ann., XX (1884), p. 336 (12).

(4) Transit of Venus Expedition. Zoology of Rodriguez: Myriap. and Arachn., p. 10.

(5) Notice of several Spec. of Spid., *cet.*, *in* Ann. and Mag. of Nat. Hist., 1868, p. (5).

(6) Arachn. u. Myriapoden Mikronesiens, *in* Berliner Ent. Zeitschr., XXV, Hft. 1 (1885), p. 15.

(7) « Some of these facts are, (1) the early discovery of the species as already widely distributed; (2) its presence at so many different insular points nearly or altogether contemporaneous with their first visits by commercial nations; (3) the existence of the species or its close allies among the fauna of the tropical interiors of continents far distant from coast lines; (4) and finally the variations, chiefly in color, which have been observed, and which would seem to require for their development a longer period than that which has transpired since the commencement of commercial communication with the localities in which the variations have been wrought. While one may not conclude with absolute certainty from these facts, they certainly warrant the theory that the Huntsman (*venatorius*) spider has become cosmopolitan by the action of nature independent of the aid of man » (loc. cit., pag. 137).

Horum argumentorum pleraque vim suam fortasse perdunt, si *H. venatoria*, *multo* ante quam terrae illae calidae a navibus mercatoriis Europaeis frequentari coeptae sunt, navibus *aboriginum* longe lateque diffusa fuit — quod mihi quidem veri simile videtur.

ventibus illis certi circuitus, quos etesias vocant, ubique in has regiones spargantur. Araneas multissimas, immo plerasque, et inter eas *H. venatoriam* quoque, hoc modo ventibus ferri, nemo est qui dubitet. Constat tamen, multas species, e. gr. *Uloborum zosin*, *Theridium tepidariorum*, *Pholcum phalangioidem*, *Ph. elongatum*, *Tegenariam Derhamii*, hominibus adjutas ex alio in alium locum saepissime diffundi; et difficile sane erit probare, *Heteropodam venatoriam*, quae in *domibus* vitam potissimum degit, non in earum numero esse. Equidem persuasum mihi habeo, hanc speciem et *Uloborum zosin* (ut *Theridium tepidariorum*) *navibus* utentes imprimis demigrare: ipse in *Suecia* (Gothoburgi) exempla viva et *H. venatoriae* et *U. zosis* in manibus habui, quae nave ex Java in oras illas remotas devecta fuerant. Quum vero hae duae species coelum asprum ferre non possint et brevi tempore frigore conficiantur, fit, ut modo in regionibus calidis — quae eaedem paene sunt atque etesiarum — crescant et prolem procreent.

179. **H. thoracica** (C. L. Koch), *cephalothorace non parum breviore quam tibia 3.ii paris, rubro- vel ferrugineo-fusco, nigro- et flavo-pubescenti, pube flava ad marginem posticum vittam transversam antice late, postice anguste nigro-marginatam, et praeterea saltem radios utrinque tres formanti; mandibulis nigris, pube nigro-olivacea et pilis nigris minus dense vestitis; pedibus (quorum 2.i paris cephalothorace paene 6.plo longiores sunt) rubro- vel ferrugineo-fuscis, cinerascenti-olivaceo-pubescentibus et breviter nigro-pilosis; metatarsis tarsisque obscurioribus, femoribus supra dense flavo-pubescentibus, prope apicem sat late nigricantibus et praeterea vittis transversis vel maculis binis nigris supra notatis, hac pictura nigra nigro-pubescenti, tibiis minus evidenter nigro-annulatis; tarsis et metatarsis omnibus scopula instructis; abdomine (post partum) circa duplo longiore quam latiore, in fundo subtestaceo-fusco, pube densa sub-testaceo-olivacea (vel in dorso flaventi) et nigra vestito, et ordinibus duobus parallelis macularum nigrarum secundum dorsum extensis notato, quarum saltem posticae in vittam vel vittas transversas retro fractas binae con-*

junctae sunt; ventre pallido, pictura nulla. — ♀ ad. *Long. circa* 31 *millim.*

Syn.: 1845. *Ocypete thoracica*, C. L. Koch, Die Arachn., XII, p. 42, Tab. CCCCVII, fig. 982.
1857. *Olios lunula*, Dol., Bijdr., *cet.*, loc. cit., p. 428.
1859. » » , id., Tweede Bijdr., *cet.*, loc. cit., pag. 54, Tab. VI, fig. 5 (= ♀), Tab. VII, fig. 5 (= ♂), Tab. IX, fig. 12 (= ♀) (*salt. ad partem*).
1878. *Heteropoda thoracica*, Thor., Stud., *cet.*, II, loc. cit., p. 192 (= ♂).

Non dubito, quin sit aranea, cujus diagnosin supra dedi, femina *H. thoracicae* (C. L. Koch) sive *O. lunulae*, Dol., cujus marem in his Stud., II, loc. cit., descripsi; a figuris *O. lunulae*, ♀, a Doleschall datis (quae fortasse non omnes ad unam eandemque speciem sunt referendae) non parum differt tamen. — Praeter colore, praesertim cephalothorace flavo-radiato et pedibus supra transversim nigro-vittatis, a *H. venatoria*, Linn., ♀, non facile nisi extremitatibus longioribus distingui potest haec aranea: mandibulae ejus longitudine dimidium latitudinis cephalothoracis aequant; cephalothorax paullo brevior est quam palporum partes patellaris, tibialis et tarsalis conjunctim, et non parum brevior quam tibia 3.ii paris. (In *H. venatoria*, ♀, dimidia latitudo cephalothoracis mandibularum longitudinem superat; cephalothorax paullo longior est quam partes tres ultimi palporum conjunctim, et aeque longus ac, immo interdum paullulo longior quam, tibia 3.ii paris). Oculi in utraque specie paene eadem magnitudine et dispositione videntur: oculi tamen medii postici in *H. thoracica*, ♀, paullulo majores sunt quam medii antici. Tibiae 4.i paris (et interdum paris 3.ii quoque) supra aculeum singulum versus apicem situm habent. Etiam vulva *H. thoracicae* vulvae *H. venatoriae* valde similis est: constat ex tuberculo sat magno transverso, quod ex areis duabus fuscis paullo fornicatis et sulco profundo longitudinali disjunctis formatur et quod antice foveâ transversâ, per costam longitudinalem in duas divisâ, continuatur: ab hac fovea lineolae duae breves parallelae fuscae anteriora versus ductae sunt.

♀. — Lg. corp. 31; lg. cephaloth. 13, lat. ej. 11 $^1/_2$, lat. clyp. 6; lg. abd. 16, lat. ej. 8 $^3/_4$ millim. Ped. I 67 (tib. paene

19), II 76 $^1/_2$ (tib. 21), III 62 $^1/_2$ (tib. 17), IV 70 (tib. 19) millim. longi; pat. + tib. IV 24 $^1/_2$ millim.

Feminam adultam aliamque juniorem in antro Buae, in Padang superiore Sumatrae, cepit Cel. Beccari. Praeterea in Java et Amboina, et fortasse in Nova Guinea quoque (1), vitam degit haec species.

180. **H. bivittata**, Thor.

Syn.: 1877. *Heteropoda bivittata*, Thor., Studî, *cet.*, I, Ragni di Selebes, loc. cit., p. 485 (145).

In ins. Celebes, ad Kandari, capta fuit haec species.

181. **H. Sumatrana**, n., *in fundo testaceo-fusca vel obscurior, cephalothorace nigricanti-striato et -radiato in declivitate postica vitta transversa flaventi antice posticeque nigro-limbata ornato; serie oculorum antica a fronte visa recta, oculis mediis posticis medios anticos magnitudine non parum superantibus; pedibus saltem in femoribus superius nigro-annulatis vel -maculatis, tibiis posterioribus saltem interdum aculeo supra munitis, scopulis modo in paribus pedum* 1.i–3.ii *bene expressis; pedibus* 2.i *paris cephalothorace in* ♀ *circa* 4.*plo, in* ♂ *circa* 8.*plo longioribus; abdomine plus minus nigro-maculato et -punctato, ad basin fascia media longitudinali abbreviata pallida, postice vero vitta transversa brevi subundulata nigra et postice flaventi-marginata notato; vulva ex tuberculo transverso, sulcis duobus antice* V *formantibus in duo diviso, constanti; palporum parte tibiali in* ♂ *prope apicem, extus, lamina transversa sub-obliqua munita, cujus angulus superior in procursum fortem porrectum foras fractum producitur, angulus vero inferior latus parumque productus late rotundatus est.* — ♂ ♀ ad. *Long.* ♂ 11, ♀ 11 $^1/_2$–14 $^1/_2$ *millim.*

Var. β, montana, *pedibus* 2.i *paris cephalothorace circa* 5.*plo et dimidio longioribus, angulo inferiore laminae partis tibialis palporum paullo producto et apice late truncato; praeterea ut in forma principali diximus.* — ♂ ad. *Long. circa* 12 $^1/_2$ *millim.*

(1) Vid. Thor., Studi, *cet.*, II, loc. cit., p. 306.

FEMINA. — *Cephalothorax*, paullo longior quam latior, tibiam 2.^{i} paris longitudine aequans et duplo longior quam patella 4.^{i} paris, eadem paene forma est atque in *H. venatoria*, modo paullulo altior et transversim magis convexus, fronte levissime rotundata dimidiam partem thoracicam latitudine parum superanti; impressiones cephalicae distinctissimae sunt, sulcus ordinarius centralis fortis et usque in declivitatem posticam pertinens, tarsum 3.^{ii} paris longitudine aequans. A latere visum dorsum ante declivitatem posticam (quae dimidium reliqui dorsi longitudine paene aequat) sat fortiter proclive est et paene rectum, parte cephalica tamen omnium levissime elevata paulluloque convexa. Series *oculorum* postica plus dupla oculi lateralis postici diametro longior est quam series antica; utraque series desuper visa leviter recurva est, antica a fronte visa recta: linea recta per centra oculorum anticorum mediorum ducta laterales in centro (vel parum superius) secat. Spatium inter marginem clypei et oculos laterales anticos horum diametrum parum superat. Area oculorum mediorum paullo longior est quam latior postice, non parum latior postice quam antice; spatium inter oculos medios anticos eorum diametro paullo minus est, sed duplo majus quam spatium, quo laterales antici a mediis anticis distant; spatium inter medios posticos eorum diametro circa dimidio majus est et non parum minus quam spatium, quo hi oculi a lateralibus posticis sunt remoti. Oculi laterales antici lateralibus posticis, tuberculo amplo humili impositis, parum majores sunt, mediis anticis vero saltem duplo majores; medii postici mediis anticis non parum majores sunt.

Mandibulae, patellas 3.^{ii} paris longitudine aequantes vel paullo superantes, femora 1.^{i} paris crassitie aequant; saltem duplo longiores sunt quam latiores, in dorso versus basin fortissime convexae, aequaliter et sat dense pubescentes pilisque sparsae; sulcus unguicularis postice dentibus 4 armatus est, antice ad basin 3 dentibus munitus quoque. *Maxillae* parallelae, paullo plus duplo longiores quam latiores, apice extus oblique et late rotundato-truncatae, intus quoque late et valde oblique truncatae, in latere exteriore paene rectae; paene triplo longiores

sunt quam *labium*, quod vix longius est quam latius, apice late rotundatum. *Palpi* mediocres; partes patellaris, tibialis et tarsalis conjunctim cephalothorace paullo breviores sunt. *Pedes* breviores, modice robusti; pedes 2.[i] paris cephalothorace circa 4.plo longiores sunt, pedes 1.[i] paris tarso suo longitudine superantes; pedes 1.[i] paris 4.[i] paris parum, 4.[i] paris pedes 3.[ii] paris plus tarso suo longitudine superant. Patellae omnes aculeum postice habent; tibiae posteriores, praesertim 4.[i] paris, *interdum* aculeum supra, versus apicem situm, ostendunt. In pedibus 1.[i]-3.[ii] parium tarsus et praesertim metatarsus scopula sat densa et angusta muniti sunt, quae tamen in metatarso 3.[ii] paris non ad basin internodii pertinet: in pedibus 4.[i] paris modo tarsus et apex metatarsi scopula rara et parum distincta praediti sunt. *Abdomen* ante partum inverse ovatum est, post partum angustius et antice truncatum, lateribus parum rotundatis. *Vulva* ex area cornea transversa nitida fusca constat, quae anterius sulcos duos anteriora versus divaricantes, antice in foveam parvam dilatatos ostendit: hi sulci V parvum formant, cujus apex posticus ut sulcus (vel ut sulci duo, costâ angustâ sejuncti) usque ad marginem posticum vulvae ductus est, eam in tubercula duo humilia convexa dividens. (Lineolis duabus parallelis fuscis, quas ante haec tubercula in e. gr. *H. venatoria* et *H. thoracica* videmus, caret *H. Sumatrana*).

Color. — *Cephalothorax* in fundo ferrugineo-fuscus, lineis tribus longitudinalibus nigricantibus in parte cephalica plerumque notatus, impressionibus cephalicis et radiis partis thoracicae interdum nigricantibus quoque; prope marginem posticum vittam latam pallidam dense flavo- vel testaceo-pubescentem ostendit, quae antice plus minus late nigro-limbata est et plerumque postice quoque nigro-marginata; praeterea sub-testaceo- et nigro-pubescens est cephalothorax, pilis nigris praesertim in parte cephalica sparsus; clypeus sub oculis mediis sub-testaceus. *Sternum*, *maxillae* et *labium* cum coxis subter testaceo-fusca, pallido-pubescentia et nigro-pilosa. *Mandibulae* obscure fuscae, lineis tribus longitudinalibus nigris (interdum obsoletis) a basi saltem ad medium dorsi pertinentibus notatae, apice clariores

et unicolores; pallido-pubescentes sunt et pilis nigris sat densis sparsae. *Palpi* testaceo-fusci, parte femorali saepe macula nigra versus apicem notata, parte tibiali saepe basi nigra. *Pedes* quoque testaceo-fusci; femora, quae subter sat dense nigro-punctata sunt, superius annulis subter abruptis sive vittis transversis nigris 4-5 notantur, quae vittae tamen plerumque in maculas sunt divulsae; etiam tibiae et metatarsi 3-4 annulos vel vittas ejusmodi nigras saepe ostendunt, et patellae quoque paullo nigro-maculatae sunt. Pube flavo-testacea vestiti sunt pedes, sat dense nigro-pilosi et -aculeati, scopulis olivaceo-nigris. *Abdomen* testaceo-fuscum vel obscurius, plus minus dense et evidenter nigro-maculatum et -punctatum, subter paullo pallidius et magis unicolor; pube densa olivaceo-testacea tectum et in dorso pilis longioribus pallidis sparsum est. Plerumque fasciam mediam longitudinalem basalem brevem posteriora versus angustatam pallidam habet dorsum abdominis, et saepe ordines duos longitudinales parallelos macularum parvarum nigricantium (2-4 utrinque), quarum par primum ad ipsam basin dorsi locum tenet; tum, ad $^2/_3$ vel $^3/_4$ longitudinis, prope declivitatem posticam, vittam transversam breviorem sub-undulatam nigram ostendit, quae postice anguste flaventi-marginata est. Venter pictura distincta caret. *Mamillae* fusco-testaceae.

Variat cephalothorace et pedibus ferrugineo-fuscis, his parum distincte nigro-maculatis, abdomine in fundo nigricanti, antice fascia media longitudinali abbreviata pallida notato, postice vero vitta transversa nigra postice flavo-marginata.

Mas (formae principalis), praeter palpis, pedibus longissimis et gracilibus a femina supra descripta praesertim differt. *Cephalothorax* dimidiam tibiam 4.[i] paris longitudine non aequat; paullo plus duplo longior est quam patella 4.[i] paris, latitudine plus $^1/_3$ (non vero dimidium) patellae + tibiae 4.[i] paris aequans. Paullo humilior quam in femina videtur, praesertim in parte cephalica, quae anteriora versus sensim angustata est, fronte (clypeo) paullo angustiore quam in ea, ut fere semper; sulcus ordinarius centralis tarso 3.[ii] paris non parum brevior est. *Oculi* ut in femina diximus, eo excepto quod oculi laterales

antici a mediis anticis spatio etiam minore disjuncti sunt, cum iis paene contingentes, et quod spatium inter medios posticos eorum diametro parum majus est et modo paullo minus quam spatium, quo a lateralibus posticis distant. *Mandibulae* femoribus anticis paullo angustiores, duplo et dimidio longiores quam latiores, in dorso modo leviter convexae. *Palpi* longi et graciles; clava femur anticum latitudine non aequat. Pars patellaris saltem duplo longior est quam latior, pars tibialis eà plus dimidio longior, ipsa basi paullo constricta, fere a medio apicem versus (sed non usque ad apicem) sensim paullo dilatata, ad apicem tamen vix latior quam pars patellaris. Prope apicem, in latere exteriore et paullo subter, pars tibialis laminam corneam subobliquam, paene totam latitudinem lateris internodii occupantem ostendit, cujus angulus superior in procursum breviter acuminatum (sive spinam fortem) productus est: hic procursus latitudinem ipsius apicis partis tibialis longitudine circiter aequat et desuper visus primum anteriora versus et paullo foras directus est, tum, paullo ante medium, subito magis foras fractus, summo apice vix vel omnium levissime incurvo: a latere visa lamina (cum procursu) fere in formam semicirculi emarginata videtur, angulo superiore in procursum anteriora versus et paullo deorsum directum et curvatum producto, angulo inferiore brevi et latissimo late rotundato. Subter, ad apicem lateris exterioris, procursum parvum brevissimum obtusum porrectum ostendit pars tibialis. Pars tarsalis sub-lanceolata est, circa triplo longior quam latior, parte tibiali paene dimidio latior sed vix longior, lateribus versus basin rotundatis, latere interiore praeterea paene recto, latere exteriore paullo sinuato. Bulbus ovatus, laevissimus; apex fasciae corneae, quae secundum latus ejus interius extensa conspicitur, spinam sive dentem longiorem acuminatum oblique intus et deorsum quoque directum format. *Pedes* longissimi, graciles; pedes 2.[i] paris cephalothorace circa 8.plo longiores sunt, pedes 1.[i] paris tarso suo longitudine superantes, ut pedes 1.[i] paris 4.[i] paris superant; 4.[i] paris pedes 3.[ii] paris tarso suo fere superant quoque. Patellae omnes et antice et postice aculeum habent; tibiae 4 posteriores etiam supra, versus apicem, aculeo

munitae sunt. *Abdomen* angustius sub-ovatum, antice truncatum. Praeterea descriptio formae feminae etiam in marem quadrat.

Color idem atque in femina, pedibus modo magis evidenter nigro-annulatis, parte palporum femorali plus minus evidenter infuscata.

♀. — Lg. corp. 14 $^1/_2$; lg. cephaloth. 6, lat. ej. 5 $^1/_2$, lat. clyp. 3; lg. abd. 8 $^3/_4$, lat. ej. 6 $^1/_4$ millim. Ped. I 22 $^1/_4$ (tib. 5 $^1/_2$), II 24 $^1/_2$, III 20, IV 22 $^1/_2$ millim. longi; pat. + tib. IV 7 $^1/_4$ millim.

♂. — Lg. corp. 11 $^1/_3$; lg. cephaloth. 5 $^1/_2$, lat. ej. paullo plus 4 $^1/_2$, lat. clyp. paullo plus 2; lg. abd. 5 $^1/_2$, lat. ej. 3 $^1/_2$ millim. Ped. I 40 $^1/_2$ (tib. 11), II 44 $^1/_2$, III 34, IV 36 millim. longi; pat. + tib. IV 12 $^1/_2$ millim.

Var. β, m o n t a n a m, modo eo a ♂ formae principalis distinguere possum, quod pedes et palpi ejus breviores et paullo robustiores sunt, et quod lamina partis tibialis palporum paullo aliter est formata. *Cephalothorax* $^7/_{10}$ tibiae 2.ⁱ paris longitudine circiter aequat et circa triplo longior est quam patella 4.ⁱ paris; latitudo ejus dimidiam longitudinem patellae + tibiae 4.ⁱ paris non parum superat. *Palporum* pars patellaris vix dimidio longior est quam latior, pars tibialis eâ circa dimidio longior; angulus inferior latus laminae illius, ad apicem lateris exterioris hujus internodii sitae, paullo productus est et apice late truncatus. Pars tarsalis prioribus duabus conjunctis paullo brevior est, vix triplo longior quam latior. *Pedes* 2.ⁱ paris cephalothorace circa 5 $^1/_2$ longiores sunt. Nigror, quo antice limbatur fascia transversa pallida cephalothoracis, maximam partem partis thoracicae, limbo lato marginali excepto, occupat; abdominis vitta transversa nigra postice flavo-marginata latior est, plagam transversam formans. Praeterea vix ullam differentiam video. — Num propria species?

Cel. Beccari exempla nonnulla, pleraque tamen juniora, in monte Singalang Sumatrae cepit (inter ea exemplum singulum Var. β); ad Ajer Mancior ejusdem insulae feminam adultam aliamque juniorem formae principalis invenit quoque.

182. **H. signata**, n., *cephalothorace in fundo ferrugineo-fusco, nigro-radiato, vitta transversa pallidiore flavo-testaceo-pubescenti ad marginem posticum notato (limbo supra-marginali, utrinque, in fundo pallido quoque), praeterea plus minus flavo-testaceo-variato; serie oculorum antica a fronte visa paullo deorsum curvata, oculis mediis posticis medios anticos magnitudine non parum superantibus; pedibus supra densius nigro-maculatis, testaceo-fuscis, metatarsis obscurioribus, femoribus supra maculis minutis albis sparsis, subter dense nigro-punctatis, tibiis posterioribus supra aculeo munitis, pedibus omnibus scopula instructis, 1.*[i] *paris pedibus cephalothorace parum plus 4.plo longioribus; abdomine in fundo sub-fusco, nigro-sub-maculato, dorso fascia inaequali pallida a basi ad anum pertinenti (pone medium latissime sub-obsoleta) notato, utrinque in medio vero vitta obliqua nigra; vulva ex area cornea constanti, quae sulcis duobus, V formantibus, in tres partes dividitur.* — ♀ ad. *Long. circa* 15 *millim.*

Femina. — Ad formam feminae praecedentis, *H. Sumatranae*, simillima est haec aranea, his notis fere unice ab ea distinguenda. *Cephalothorax* dupla patella 4.[i] paris evidenter longior est; series *oculorum* antica a fronte visa paullo deorsum est curvata: linea recta per centra mediorum ducta laterales non parum supra centrum secat. *Mandibulae* versus basin minus fortiter quam in priore convexae sunt. *Palporum* partes patellaris, tibialis et tarsalis conjunctae cephalothoracem longitudine aequant. *Pedes* 1.[i] paris cephalothorace paullulo plus 4.plo longiores videntur, et tarso suo pedes 4.[i] paris longitudine superant; 4.[i] paris pedes dimidio tarso suo pedibus 3.[ii] paris longiores sunt. Scopulae metatarsorum sex anteriorum densiores videntur quam in priore specie; etiam metatarsi 4.[i] paris scopula rariori et breviori sed distincta sunt muniti. — Tibiae posteriores etiam supra aculeum habent; patellae modo postice aculeo armatae videntur. *Vulva* non multum a vulva *H. Sumatranae* differt, sed paullo major est; constat ex area cornea convexa, latiore quam longiore, quae sulcis duobus anteriora versus divaricantibus, V formantibus et apice antico in foveolam dilatatis in tres partes est divisa; partes duae exteriores ad apicem V illius, intus, dentem parvum

retro et paullo intus directum formare videntur. — Praeterea descriptio structurae feminae praecedentis omnibus numeris in hanc araneam cadit.

Color. — In fundo *cephalothorax* obscure ferrugineo-fuscus est, impressionibus cephalicis, striis radiantibus partis thoracicae et sulco centrali nigris; pars thoracica vitta transversa prope marginem posticum et fascia inaequali supra-marginali pallidioribus cincta est. Pilis nigris sparsus est cephalothorax et pube crassa flavo- et ferrugineo-testacea vestitus, ita ut fascia transversa flavo-testacea prope marginem posticum, et linea media longitudinalis ejusdem coloris in parte cephalica, anterius, e pube formentur; etiam praeterea, praesertim secundum margines laterales, paullo flavo-testaceo-maculatus est (in exemplo nostro sub-detrito); clypeus in medio flavo-testaceus quoque. *Sternum* nigricanti-testaceum, linea media longitudinali tenui paullo pallidiore parum distincta notatum, et pube pallida pilisque obscurioribus vestitum. *Mandibulae* nigro-piceae, cyaneum colorem parum sentientes, pilis nigris et pallidis sparsae, pube densiore sub-testacea praesertim versus basin extus munitae. *Maxillae* testaceae; *labium* nigricans, apice testaceum. *Palpi* testaceo-fusci, parte femorali apicem versus nigro-maculata. *Pedes* fusco-testacei, nigro-maculati, ut palpi pube densa sub-testacea et pilis longis pallidis vestiti. Femora supra vittas vel maculas transversas 4 nigras plus minus divulsas ostendunt, punctaque pauca alba, quibus aculei insistunt; subter sat dense nigro-punctata sunt et pallidius pubescentia. Patellae et tibiae paullo nigro-maculatae sunt, praesertim tibiae, quae ad basin antice maculam nigerrimam ostendunt et, magis versus medium antice, punctum album; metatarsi nigricantes sunt, supra plus minus pallido-variati, scopulis cinerascentibus; tarsi antici fere toti, reliqui saltem basi testacei. *Abdomen* in fundo supra et in lateribus obscurius fuscum est et nigro-variatum -maculatumque; supra in fundo fasciam mediam longitudinalem angustiorem albicantem ostendit, quae a basi ad medium dorsi pertinet et in medio sub-dilatata est, pone eam vero, mox supra anum, aliam lineam longitudinalem brevem albicantem; superius pilis pallidis sparsum

et pube densa ferrugineo-testacea tectum est abdomen, hac pube fasciam mediam longitudinalem inaequalem paullo clariorem formanti; in medio utrinque dorsum vitta vel macula transversa obliqua nigra notatum est: ante has vittas angustior et inaequalis est fascia illa longitudinalis, pone eas latior, anum versus sensim angustata et in marginibus nigro-punctata vel -maculata. Venter nigricanti- et pallido-fusco-nebulosus, pictura distincta carens. *Mamillae* pallidae, nigro-maculatae.

Lg. corp. 15; lg. cephaloth. 6, lat. ej. 5 $^3/_4$, lat. clyp. 3 $^1/_4$; lg. abd. 9, lat. ej. 6 millim. Ped. I 25, II 26, III 21, IV 22 millim. longi; pat. + tib. IV 7 $^1/_2$ millim. Lg. mandib. 3 millim.

Feminam singulam vidi, a Cel. Beccari in monte Singalang Sumatrae captam.

183. **H. obtusa**, n., *cephalothorace in fundo obscure ferrugineo-fusco, ferrugineo-testaceo-pubescenti, sat alto, dorso in medio librato, clypeo lato; serie oculorum antica paullo deorsum curvata, oculis mediis posticis medios anticos magnitudine non parum superantibus; mandibulis femoribus anticis crassioribus, fortiter geniculato-convexis, nigris; pedibus brevibus* (1.^i^ *paris cephalothorace 3.plo longioribus*), *obscure testaceo-fuscis, dense testaceo-ferrugineo-pilosis, femoribus supra paullo nigro-maculatis, patellis, ut tibiis supra, aculeis carentibus, pedibus sex anterioribus scopula instructis; abdomine pube et pilis testaceo-ferrugineis dense tecto, paullo nigro-variato, ordinibus duobus parallelis macularum parvarum nigrarum secundum dorsum notato.* — ♀ ad. *Long. circa* 14 $^1/_2$ *millim.*

Femina. — *Cephalothorax* aeque fere longus ac tibia cum dimidia patella 4.^i^ paris, non parum longior quam latior, in lateribus partis thoracicae sat fortiter et aequaliter rotundatus, ad insertionem palporum sat leviter sinuato-angustatus, parte cephalica igitur lata, quoad libera est non ita brevi, lateribus paene rectis anteriora versus sensim paullo angustata, clypeo lato, paene truncato, modo levissime rotundato, latitudine circa $^3/_5$ latitudinis partis thoracicae aequanti. Satis altus et transversim fortiter convexus est cephalothorax, impressionibus cephalicis et striis radiantibus partis thoracicae bene expressis; sulcus ordi-

narius centralis longus et sat tenuis est, usque in declivitatem posticam productus, tarsum 3.ii paris longitudine aequans. A latere visum dorsum ante declivitatem posticam — quae sat lenis (non praerupta) est et dimidium reliqui dorsi longitudine saltem aequat — primum paene rectum est et libratum, dein, in parte anteriore majore partis cephalicae, paullo proclive et convexum, area oculorum etiam fortius proclivi, clypeo directo; spatium inter marginem clypei et oculos laterales anticos horum diametrum aequat, vix superat. *Oculorum* series postica circa tripla oculi lateralis diametro longior est quam series antica, quae a fronte visa modice deorsum curvatur (linea eos supra tangens recta est), desuper vero visa levissime est recurva; series postica paullulo fortius recurva est. Oculi laterales antici magni, lateralibus posticis tamen vix majores, mediis anticis duplo majores; laterales postici mediis posticis paene dimidio majores sunt, medii postici mediis anticis fere dimidio majores. Area oculorum mediorum paullo longior quam latior postice, saltem dimidio latior postice quam antice. Spatium inter oculos binos laterales, quorum posticus eminentiae sat humili extus est impositus, paullo majus est quam diameter oculi maximi, et paullulo majus quoque quam spatium, quo distant oculi medii antici a mediis posticis. Spatium inter oculos medios anticos eorum diametro saltem dimidio minus est, sed non parum majus quam id, quo a lateralibus anticis distant. Medii postici inter se spatio sunt remoti, quod eorum diametro paullo est majus; a lateralibus posticis spatio diametro sua paene duplo majore distant. *Sternum* vix longius quam latius, antice latissime truncatum, apicem breviter acuminatum versus lateribus rotundatis sensim angustatum.

Mandibulae fortissimae, patellas 2.i paris longitudine paullo superantes, femoribus anticis evidenter crassiores, paene duplo longiores quam latiores, basin versus fortiter geniculato-convexae, nitidissimae, pilis longis aequaliter et non dense sparsae; sulcus unguicularis postice dentibus 4 sat fortibus est armatus, antice vero (ubi ut in reliquis dense est ciliatus) 2 (vel 3?) dentes parvos intus ostendit. *Maxillae* parallelae, sub-ovatae, paene

duplo longiores quam latiores, labio paene triplo longiores, apice intus et extus oblique truncatae, impressione transversa media praeditae. *Labium* latius quam longius, apicem late truncatum versus sensim angustatum. *Palporum* partes patellaris, tibialis et tarsalis conjunctim cephalothorace paullulo breviores sunt. *Pedes* breves, modice robusti, 2.[i] paris plus tarso suo longiores quam 1.[i] paris pedes, qui pedibus 4.[i] paris parum longiores sunt; pedes 4.[i] paris plus tarso suo pedes 3.[i] paris longitudine superant. Aculei pedum modice longi. Patellae omnes aculeis carere videntur; tibiae posteriores, ut anteriores, supra aculeis carent. Scopulae angustae, minus densae, in metatarsis et tarsis pedum 4 anteriorum completae, in metatarsis 3.[ii] paris modo apicem internodii occupantes; pedes 4.[i] paris scopula carent. *Abdomen* inverse ovatum fere, antice truncatum. *Vulva* ex area sat parva cornea convexa constat, quae in medio impressionem nitidam, posteriora versus sensim paullo angustatam, cordi- vel V-formem, antice utrinque in foveolam desinentem ostendit. *Mamillae* brevissimae.

Color. — *Cephalothorax* in fundo obscure ferrugineo-fuscus, pallido- et sub-ferrugineo-pilosus, pube sat longa et crassa ferrugineo-testacea vestitus. *Sternum* testaceo-fuscum. *Mandibulae* nigrae, nigro- et sub-ferrugineo-pilosae. *Maxillae* et *labium* testaceo-picea. *Palpi* obscure testaceo-fusci. *Pedes* quoque obscure testaceo-fusci, coxis et femoribus subter clarioribus, femoribus supra paullo nigro-maculatis; pube sub-testaceo-ferruginea et pilis brevibus longisque ejusdem coloris vel pallidioribus vestiti et sub-hirsuti sunt. Scopulae nigro- vel ferrugineo-cinerascentes; aculei picei. *Abdomen* in fundo testaceo- vel sub-ferrugineo-fuscum videtur; parum distincte nigro-variatum est et maculis 8-10 parvis nigris, in series duas parallelas secundum medium dorsi ordinatis notatum: par ultimum harum macularum in vittam brevem transversam postice in dorso sitam conjunctum est. Pube crassa densa et pilis longioribus sat densis testaceo-ferrugineis vestitum est abdomen. Venter paullo clarior est (ante rimam genitalem vero sub-piceus), lineis duabus longitudinalibus paullo pallidioribus parum expressis notatum, praeterea pictura distincta carens. *Mamillae* sub-piceae.

Lg. corp. $14\frac{1}{2}$; lg. cephaloth. $6\frac{2}{3}$, lat. ej. $5\frac{3}{4}$, lat. clyp. $3\frac{1}{2}$ millim.; lg. abd. 8, lat. ej. 5 millim. Ped. I $23\frac{1}{3}$ (tib. $5\frac{3}{4}$), II $26\frac{1}{3}$, III $20\frac{1}{2}$, IV 23 millim. longi; pat. + tib. IV $7\frac{1}{4}$ millim. Mandib. $3\frac{1}{2}$ millim. longae.

Exemplum singulum ad Sarawak ins. Borneo ceperunt Doria et Beccari. — Haec species a reliquis mihi cognitis *Heteropodis* eo differt, quod dorsum cephalothoracis non usque a declivitate postica anteriora versus sensim est proclive, sed modo antice, versus oculos, proclive, praeterea libratum; mandibulae solito fortiores et valde geniculato-convexae sunt.

Gen. **Palystes**, L. Koch, 1875.

184. **P. incanus**, n., *cephalothorace, in fundo fusco, pube tenui densa albicanti-cinerea tecto; pedibus dense et longius pilosis, cinereo- vel luteo-ferrugineis, tibiis saltem anterioribus subter vittis vel maculis binis nigris, altera prope basin, altera versus apicem sita notatis, scopulis metatarsorum ferrugineo-nigricantibus; abdomine supra cinerascenti-ferrugineo, saltem posterius vittis paucis transversis recurvis albicanti-cinereis* (*minus distinctis*), *anterius vero punctis* 4 *fuscis in trapezium dispositis notato, ventre testaceo-cinerascenti, antice* (*ante et pone rimam genitalem*) *ferrugineo-fusco, et praeterea macula maxima sub-triangula ejusdem coloris ante mamillas ornato.* — ♀ ad. *Long. circa* $26\frac{1}{2}$ *millim.*

Femina. — *Cephalothorax* paene $\frac{1}{4}$ longior quam latior, tibiam cum dimidia patella 4.ⁱ paris longitudine aequans, in lateribus partis thoracicae aequaliter et minus fortiter rotundatus, postice late et leviter emarginatus, utrinque, ad palpos, modice sinuato-angustatus, lateribus partis cephalicae (quoad libera est) paene parallelis, non brevibus, fronte fortiter rotundata, latitudine clypei $\frac{3}{5}$ latitudinis partis thoracicae circiter aequanti. Posterius altus est cephalothorax, ubique fortiter transversim convexus, radiis partis thoracicae bene expressis, impressionibus cephalicis etiam fortioribus; sulcus ordinarius centralis angustus est, sat longus (tarsis 3.ⁱⁱ paris tamen brevior), ad maximam partem in declivitate postica situs. A latere visum ante hanc declivitatem -- quae

reliquo dorso modo circa $^1/_4$ brevior est, sat lenis (non praerupta) et leviter convexa — dorsum fortiter et paene aequaliter proclive est et posterius rectum, dein usque ad oculos leviter convexum et paullo fortius proclive, area oculorum etiam paullo magis proclivi. Clypeus directus; spatium inter marginem ejus et oculos laterales anticos vix dimidiam horum oculorum diametrum aequat. Utraque series *oculorum* a fronte visa sat leviter deorsum curvata est: linea recta oculos laterales anticos supra tangens medios parum sub margine superiore secat; desuper visa series postica recta est, antica vero levissime recurva; series postica fere dupla oculi lateralis postici diametro longior est quam series antica. Area oculorum mediorum multo (vix vero dimidio) longior est quam latior postice, paene dimidio latior postice quam antice. Oculi sat parvi, lateralibus anticis exceptis, qui mediis anticis circa duplo majores sunt: oculi 4 postici eadem sunt magnitudine inter se, mediis anticis paullo minores. Spatium inter oculos binos laterales, quorum posticus sessilis est (*non* elevationi vel tuberculo impositus) multo (vix tamen dimidio) minus est quam spatia, quibus distant medii antici a mediis posticis, diametrum oculi maximi fere aequans. Oculi medii antici, cum lateralibus anticis paene contingentes, spatio sunt sejuncti, quod dimidiam oculi medii diametrum vix superat. Oculi medii postici spatio diametro sua plus dimidio (paene duplo) majore disjuncti sunt; parum longius inter se quam a lateralibus posticis distant. *Sternum* non parum longius quam latius, antice latissime truncatum, postice breviter acuminatum, lateribus leviter rotundatis.

Mandibulae, patellas 1.^{i} paris longitudine aequantes et femora hujus paris crassitie paullo superantes, directae sunt, duplo longiores quam latiores, anguste cylindrato-ovatae, minus fortes, in dorso modo leviter convexae; sulcus unguicularis postice 3, antice, intus, 2 dentibus parvis armatus est. *Maxillae* paene duplo longiores quam latiores, labio parum plus duplo longiores, parallelae et paene ovatae, apice late rotundatae, in medio extus leviter constrictae, impressione media carentes. *Labium* aeque paene longum ac latum, apicem late et quasi angulato-rotun-

datum versus sensim parum angustatum. *Palpi* sat breves et graciles; partes patellaris, tibialis et tarsalis cum dimidia parte femorali cephalothoracem longitudine fere aequant. *Pedes* sat longi et graciles, 1.ⁱ paris reliquis longiores et cephalothorace circa 4 $1/_5$ longiores; scopulis densis sat latis et etiam in metatarsis 4.ⁱ paris completis praediti sunt pedes, et aculeis appressis sat longis armati. Patellae omnes postice aculeo sunt munitae; tibiae posticae supra aculeis carent. In pedibus 1.ⁱ paris femora antice 1. 1. 1., supra et postice 1. 1. aculeos habent, tibiae subter 2. 2. 2., antice et postice 1. 1., metatarsi subter 2. 2., antice et postice 1. 1. aculeos. *Abdomen* elliptico-ovatum, antice sub-truncatum. *Vulva* ex tuberculo transverso corneo sat magno, subquadrato, postice in medio retuso, antice late et leviter emarginato, in medio laterum quoque paullo emarginato, ferrugineo constat, quod sulco medio longitudinali angusto nigro in duo dividitur: hoc tuberculum antice fovea profunda, duplo latiore quam longiore limitatur. *Mamillae* superiores sat longae et cylindratae, articulo 2.° brevissimo, oblique truncato, inferiores iis non parum breviores, crassiores et sub-conicae, art. 2.° etiam breviore quam in mamillis superioribus.

Color. — *Cephalothorax* in fundo obscure ferrugineo-fuscus, pube densa tenui appressa albicanti-cinerea tectus et pilis sat longis sub-erectis albicanti-cinereis (in parte cephalica magis ferrugineis vel luteis) sat dense sparsus. *Sternum* cum coxis subter ferrugineo-piceum, ferrugineo-pilosum. *Mandibulae* nigrae, pilis longis luteis sat dense sparsae et paullo pallido-pubescentes quoque, apice rufo-ciliatae. *Maxillae* et *labium* picea, illae apice pallidiores et rufo-ciliatae. *Palpi* fusci, basi clariores, pilis brevibus densis luteo- vel cinerascenti-ferrugineis tecti. *Pedes* quoque in fundo fusci, pube tenui cinerascenti et pilis densis luteo-ferrugineis vestiti et sub-hirsuti; tibiae subter maculas vel vittas transversas binas nigras habent, alteram prope basin sitam, alteram versus apicem; scopulae sub-ferrugineo-nigrae, in tarsis clariores; aculei nigri. *Abdomen,* quod in fundo obscure fuscum videtur, pube densissima pallide ferruginea et albicanti-cinerea tectum est et pilis pallide vel testaceo-ferrugineis sub-hirsutum,

ita ut pallide vel luteo-ferrugineum evadat, vittis paucis recurvis albicanti-cinereis (minus evidentibus) praesertim posterius, et punctis 4 fuscis in trapezium dispositis anterius in dorso notatum. Venter testaceo-cinereus, plaga magna obscure ferrugineo-fusca (vel vittis transversis duabus ejusdem coloris, rima genitali divisis) antice ornatus, cujus in medio vulva ferrugineo-fusca locum tenet; postice, ante mamillas, aliam plagam magnam subtriangulam ejusdem coloris ostendit, cujus apex retro directus est; spatium testaceo-cinerascens inter has duas plagas vittam latam transversam in medio ventris format. *Mamillae* pallide ferrugineae.

Lg. corp. 26 $^1/_2$; lg. cephaloth. 12 $^1/_2$, lat. ej. 9 $^2/_3$, lat clyp. 6; lg. abd. 14 $^1/_2$, lat. ej. 10 millim. Ped. I 52, II 51 $^1/_2$, III 39, IV 45 millim. longi; pat. + tib. IV 14 $^2/_3$ millim. Mandib. 5 $^1/_2$ millim. longae.

Doria et Beccari feminam unam ad Sarawak in ins. Borneo invenerunt.

Gen. **Sarotes** (SUND.), 1833.

185. **S. ornatus** (Thor.).

Syn.: 1877. *Palystes ornatus*, Thor., Studî, *cet.*, I, Ragni di Selebes, loc. cit., p. 488 (188).
1878. *Sparassus ornatus*, id., ibid., II, Ragni di Amboina, loc. cit., p. 191.
1880. *Olios ornatus*, Sim., Rév. de la fam. d. Sparassidae, *in* Actes de la Soc. Linn. de Bordeaux, 1880, p. (79).

In Celebes, ad Kandari, inventa fuit haec species, quam primum perperam ad gen. *Palystem,* L. Koch, dein — quo tempore cum Cel. Simon credebam, *Sarotem* cum *Sparasso* esse conjungendum — ad hoc ultimum genus retuli. — Gen. *Olios* (Walck.), Sim., vix a *Sarote* distinguendum mihi videtur.

Non tantum exemplum junius, ut credit Cel. Simon (loc. cit.), verum etiam marem adultum hujus araneae descripsi.

†. **S. ferox**, n., *niger vel piceus, cephalothorace saltem ad magnam partem pube tenui flaventi tecto, pedibus quoque saltem ad partem pube flava vestitis, femoribus subter olivaceo-pubescen-*

tibus, tibiis subter annulis basali et medio olivaceis munitis, scopulis nigricanti-olivaceis; abdominis dorso (cum declivitate antica) pube flava tecto, et vitta transversa marginali antica figuraque media paene V- *vel* Y-*formi nigris et nigro-olivaceo-pubescentibus ornato, lateribus abdominis posterius hujus nigro-olivacei coloris quoque, anterius vero flavis, ventre secundum medium nigro-olivaceo, in lateribus anterius flavo- et nigro-variato.* — ♀ ad. *Long. circa* 19 *millim.*

Femina. — *Cephalothorax* aeque longus et latus est, tibiam cum dimidia patella 4.ⁱ paris longitudine aequans, in lateribus partis thoracicae ample et antice leviter, praeterea vero fortiter rotundatus, utrinque apud palpos modice sinuato-angustatus, parte cephalica tum lateribus brevibus et rectis anteriora versus vix vel parum angustata, fronte leviter rotundata, latitudine dimidiam partis thoracicae latitudinem paullo superanti. Altus est cephalothorax et praesertim anterius transversim fortiter convexus, dorso a latere viso a margine postico usque paullo ante medium sensim modice assurgenti et leviter convexo, dein fortius convexo et, anterius, sat fortiter proclivi, declivitate postica a reliquo dorso parum distincta; facies a fronte visa supra fortiter convexa est, clypei altitudo diametrum oculi medii antici non aequat. Impressiones cephalicae levissimae, postice non coëuntes; sulcus ordinarius centralis fortis et sat longus, tarso 4.ⁱ paris non multo brevior, fere in medio cephalothoracis initium capiens. Posterius in parte cephalica foveolas duas levissimas video; praeterea laevis est cephalothorax, pube tenui vestitus. Series duae *oculorum* extremitatibus paullulo inter se appropinquant; series postica paene quadrupla diametro oculi lateralis postici longior est quam series antica, quae a fronte visa recta est, vix deorsum curvata; series postica desuper visa ea quoque recta est, a fronte visa modice deorsum curvata. Area, quam formant oculi 4 medii, non parum latior est postice quam antice, paullo latior postice quam longior. Oculi antici plane eadem magnitudine esse videntur, laterales mediis saltem non majores; oculi medii postici mediis anticis non parum minores sunt et paullo minores quam laterales postici, qui latera-

libus anticis paullo sunt minores. Spatium inter oculos medios anticos dimidiam eorum diametrum non multo superat; a lateralibus anticis modo paullulo longius quam inter se distant hi oculi, a mediis posticis vero spatio diametrum oculi medii antici aequanti. Intervallum inter oculos binos laterales, qui callo humili communi impositi sunt, aeque saltem magnum est ac spatium, quo distant medii antici a mediis posticis. Spatium inter oculos medios posticos duplam eorum diametrum saltem aequat: a lateralibus posticis vix vel parum longius quam inter se remoti sunt hi oculi. *Sternum* vix longius quam latius, cordiformi-triangulum fere, antice late emarginato-truncatum; planum est, laeve, nitidum, pilosum et pubescens.

Mandibulae patellas 2.[i] paris longitudine aequant, femoribus hujus paris non parum crassiores; paene duplo longiores quam latiores sunt, directae, parallelae, intus fere a medio ad apicem sensim paullo rotundato-angustatae, latere exteriore ad longitudinem versus basin recto, versus apicem levissime rotundato (convexo); in dorso sat fortiter convexae sunt, laeves, tuberculo oblongo ad basin lateris exterioris. Sulcus unguicularis antice intus 2, postice 5 dentibus armatus est. *Maxillae* paene parallelae, fere ovatae, convexae, apice fortiter rotundato intus oblique truncato; paene duplo longiores quam latiores sunt, labio plus duplo longiores. *Labium* duplo latius quam longius, semi-circulatum. *Palpi* mediocres; pars patellaris plus dimidio, paene duplo longior est quam latior, pars tibialis plus duplo longior quam latior. *Pedes* mediocri longitudine, femoribus exceptis sat graciles; metatarsi et tarsi scopula densa et lata muniti sunt. Patellae aculeis carent; supra tibiae nullum aculeum ostendunt. *Abdomen* pulchre ovatum, antice sub-truncatum. Area *vulvae* magna oblonga cornea postice in formam trianguli angusti incisa est, fundo hujus incisurae sive foveae flavo. *Mamillae* brevissimae.

Color. — *Cephalothorax* in fundo piceo-niger est, pube tenui appressa sericea flaventi aequaliter (?) vestitus, remanentibus in nostro exemplo detrito vestigiis pubescentiae obscure olivaceae inter et prope oculos, quae pubescentia vittam transversam frontalem formasse videtur. *Sternum* nigrum, pilis fuligineis

sparsum et sub-olivaceo-pubescens. *Mandibulae* nigrae, colorem cyaneum parum sentientes, macula triangula rubra ad basin lateris exterioris; pilis nigris sparsae sunt et, ut maxillae, apice rufo-ciliatae. *Maxillae* et *labium* nigra, apice pallidiora. *Palpi* nigri, nigro-pilosi et paullo flaventi-pubescentes, parte tarsali pilis brevioribus densis olivaceo-fuligineis vestita. *Pedes* picei vel nigri pube flaventi ad maximam partem vestiti fuisse videntur (supra in nostro exemplo plane detriti sunt); subter tamen femora cum coxis ad magnam partem sub-olivaceo-pubescentia sunt, et tibiae saltem subter annulum basalem latiorem et medium angustiorem e pube olivacea formatos habent, praeterea subter pube flaventi vestitae. Scopulae nigro-olivaceae. *Abdomen* in fundo nigrum est, dorso cum declivitate antica pube flava ad maximam partem vestito, exceptis vitta transversa marginali antica nigra et figura longa angusta fere V- vel Y-formi nigra secundum medium dorsi extensa, hac figura et vitta illa pube nigro-olivacea tectis: in lateribus posterius et supra anum eodem colore (nigro-olivaceo) est abdomen, antice vero latera ejus (cum lateribus ventris) oblique flava sunt et paullo nigro-variata. Ante rimam genitalem saltem in lateribus venter olivaceo-pubescens est, area vulvae picea, fovea (incisura) ejus flava; pone rimam secundum medium late niger et obscure olivaceo-pubescens est venter, in lateribus, saltem anterius, ut diximus, oblique flavus et nigro-variatus.

Lg. corp. 19; lg. cephaloth. 9, lat. ej. 9, lat. clypei 5 $^1/_4$; lg. abd. 11, lat. ej. 7 $^1/_2$ millim. Ped. I?, II saltem 38 (sine tarso 35 $^1/_2$), III circa 29 (sine tarso 26 $^1/_2$), IV 31 millim. longi; pat. + tib. IV paullo plus 10; tib. II 9 $^1/_4$ millim.

Feminam singulam valde detritam et mutilatam possideo, a Cel. Van Hasselt dono mihi datam. Patria ejus ignota est; verisimiliter aut in India Neërlandica, aut in Australia est capta.

Gen. **Theleticopis**, Karsch, 1884 (1).
(= *Themeropis*, L. Koch, Thor., *olim*) (2).

186. **Th. orichalcea** (Sim.), *in fundo nigra vel nigro-picea, cephalothorace et abdomine pube densa sulphurea vel olivaceo-flava tectis, pedibus pube tenuiore olivaceo- vel ferrugineo-flaventi vestitis; cephalothorace fere* $^1/_4$ *longiore quam latiore, tibiam cum patella* 4.i *paris longitudine superanti, pedibus* 4.i *paris reliquos longitudine paullo superantibus; patellis non aculeatis* (*tibiis supra aculeis carentibus*). — ♀ ad. *Long. circa* 29 $^1/_2$ *millim.*

Syn.: 1880. *Themeropis orichalcea*, Sim., Révis. de la fam. d. Sparass., *in* Actes de la Soc. Linn. de Bordeaux, 1880, p. 116 (= ♂).
1882. » » , Van Hass., Midden Sumatra, *cet.*, Aran., p. 40, Pl. V, fig. 3-5.

Femina. — *Cephalothorax*, ad longitudinem et transversim fortiter convexus, aeque longus ac tibia cum patella 1.i paris; clypei latitudo $^2/_3$ latitudinis partis thoracicae saltem aequat. Series *oculorum* postica desuper visa paene recta, modo omnium levissime procurva; series antica a fronte visa leviter deorsum curvata. Area mediorum oculorum non parum latior postice quam longior, et paullo latior postice quam antice. Oculi medii antici reliquis non parum (lateralibus anticis fere dimidio, mediis posticis duplo) majores sunt; laterales postici mediis posticis paullulo majores, lateralibus anticis paullulo minores. Spatium inter oculos medios anticos eorum diametro paullo majus est; a lateralibus anticis paene duplo longius quam inter se distant hi oculi. Oculi medii postici spatio sunt sejuncti, quod quadruplam eorum diametrum fere aequat; a lateralibus posticis non parum longius quam inter se remoti sunt.

Mandibulae, plus dimidio longiores quam latiores, fortissimae sunt, in dorso fortissime (paene geniculato-) convexae, tibias

(1) *In* Greeff, Die Fauna der Guinea-Inseln S. Thomé und Rolas, *in* Sitzungsber. d. Gesellsch. zur Beförd. d. gesammt. Naturwissensch. zu Marburg, 1884, p. 65.
(2) *Themeropis*, Pascoe (Coleopt.) 1874.

3.ii paris longitudine aequantes. *Pedes* breves et robusti, aculeis sat brevibus appressis armati; patellae aculeis carent, ut tibiae supra. In pedibus 1.i paris femora antice 1. 1. 1. aculeos obliquos habent, et 1. 1. aculeos supra, tibiae modo 9 aculeos, in series duas, subter, ordinatos, 5 intus, 4 extus; metatarsi ad basin subter 2. aculeos ostendunt. Scopulae densae, angustae, et saltem in pedibus 4 anterioribus completae; in metatarsis 4.i paris modo apicem internodii occupant. *Abdomen* lanceolato-ovatum fere. *Vulva* cornea ex fovea sat magna, breviter ovato-triangula, antice rotundata, postice sub-acuminata et aperta, praeterea vero limbo lato sed humili limitata constat, quae septo longitudinali sat angusto in duas divisa est, apicibus septi et limbi usque ad rimam genitalem productis; utrinque in vulva, apud septum, anterius, costa brevis sive elevatio longitudinalis conspicitur.

Color. — *Cephalothorax* in fundo niger est, pube densa crassa sulphurea tectus et pilis erectis non longis ferrugineis dense sparsus. *Sternum* nigrum, pilis ferrugineo-fuscis dense conspersum. *Mandibulae* nigrae, pilis fortibus sat longis et densis ferrugineo-rubris sparsae, apice pulchre rubro-ciliatae. *Maxillae* et *labium* nigra, apice ferruginea et rufo-ciliata. *Palpi* picei, pube ferrugineo-fusca, apicem versus densissima et clariore (summo apice aureo-testaceo fere) vestiti. *Pedes* nigro-picei, coxis subter nigris, tarsis ferrugineo-fuscis; pube tenui olivaceo-testacea et pilis brevioribus sub-ferrugineis vestiti sunt, ita ut sordide olivaceo- vel sub-ferrugineo-flaventes videantur; coxae subter obscure ferrugineo-fusco-pilosae sunt, scopulae pallide ferrugineo-olivaceae; aculei nigri. *Abdomen*, quod in fundo nigricans videtur, superius pube crassa densa olivaceo- vel virescenti-flava tectum est; venter, ante rimam genitalem piceus, pube et pilis brevibus ferrugineo-fuscis saltem ad partem, secundum medium, vestitum fuisse videtur. *Mamillae* piceae, apice pallidae, pallide ferrugineo-pilosae et pubescentes.

Lg. corp. 29 $^1/_2$; lg. cephaloth. 12 $^1/_2$, lat. ej. 10, lat. clyp. 7; lg. abd. 16 $^1/_2$, lat. ej. 10 $^1/_2$ millim. Ped. I 34, II 33 $^1/_2$, III 27, IV 34 $^1/_2$ millim. longi; pat. + tib. IV 12 millim. Mandib. paullo plus 6 millim. longae.

Non dubito, quin sit haec aranea, quam ad Sarawak ins. Borneo ceperunt Cel. Doria et Beccari, femina maris illius ex Borneo et Sumatra, quem sub nomine *Themeropis orichalceae* locis supra cit. descripserunt Simon et Van Hasselt: caret quidem aculeo, quem supra in tibiis 4.[i] paris habet mas ille, sed haec nota in Heteropodoidis quibusdam nullius momenti videtur. Marem *Th. orichalceae* possideo, quem dono mihi dedit Cel. Van Hasselt, sed cujus patria ignota est; palpi ejus optime cum descriptione a Simon data convenit. — *Th. orichalceam,* Van Hass. (loc. cit.), antea (Stud., *cet.*, IV, vol. I, p. 34) propriam speciem credidi, sed verisimiliter non recte.

Gen. **Holconia**, Thor., 1877.

187. **H. Beccarii**, n., *cephalothorace et abdomine pube densa olivaceo- vel ferrugineo-testacea tectis; oculis lateralibus anticis mediis anticis circa dimidio majoribus, mediis posticis saltem dimidio minoribus quam sunt medii antici; pedibus supra dense olivaceo- vel ferrugineo-testaceo-pubescentibus et -pilosis, apice paullo obscurioribus, scopulis nigris; femoribus supra vittis transversis tribus nigris et punctis nonnullis albicantibus notatis, subter vero dense nigricanti-pilosis; tibiis longius pilosis, subter ferrugineo-luteis et basi apiceque late nigris; ventre sub-olivaceo- vel ferrugineo-testaceo, lineis quatuor longitudinalibus nigris notato.* — ♀ ad. *Long. circa* 34 *millim.*

Femina. — *Cephalothorax* parum longior quam latior, non parum brevior quam tibia cum patella 4.[i] paris, tibiam 2.[i] paris longitudine aequans, inverse cordiformi-orbiculatus fere, in lateribus partis thoracicae fortiter et aequaliter rotundatus, utrinque ad insertionem palporum modice sinuato-angustatus, postice sat late truncatus et, in medio, paullulo emarginatus, fronte truncata, latitudine clypei dimidiam partis thoracicae latitudinem paullo superanti. Humilis est cephalothorax, supra planus, lateribus modo versus margines laterales declivibus et leviter transversim convexis; a latere visum dorsum ejus ante declivitatem posticam (quae modice declivis et paene recta est et $^1/_4$ reliqui

dorsi longitudine vix superat) paene usque ad oculos libratum est et paene rectum, inter partes thoracicam et cephalicam tamen omnium levissime depressum, hac parte levissime convexa. Area oculorum modice proclivis est, clypeus praerupte proclivis; spatium inter marginem ejus et oculos laterales anticos horum diametrum vix vel parum superat. Utrinque, sub oculis binis lateralibus, fortiter et oblique impressa est pars cephalica, ita ut area oculorum elevata videatur, vel potius ut oculi, praesertim laterales, elevationi communi impositi dici possint; impressiones cephalicae et radii partis thoracicae distinctissimi sunt; sulcus ordinarius centralis longus (tarsis multo longior), postice angustus et in declivitatem posticam pertinens, anterius sensim paullo dilatatus. Pars cephalica sulcum medium longitudinalem latiorem sed levissimum ostendit quoque. *Oculorum* series postica plus dupla, fere tripla oculi lateralis diametro longior est quam series antica, desuper visa sat leviter recurva; series antica a fronte visa sat leviter deorsum est curvata: linea recta oculos laterales anticos supra tangens medios anticos paullo sub margine superiore secat. Area oculorum mediorum parum longior est quam latior postice, non parum latior postice quam antice. Oculi laterales antici, reliquis majores, lateralibus posticis modo paullulo, mediis anticis fere dimidio majores sunt; medii postici, qui reliquis minores sunt et, ut in multis aliis Heteropodoidis, supra in medio plani, mediis anticis saltem dimidio, lateralibus posticis paene duplo minores sunt. Spatium inter oculos binos laterales, quorum posticus tuberculo amplo sed humili extus est impositus, circa dimidio majus est quam diameter oculi maximi et quam spatia, quibus medii antici a mediis posticis distant: haec spatia paullo minora sunt quam spatium inter oculos medios posticos. Spatium inter oculos medios anticos dimidiam eorum diametrum fere aequat, et paullo majus est quam intervallum, quo a lateralibus anticis distant. Oculi medii postici spatio sunt sejuncti, quod eorum diametro plus dimidio, paene duplo majus est: a lateralibus posticis paene dimidio longius quam inter se distant hi oculi. *Sternum* paullo longius quam latius, antice latissime et leviter emarginatum,

postice sat breviter acuminatum, lateribus sat leviter rotundatis.

Mandibulae patellas 1.ⁱ paris longitudine paene aequant, plus dimidio longiores quam latiores, femoribus anticis paullo latiores; cylindrato-ovatae fere sunt, in dorso fortissime, sub-geniculato-, convexae, angulo basali interiore depresso. Sulcus unguicularis postice dentibus 4 fortibus armatus est, antice, intus, dentibus 3 minoribus. *Maxillae* duplo longiores quam latiores, versus basin paullo latiores, in labium levissime inclinatae, eo plus duplo longiores (labium apice tamen modo ad $^1/_3$ longitudinis maxillarum pertinet); in medio extus paullo constrictae sunt, impressione media praeditae, apice extus brevius et oblique rotundato-truncatae, apice intus longius et magis oblique truncatae. *Labium* paullo latius quam longius, apicem late truncato-rotundatum et nitidum versus sensim paullo angustatum. *Palpi* breviores: partes patellaris, tibialis et tarsalis cum $^1/_3$ partis femoralis cephalothoracem longitudine aequant. *Pedes* sat longi et robusti; pedes 3.ⁱⁱ paris pedes 4.ⁱ paris longitudine non parum superant (num ita in mare quoque?). Omnes pedes scopulis latis, densis et completis muniti sunt; aculei sat parvi. Patellae 4 anteriores aculeum parvum postice habent; tibiae posteriores supra aculeis carent. In pedibus 1.ⁱ paris femora supra 1. 1., antice 1. 1. 1., tibiae subter ut videtur 2. 2. 2. 2., antice 1. 1., postice 1. aculeos (propter pilositatem densam difficiles visu) habent, metatarsi subter 2. 2. aculeos. *Abdomen* inverse et breviter ovatum fere, antice truncatum. *Vulva* ex area sat magna cornea inverse subovata postice truncata fusca constat, quae ad maximam partem, postice, elevata, paullo inaequalis et paullo convexa est et hic sulcos duos tenues longitudinales leviter foras curvatos ostendit, antice vero foveam profundam fere semicirculatam pallidam format, septo angusto in duas divisam.

Color in universum ex pube et pilis densis pendet, quibus vestita est aranea. — *Cephalothorax*, in fundo nigro-piceus, pube crassa densa olivaceo- vel sub-ferrugineo-testacea totus est tectus: inter oculos magis ferruginea est haec pubescentia, ut in clypeo, qui rufo-ferrugineo-pilosus quoque est; ad margines pilis lon-

gioribus colore pubescentiae sub-hirsutus est cephalothorax. *Sternum* nigrum, fuligineo-pilosum, ut coxae subter, quae nigro-piceae sunt. *Mandibulae* nigrae, dense ferrugineo-rubro-pilosae, apice rubro-ciliatae. *Maxillae*, ut *labium* nigrae, nitidae, apice ferrugineo-rubrae et rufo-ciliatae sunt. *Palpi* picei, pube densa et pilis tecti, ita ut basi olivaceo-testacei, dein sensim obscuriores, in parte tarsali fuliginei evadant. *Pedes* in fundo picei quoque, pube densa sat tenui et, praesertim in patellis et tibiis, pilis longioribus tecti et sub-hirsuti: supra olivaceo- vel sub-ferrugineo-testacei itaque sunt, apice paullo obscuriores, femoribus vittis vel maculis transversis ternis nigricantibus et punctis nonnullis albicantibus, quibus aculei insistunt, notati; femora et patellae subter nigra, densissime nigro-pilosa (his pilis nigris colorem olivaceum vel aeneum sentientibus), excepto in pedibus 4.[i] paris, ubi pili ad partem sub-fulvi sunt; tibiae subter ferrugineo-luteae, vittis duabus transversis nigris ornatae, basali minus lata, apicali latissima; metatarsi et tarsi subter scopulis nigris tecti. Aculei nigri. *Abdomen* in fundo nigricans videtur; supra pube crassa densa ferrugineo- et cinerascenti-testacea tectum est, remanentibus nigris punctis 4 magnis impressis; posterius magis ferrugineum et ferrugineo-pilosum est, in lateribus anterius magis cinerascens. Venter ante rimam genitalem magis fuligineus, praeterea ferrugineo- vel sub-olivaceo-testaceus, lineis quattuor longitudinalibus nigris a rima genitali versus mamillas ductis et anteriora versus divaricantibus notatus. *Mamillae* piceae.

Lg. corp. 34; lg. cephaloth. paene 16, lat. ej. 15, lat. clyp. 8 $^1/_2$; lg. abd. 18 $^1/_2$, lat. ej. 12 millim. Ped. I 57 $^1/_2$, II 64, III 52 $^1/_2$, IV 50 $^1/_2$ millim. longi; pat. + tib. IV 17 $^1/_2$ millim.

Feminam singulam pulchrae hujus speciei ad Sungei Bulu Sumatrae invenit Cel. Beccari.

Gen. **Libania** (1), n.

Cephalothorax paullo longior quam latior, inverse cordiformis fere, fronte truncata, non lata; plerumque altus est, dorso a

(1) Λιβάνιος est nom. propr. pers.

latere viso in parte thoracica sensim assurgenti, in parte cephalica, quae longior et altior est, arcuato-convexo; clypeus sat altus, altitudine tamen spatium inter oculos medios anticos et posticos non aequans.

Oculi in duas series transversas paene parallelas et sat longe disjunctas dispositi; series postica recurva, longior et paullo fortius curvata quam antica, quae paullo sursum est curvata. Oculi laterales, praesertim antici, magni, oculi medii iis multo minores. Area oculorum mediorum saltem aeque longa ac lata postice, latior postice quam antice; spatium inter oculos medios anticos minus est vel saltem vix majus quam spatium, quo hi oculi a lateralibus anticis distant.

Mandibulae paene directae, ovato-cylindratae fere, sulco unguiculari et antice et postice denticulato.

Maxillae porrectae, parallelae, anguste ovatae.

Labium aeque saltem longum ac latum, maxillis duplo brevius, apice truncatum.

Pedes ita: II, I (I, II), IV, III, longitudine se excipiunt; plerumque graciles et sat breves sunt, aculeis crebris muniti, qui praesertim magis versus basin tibiarum anticarum (in medio paullo angustatarum) et in femoribus anticis sub-erecti et divaricantes sunt. Pedes anteriores posterioribus pedibus circa dimidio longiores. Unguiculi tarsorum sat debiles, non longi, dorso basi excepta deorsum curvato, pectinato-dentati. Scopulis et fasciculis unguicularibus carent pedes.

Abdomen breviter et inverse orbiculato-ovatum, vel sub-ovatum, modice convexum, ut pedes minus dense pubescens, vel setulosum.

Mamillae breves, superiores et inferiores aeque fere longae, art. 2.° brevissimo.

Typus: *L. scabricula,* n.

Species paucae mihi cognitae hujus generis ad habitum in universum *Philodromis* sat similes sunt, structura mandibularum, cet., ab iis tamen longe remotae. Tibiis a medio basin et apicem versus sensim paullo incrassatis, et anterioribus earum in dimidio basali aculeis divaricantibus paene erectis (praeterea

vero appressis aculeis) armatis, scopulis et fasciculis unguicularibus nullis, cet., in familia Heteropodoidarum notabile videtur genus *Libania*.

188. **L. scabricula**, n., *cephalothorace ferrugineo-piceo, pube sub-lutea et granulis minutis sat dense consperso; oculis mediis posticis anticos minutos magnitudine non superantibus, oculis mediis anticis spatio disjunctis, quod triplam eorum diametrum saltem aequat; pedibus piceis, anterioribus obscurioribus, femoribus apice anguste et basi latius testaceo-rufis, femoribus anterioribus granuloso-scabris; abdomine nigro, linea longitudinali abbreviata cinereo-testacea anterius in dorso maculisque inaequalibus ejusdem coloris supra et in lateribus notato et variato.* — ♀ ad. *Long. circa* 5 $^3/_4$ *millim.*

Var. β, sulcata, *oculis mediis anticis spatio disjunctis, quod eorum diametro modo dimidio-duplo majus est; maculis abdominis fusco-testaceis in duas series longitudinales ordinatis, lineolam vel fasciam abbreviatam ejusdem coloris antice includentes; praeterea ut in forma principali est dictum.* — ♂ ad. *Long. circa* 4 $^1/_2$ *millim.*

Femina. — *Cephalothorax* paullo longior quam tibia 1.ⁱ paris vel quam tibia cum patella 4.ⁱ paris, paullo longior quam latior, in lateribus partis thoracicae fortiter et aequaliter rotundatus, utrinque ad (ante) coxas 1.ⁱ paris sat fortiter angustato-sinuatus, lateribus partis cephalicae magnae paene rectis anteriora versus sensim paullo angustatus, fronte inter oculos medios anticos, cum his oculis, desuper visa ante reliquam frontem paullo prominenti et truncata vel potius levissime excavata; postice in medio emarginatus est, angulis fortiter rotundatis; latitudo clypei $^2/_5$ latitudinis maximae cephalothoracis aequat. Altus et ad longitudinem et transversim fortiter convexus est cephalothorax, dorso a latere viso a margine postico, in parte thoracica brevi, sat fortiter assurgenti et modo levissime convexo, dorso partis cephalicae primum eodem modo assurgenti, pone (et praesertim fortiter inter) oculos proclivi, undique et sat aequaliter convexo, clypeo paene directo. Clypeus altus est: spatium inter

marginem ejus et oculos laterales anticos horum diametro saltem dimidio est majus; spatium inter marginem ejus et oculos medios anticos non parum minus est, multoque minus quam spatium inter oculos medios anticos et posticos. Impressiones cephalicae, parum profundae, in foveam oblongam sat profundam, posteriora versus sensim angustatam et in declivitatem posticam pertinentem coëunt: opacus et granulis minutis sat densis, ad partem in series radiantes ordinatis sparsus est cephalothorax, pube brevi crassa rara vestitus et setis pilisque nonnullis sub-erectis conspersus, his pilis in margine clypei paullo densioribus. Area *oculorum* maximam partem latitudinis frontis occupat. Oculi laterales magni sunt, mediis minutis multis partibus majores: antici eorum posticis paullo sunt majores; medii antici mediis posticis paullo majores quoque. Series oculorum postica, dupla oculi lateralis diametro longior quam antica, desuper visa sat fortiter recurva est, series antica a fronte visa paullo minus fortiter sursum curvatur: linea recta oculos medios anticos supra tangens laterales anticos paullo supra marginem inferiorem secat. (Quum desuper inspicitur cephalothorax, oculi medii antici vix visibiles sunt). Area oculorum mediorum paene quadrata, aeque longa ac lata postice, modo paullulo latior postice quam antice. Oculi medii antici, spatio oculi diametro fere 4.plo majore sejuncti, vix longius inter se quam a lateralibus anticis distant; medii postici paullo longius a lateralibus posticis quam inter se remoti sunt. Spatium inter oculos binos laterales, quorum posticus eminentiae evidenti extus, postice, est impositus, paullo minus est quam spatia inter medios anticos et posticos, sed diametro oculi lateralis non parum, vix vero dimidio, majus. *Sternum* paullo longius quam latius, cordiformi-ovatum fere, antice minus late emarginatum, postice sat breviter acuminatum, dense et sat crasse impresso-punctatum, paullo pilosum.

Mandibulae paene directae, femoribus anticis paullo crassiores, patellis anterioribus non parum longiores, plus duplo longiores quam latiores, cylindrato-ovatae fere, extus leviter rotundatae, apice intus valde oblique truncatae ideoque sensim angustatae,

in dorso ad longitudinem magis versus basin fortiter convexae, versus apicem vero rectae, crasse et sat dense scrobiculato-punctatae, pilisque sparsae; sulcus unguicularis, antice dense ciliatus, praeterea et antice et postice dentibus 2-3 mediocribus armatus est. Unguis sat brevis et fortis. *Maxillae* porrectae, modo latere interiore in labium inclinatae paullulοque incurvae; saltem duplo longiores quam latiores sunt, a basi angusta sensim dilatatae, anguste ovatae fere, apice intus truncatae. *Labium* maxillis duplo brevius, sub-quadratum, paullulo longius tamen quam latius, lateribus anterius rotundatis, apice sat late truncato. *Palpi* graciles, parte tibiali saltem duplo longiore quam latiore; pubescentes sunt et setis aculeisque paucis gracilibus instructi. Unguiculus sat debilis, dentibus 5 gradatim longioribus dense pectinatus. *Pedes* solito graciliores, sat breves, anteriores non ita multo longiores quam posteriores, 2.ⁱ paris cephalothorace fere 3 $^1/_2$ longiores. Femora anteriora granuloso-scabra sunt, praesertim subter et antice; coxae anteriores, ut femora posteriora, subter paullulo scabrae quoque. Tibiae anteriores in medio paullo angustiores sunt, a medio ad apicem sensim incrassatae. Pube sat rara tenui vestiti sunt pedes et aculeis multis armati, scopulis et fasciculis unguicularibus carentes. Aculei graciles sunt, praesertim in pedibus posterioribus, plerique paene erecti et fortiter divaricantes (ita praesertim in femoribus anterioribus, ubi, anterius, tuberculis parvis sunt impositi et, ut in tibiis anterius, sat longi et fortes sunt); in metatarsis tamen, ut in tibiis versus apicem, appressi sunt aculei. Metatarsi modo subter et in lateribus aculeati, femora etiam supra (ut tibiae versus basin). Unguiculi tarsorum sat debiles, non longi, modo basi recti, praeterea deorsum curvati, apice sat brevi, dentibus crebris densis longis et gradatim longioribus (in pedibus 1.ⁱ paris 10-11) pectinati. *Abdomen* modice convexum, paullo longius quam latius, breviter et inverse rotundato-ovatum, latitudine maxima non parum pone medium (circa ad $^2/_3$ longitudinis) sita, apice breviter acuminato; setulis sat densis brevibus vestitum est et setis sub-erectis longis raris sparsum, subter densius et minus crasse pubescens. *Vulva* ex

maculis (foveolis?) duabus minutis transversis nigris, spatio diametro sua minore sejunctis constat, quae posterius in area rotundata transversa fusca positae sunt.

Color. — *Cephalothorax* ferrugineo-piceus, declivitate postica paullo clariore; pube brevi sub-lutea et pilis longis nigris et, praesertim in clypeo, pallidis sparsus est. *Sternum* et *labium* piceo-ferruginea, *mandibulae* et *maxillae* magis ferrugineae, illae pilis sub-testaceis conspersae, sulco unguiculari luteo-ciliato. *Palpi* sub-ferruginei. *Pedes* picei (posteriores anterioribus paullo clariores), coxis et trochanteribus rufescenti-testaceis, basi femorum in pedibus posterioribus latius, in anterioribus pedibus anguste rufescenti-testacea quoque; etiam summus apex femorum cum patellis paullo clarior videtur. Pube pallida muniti sunt pedes et aculeis ferrugineis armati. *Abdomen* nigrum, maculis valde inaequalibus et inter se plus minus confluentibus pallide fusco-testaceis in dorso et in lateribus variatum, quarum una lineam mediam longitudinalem anterius in dorso format, dum maculae dorsi pone eam in vittas transversas inaequales confusae sunt; pube crassa luteo-testacea vel potius setulis brevibus sat densis hujus coloris setisque longioribusque raris nigris vestitum est dorsum. Venter secundum medium pallidior, fuligineo-testaceus, cinereo-testaceo-pubescens. *Mamillae* testaceo-cinereae.

MAS Var. β, sulcatae (an propriae speciei?). — *Cephalothorax* anteriora versus sensim fortius est angustatus quam in femina formae principalis jam descripta, latitudine clypei parum plus dimidiam latitudinem partis thoracicae aequanti: ante oculos laterales posticos frons sensim, non abrupte, angustior evadit. Sulcus centralis latus longior et magis aequalis est quam in femina formae principalis. Pars cephalica antice sulcum medium longitudinalem tenuem ostendit, qui fere inter oculos medios anticos initium capit et paullo pone oculos posticos desinit: hujus sulci vestigium vix in forma principali (♀) adest. *Oculi* paullo majores quam in ea videntur; area mediorum circa dimidio latior est postice quam antice; oculi medii antici, spatio duplam diametrum oculi non aequanti disjuncti, non parum longius a

lateralibus anticis quam inter se distant. *Mandibulae* extus paene rectae (parum rotundatae), in dorso leviter convexae, patellis anticis parum longiores. *Palpi* sat breves, non graciles, clava sat parva, femoribus anticis angustiore; pars patellaris paene dimidio longior est quam latior, pars tibialis ea brevior paulluloque latior, paullo modo longior quam latior, basin versus sensim paullo angustata; in medio lateris exterioris spina vel calcari forti acuminato paullo incurvo, anteriora versus et foras directo armata est, cujus longitudo latitudinem maximam partis tibialis aequat. Pars tarsalis lanceolata est, prioribus internodiis duobus conjunctis non parum longior, parte tibiali circa dimidio latior, fere duplo et dimidio longior quam latior. Bulbus subovatus, modice altus, posterius convexus et laevis, antice spina incurva circumdatus; e medio longitudinis, subter, duas spinas porrectas appressas sub-parallelas emittit, quarum interior (media) longa et paullo incurva est et duplo longior quam exterior, cujus summus apex sub-tortuosus videtur. *Pedes* paullo longiores et graciliores quam in femina, magis subtiliter granuloso-scabri. *Abdomen* ovatum, postice acuminatum. Praeterea a femina formae principalis parum ad structuram differt hic mas.

Color quoque parum ab illius colore differt. *Cephalothorax* et *mandibulae* picea sunt, *palpi* ferrugineo-rufi. *Pedes* anteriores testaceo-ferruginei, femoribus, apice excepto, nigris, coxis et trochanteribus rufo-fuscis; pedes posteriores sordide testacei, femoribus apice paullo nigricantibus. *Abdomen* nigrum, in dorso anterius fascia media longitudinali abbreviata testacea notatum, et praeterea maculis nonnullis ejusdem coloris, in series duas longitudinales secundum dorsum digestis; posteriores harum macularum transversae sunt et, pone fasciam illam, in vittas transversas coalitae.

♀. — Lg. corp. $5\,^3/_4$; lg. cephaloth. paullo plus $2\,^1/_2$, lat. ej. $2\,^1/_4$, lat. clyp. $1\,^1/_2$; lg. abd. $3\,^1/_3$, lat. ej. $2\,^5/_6$ millim. Ped. I paullo plus 8, II $8\,^1/_2$, III $6\,^1/_6$, IV $6\,^1/_3$ millim. longi; pat. + tib. IV $2\,^1/_4$ millim.

♂. — Lg. corp. $4\,^1/_2$; lg. cephaloth. $2\,^1/_4$, lat. ej. 2, lat. clyp. circa 1; lg. abd. $2\,^1/_3$, lat. ej. $1\,^2/_3$ millim. Ped. I 8,

II 8 $^1/_4$, III 5 $^3/_4$, IV paullo plus 5 $^3/_4$ millim. longi; pat. + tib. IV 2 millim.

Feminas duas adultas supra descriptas (formae principalis speciei) ad Tcibodas ins. Java cepit Beccari; Doria et Beccari aliam feminam valde mutilatam ad Sarawak (Borneo) invenerunt, quae nescio an ad Var. β, sulcatam, sit referenda; ♂ hujus a Beccari ad Ajer Mancior Sumatrae captus est.

189. **L. laevis**, n., *cephalothorace ferrugineo, paene laevi, testaceo-pubescenti; oculis mediis posticis mediis anticis plus duplo majoribus; pedibus non granulosis sed laevibus, ferrugineo- vel luteo-testaceis, a medio ad apicem sensim infuscatis, posterioribus nigro-annulatis; abdomine nigricanti, testaceo-pubescenti, maculis inaequalibus sub-testaceis supra notato, quae ordines duos postice inter se appropinquantes et lineolam longitudinalem sub-testaceam antice includentes secundum medium dorsi formant.* — ♀ ad. *Long. circa* 5 *millim.*

Femina. — Prioris, *L. scabriculae,* feminae ad formam simillima est haec aranea, his rebus tamen facile internoscenda. *Cephalothorax* antice paullo angustior est quam in ea, fronte ante oculos laterales anticos magis sensim, non ita abrupte, angustata; latitudo clypei dimidiam latitudinem partis thoracicae parum superat. Sat nitidus est cephalothorax, paene laevis, granulis minutissimis modo hic illic sparsus, pube sat tenui non densa vestitus. Spatium inter marginem clypei et oculos laterales anticos horum diametrum vix superat. Series *oculorum* postica saltem tripla oculi lateralis postici diametro longior est quam series antica. Oculi laterales antici lateralibus posticis non parum sunt majores; medii postici, lateralibus posticis saltem duplo minores, mediis anticis minutis plus duplo majores sunt; area mediorum, aeque longa ac lata postice, circa dimidio latior est postice quam antice. Oculi medii antici, spatio duplam oculi diametrum aequanti sejuncti, aeque circiter longe a lateralibus anticis atque inter se remoti sunt. Oculi medii postici, spatio oculi diametro triplo-quadruplo majore separati, paene aeque longe inter se atque a lateralibus posticis distant; spatium inter

oculos binos laterales diametro posterioris eorum fere duplo est majus. *Sternum* laeve, opacum, sat dense pubescens.

Mandibulae nitidae, paene laeves, modo subtiliter rugulosae et sub-punctatae, femora antica latitudine vix aequantes. *Pedes* laeves, non granuloso-scabri, modice robusti (robustiores quam in priore specie), tibiis anterioribus minus evidenter in medio angustatis; aculeis longioribus et fortioribus quam in priore, sed eodem fere modo ordinatis, armati sunt. Pedes 1.[i] et 2.[i] parium paene eadem longitudine sunt, cephalothorace parum plus triplo longiores. Pubes, qua vestitum est *abdomen*, tenuior est quam in priore specie. *Vulva* constat ex maculis duabus minutissimis rufo-ferrugineis, spatio diametro sua multo majore disjunctis et ad marginem posticum areae fuscae (vel macularum duarum majorum fuscarum) positis. Ceterum ad structuram vix a prioris femina differt *L. laevis*, ♀.

Color. — *Cephalothorax* et *partes oris* ferruginea, ille pube sat rara testacea vestitus et setis paucis nigris sparsus, hae pilis pallidis conspersae et apice luteo-ciliatae. *Sternum* ferrugineo testaceum, pallido-pubescens. *Palpi* ferrugineo-testacei. *Pedes* ferrugineo- vel luteo-testacei quoque, anteriores fere a medio ad apicem infuscati, apice nigricantes, posteriores annulis binis nigris in femoribus, tibiis et metatarsis praediti; pube rariore pallida et nigra vestiti sunt pedes et aculeis nigris et fuscis armati. *Abdominis* dorsum nigricans, anterius linea longitudinali abbreviata testacea notatum, et praeterea maculis inaequalibus testaceis, quae in series duas, fasciam illam antice includentes et posteriora versus appropinquantes digestae sunt. Pube sat rara testacea vestitum est dorsum abdominis et pilis longis erectis nigris sparsum; venter testaceo-fuligineus, dense pallido-pubescens. *Mamillae* flavo-testaceae.

Lg. corp. 5; lg. cephaloth. $2\,{}^3/_4$, lat. ej. paene $2\,{}^1/_2$, lat. clyp. paene $1\,{}^1/_2$; lg. abd. $2\,{}^2/_3$, lat. ej. paullo plus 2 millim. Ped. I $8\,{}^1/_4$, II $8\,{}^1/_4$, III $6\,{}^1/_4$, IV $6\,{}^1/_3$ millim. longi; pat. + tib. IV $2\,{}^1/_4$ millim.

Cel. Beccari singulam feminam in monte Singalang Sumatrae invenit.

190. **L. annulata**, n., *cephalothorace tibiam 1.i paris longitudine superanti, nigro, flavo-testaceo-pubescenti, granuloso; oculis mediis posticis medios anticos minutos magnitudine superantibus; pedibus nigro- et testaceo-annulatis, femoribus annulis binis trinisve nigris cinctis, tibiis annulo testaceo singulo, qui in pedibus anterioribus (non vero in posterioribus) lineâ nigrâ supra abruptus est, femoribus anterioribus granuloso-scabris; abdomine nigro, luteo-testaceo-setuloso, maculis et punctis testaceis plus minus variato, maculis nonnullis series duas longitudinales postice inter se appropinquantes secundum dorsum formantibus, quae series anterius lineolam vel maculas paucas parvas testaceas includunt.* — ♂ ♀ ad. *Long.* ♂ *circa* $4\,^1/_4$, ♀ *circa* $5\,^1/_2$ *millim.*

Femina. — *L. scabriculae*, ♀, iterum simillima, sed colore alio, praesertim pedum, sine negotio agnoscenda; ad formam his modo notis ab ea differre videtur. *Cephalothorax* paullo minus altus est quam in *L. scabricula*, ♀, sed eâdem formâ (fronte desuper visa tamen evidentius paullo excavata vel emarginata) et eodem modo granulosus, granulis in parte thoracica in series radiantes distinctissimas ordinatis; pubes, qua vestitus est, in parte thoracica radios sat densos format quoque, in parte cephalica lineas longitudinales minus distinctas et aequales. Spatium inter marginem clypei et oculos laterales anticos horum diametro parum majus est. Clypei latitudo dimidiam latitudinem partis thoracicae parum superat; impressiones cephalicae magis profundae mihi videntur quam in *L. scabricula*. *Oculi* medii in trapezium paullo longius quam latius postice et paene dimidio latius postice quam antice dispositi sunt; medii postici paullo sunt majores quam medii antici minuti (multo minores tamen quam in *L. laevi*), et lateralibus posticis circa triplo minores; spatium inter medios anticos, eorum diametro circa triplo majus, paullulo minus videtur quam id, quo a lateralibus anticis distant. Spatium inter oculos medios posticos, oculi diametro circa triplo majus, paullo minus est quam spatia inter eos et laterales posticos. *Sternum* dense et sat subtiliter scrobiculato-punctatum.

Mandibulae duplo longiores quam latiores, extus ad longitudinem vix vel parum rotundatae, in dorso sat dense scrobiculato- et

sub-granuloso-punctatae, nitidae, praesertim versus apicem, ubi modo subtiliter transversim ruguloso-striatae sunt; sulcus unguicularis dentes tres antice et saltem duos postice habet. *Palporum* pars tibialis duplo longior est quam latior. *Pedes* graciles, eodem modo atque in *L. scabricula* pubescentes et aculeati; pedes 2.ⁱ paris cephalothorace fere 3 $^1/_4$ longiores sunt, femora anteriora anterius dense et subtiliter granulosa, subter cum coxis minus evidenter granulosa, nitida. *Abdomen* setulis parvis tenuibus obtusis magis erectis sat densis est vestitum et setis longioribus paene erectis sparsum. *Vulva* ex maculis (tuberculis?) duabus minutis longis sub-triangulis nigris, spatio diametrum eorum longiorem aequanti separatis et in area fusca (ad marginem ejus posticum) positis constat. Praeterea in hanc speciem cadunt quae de forma *L. scabriculae*, ♀, diximus.

Color. — *Cephalothorax* niger, pubescentia ejus flavo-testacea, pili longi clypei pallidi quoque. *Sternum* et *mandibulae* picea, *maxillae* et *labium* paullo clariora. *Palpi* ferruginei, plus minus evidenter nigro-annulati. In *pedibus* anterioribus ad maximam partem nigris trochanteres (et coxae saltem basi) sub-ferruginei sunt, femora ferrugineo-testacea, annulis tribus nigris, basali angusto, medio et apicali latis; patellae nigricantes sunt, tibiae nigrae, annulo medio lato testaceo, qui supra linea longitudinali nigra dividitur; metatarsi nigri, annulo medio supra abrupto ferrugineo, tarsi ferruginei, basi nigricantes. Pedes posteriores testacei, nigro-annulati: femora eorum annulos saltem duos, medium et apicalem, habent; patellae infuscatae sunt, tibiae et metatarsi annulis duobus latis, basali et apicali, praediti, tarsi ferrugineo-testacei, basi plus minus evidenter nigricantes. Pubescentia et pili pedum ad maximam partem pallidi, aculei plerique fusci. *Abdomen* nigrum, ventre clariore; dorsum abdominis secundum medium ordines duos versus anum sensim appropinquantes macularum nonnullarum inaequalium testacearum ostendit, qui anterius maculas paucas pallidas, vel striam longitudinalem pallidam, includunt; praeterea maculis et punctis pallidis plus minus variata sunt dorsum et latera abdominis. Setulae dorsi luteo-flavae sunt, pili longiores nigri.

Mas a femina eodem fere modo ac mas *L. scabriculae* (saltem Var. β, *sulcatae*), a femina hujus differt, a mare *L. scabriculae,* Var. β, colore alio facile dignoscendus; in *L. annulata,* ♂, area oculorum mediorum praeterea duplo latior est postice quam antice, et postici horum oculorum anticis mediis non parum majores. In forma *palporum* nullam differentiam video, nisi quod in *L. annulata,* ♂, spinae illae duae porrectae *bulbi* paullo majores sunt et paullo *pone* medium ejus initium capiunt, et quod interior earum, parum incurva, basi fortiter (quasi in formam ovi inversi) inflata est, exterior eâ vix duplo brevior, summo apice sub-obtuso non, ut videtur, tortuoso.

Color maris modo his rebus a feminae colore differt: *palpi* ejus pallide ferruginei sunt, parte tarsali paullo nigro-maculata; pictura *abdominis* pallida magis inaequalis est, e maculis inter se magis confluentibus, posterius in dorso, e. gr., vittas transversas inaequales formantibus, constans.

♀. — Lg. corp. 5 $^1/_2$; lg. cephaloth. 2 $^1/_2$, lat. ej. 2 $^1/_4$, lat. clyp. 1 $^1/_4$; lg. abd. 3 $^1/_2$, lat. ej. 3 millim. Ped. I 7 $^3/_4$, II paene 8, III 5 $^1/_2$, IV 5 $^3/_4$ millim. longi; pat. + tib. IV 2 millim.

♂. — Lg. corp. 4 $^1/_4$; lg. cephaloth. 2 $^1/_4$, lat. ej. paullulo plus 2, lat. clyp. 1 millim.; lg. abd. 2, lat. ej. paullo plus 1 $^1/_2$ millim. Ped. I 7 $^1/_2$, II 7 $^3/_4$, III paene 5 $^1/_2$, IV paullo plus 5 $^1/_2$ millim. longi; pat. + tib. IV 2 millim.

Exempla pauca, inter ea marem singulum, in monte Singalang Sumatrae collegit Beccari.

191. **L. armillata**, n., *cephalothorace tibiam* 1.[i] *paris longitudine aequanti, non superanti, nigro, cinereo-luteo-pubescenti, granuloso; oculis mediis posticis mediis anticis minutis duplo majoribus; pedibus nigris, femoribus annulis binis testaceis vel rufescentibus cinctis, tibiis omnibus et metatarsis posterioribus annulo testaceo singulo, qui linea longitudinali nigra supra abruptus est; femoribus anterioribus granuloso-scabris; abdomine nigro, luteo-setuloso, maculis luteis superius consperso, quarum nonnullae series duas versus anum appropinquantes et anterius lineolam pallidam includentes secundum dorsum formant.* — ♀ ad. *Long. circa* 5 *millim.*

FEMINA. — *L. annulatae*, ♀, simillima, praesertim ad colorem, ab ea tamen sat facile distinguenda, praesertim quum pedes longiores habeat. *Cephalothorax*, tibiam 1.[i] paris longitudine aequans, non superans, etiam paullo humilior est quam in priore specie, impressionibus cephalicis levissimis; dorsum ejus a latere visum impressionem ostendit distinctissimam inter partem thoracicam satis convexam et partem cephalicam, quae parte illa modo paullo altior et convexior est; granula, quibus sat dense sparsus est cephalothorax, minuta sunt et, ut pubescentia ejus crassa et non densa, non vel saltem minus evidenter in radios digesta. Spatium inter marginem clypei et oculos laterales anticos horum diametro fere duplo majus videtur. *Oculi* ut in *L. annulata*, ♀, excepto quod spatium inter oculos medios anticos eorum diametro vix plus duplo majus est, et paene dimidio minus quam spatium, quo a lateralibus anticis distant hi oculi; oculi medii postici mediis anticis duplo majores sunt, lateralibus posticis plus duplo minores. *Sternum* opacum, dense et sat subtiliter impresso-punctatum et sub-scabrum.

Mandibulae modo sat leviter arcuato-convexae, sat dense granuloso-scabrae. *Femora* saltem sex anteriora dense granulosa, praesertim anterius, coxae omnes subter plus minus subtiliter granulosae quoque; aculei valde breves et graciles, e. g. antice in femoribus anticis diametro internodii multo breviores. Pedes 2.[i] paris cephalothorace saltem $3\,^3/_4$ longiores. Setulae breves obtusae, quibus sat dense conspersum est *abdomen*, sat crassae sunt. *Vulva* ex maculis duabus minutis nigris, spatio earum diametro non vel parum majore disjunctis et ad marginem posticum areae fuscae positis constare videtur.

Color. — *Cephalothorax* niger, cinereo-luteo-pubescens. *Sternum* et *partes oris* picea. *Palpi* ferruginei, nigro-annulati. *Pedes* nigri, coxis praesertim posterioribus clarioribus; femora omnia annulos binos habent, in pedibus anterioribus testaceo-ferrugineos, in posterioribus pedibus testaceos; tibiae omnes annulum latum testaceum ostendunt, qui supra linea longitudinali nigra geminatur; metatarsi posteriores ii quoque ejusmodi annulum habent; tarsi posteriores magnam ad partem ferruginei sunt, anteriores

tarsi modo summo apice ferruginei. *Abdomen* nigrum, setulis luteis conspersum; secundum dorsum ordines duos macularum lutearum ostendit, qui anum versus inter se appropinquant et anterius lineam longitudinalem abbreviatam pallidam includunt; maculae paucae luteae praeterea utrinque in dorso et in lateribus abdominis adsunt. *Mamillae* fuscae, apice testaceae.

Lg. corp. 5; lg. cephaloth. paene $2\,^3/_4$, lat. ej. $2\,^1/_2$, lat. clyp. $1\,^1/_2$; lg. abd. $2\,^3/_4$, lat. ej. $2\,^1/_4$ millim. Ped. I $9\,^1/_3$, II 10, III $6\,^1/_2$, IV 7 millim. longi; pat. + tib. IV $2\,^1/_4$ millim.

Feminam, quam unicam hujus speciei vidi, ad Sungei Bulu Sumatrae invenit Cel. Beccari.

Gen. **Epidius**, Thor., 1877.

192. **E. longipalpis**, Thor.

Syn.: 1877. *Epidius longipalpis*, Thor., Studi, *cet.*, I, Ragni di Selebes, loc. cit., p. 492 (152).

Habitat in ins. Celebes, ad Kandari captus.

Gen. **Dolothymus** (1), n.

Cephalothorax formâ in hac familia ordinariâ, parum longior quam latior, non altus, antice utrinque fortiter sinuato-angustatus, fronte satis angusta, dorso ante declivitatem posticam usque ad oculos sensim proclivi vel librato; altitudo clypei multo minor est quam spatium inter oculos medios anticos et posticos, diametrum oculi medii antici multo superans.

Oculi, in series duas transversas breviores, extremitatibus paullo appropinquantes dispositi, valde inaequales sunt, medii antici parvi et reliquis minores; laterales antici, reliquis majores, mediis anticis multo sunt majores. Area oculorum (oblique desuper et a fronte inspecta paene lunata) circa $^2/_3$ latitudinis anticae partis cephalicae occupat, circa duplo latior quam lon-

(1) δόλος, dolus; θυμός, mens.

gior; series oculorum antica a fronte visa leviter sursum est curvata, desuper visa recta; series postica, anticâ multo longior, desuper visa recurva est. Area oculorum mediorum longior est quam latior, postice latior quam antice. Oculi utriusque seriei spatiis fere aequalibus disjuncti sunt.

Mandibulae directae, sub-cylindratae, sulco unguiculari denticulato.

Maxillae angustae, sub-ovatae, porrectae, vix in labium inclinatae, et eo circa duplo longiores; labium aeque saltem latum ac longum, apice truncatum vel rotundatum.

Pedes aculeati, ita: I, II (vel II, I), IV, III, longitudine se excipientes, anteriores posterioribus paene duplo longiores; unguiculi tarsorum breves, sat fortes et satis aequaliter curvati, dentibus paucioribus fortibus longis pectinati.

Abdomen sub-ovatum.

Mamillae 6, superiores cylindratae, art. 2.° saltem interdum sub-conico et aeque circiter longo ac lato, inferiores sub-conicae et crassae, art. 2.° brevissimo.

Typus: *D. pallidus*, n.

Genera *Epidius*, Thor., *Angaeus*, id., et *Dolothymus*, n., ut *Nisueta*, Sim. (1), a reliquis Heteropodoidis eo valde differunt, quod pedes anteriores posterioribus pedibus paene duplo longiores habent, ut in subfamilia Misumeninarum (Thomisinarum), cum quibus ad habitum in universum magnopere conveniunt genera illa nostra, a *Nisueta* fronte angusta, clypeo altiore, area oculorum mediorum longiore quam latiore, cet., abunde differentia. *Dolothymus* ab *Angaeo* parum differt nisi formâ partis cephalicae ordinariâ, i. e. hac parte *non* apud oculos, supra, fortius angustata vel constricta. Conf. haec Stud., III, p. 345. A gen. *Epidio*, cui valde affinis quoque est, differt *Dolothymus* praesertim serie oculorum antica sursum curvata, non recta; series duae oculorum non ut in *Epidio* parallelae sunt, sed apicibus evidentissime inter se appropinquantes.

(1) Révis. de la fam. d. Sparassidae, *in* Actes de la Soc. Linn. de Bordeaux, 1880. p. (9 et 109).

193. **D. pallidus**, n., *fusco-testaceus paene totus, exceptis abdomine cinerascenti-testaceo et aculeis pedum nigris; serie oculorum antica a fronte visa leviter sursum curvata.* — ♀ ad. *Long. circa* 5 *millim.*

FEMINA. — *Cephalothorax* parum longior quam latior, paullo longior quam tibia cum patella 1.[i] paris, inverse sub-cordiformis fere, antice utrinque, ad insertionem palporum et sat longe pone oculos laterales posticos, fortiter sinuato-angustatus, postice sat late truncato-emarginatus, lateribus partis thoracicae transversae praesertim posterius fortiter rotundatis, parte cephalica circa duplo latiore quam longiore, lateribus paene rectis anteriora versus sensim modice angustata; frons truncata et non parum angustior quam clypeus, cujus latitudo $^1/_3$ latitudinis partis thoracicae superat, sed dimidium ejus non aequat. Modice altus est cephalothorax, laevis et nitidissimus, impressionibus cephalicis parum distinctis, sulco medio vix ullo; in nostro exemplo detrito glaber est, sed in illaesis verisimiliter pilis sparsus. Dorsum cephalothoracis a latere visum ante declivitatem posticam — quae reliquo dorso circa dimidio est brevior, leviter convexa et sat leniter declivis — modice proclive est, postice fortius, praeterea leviter convexum, area oculorum mediorum admodum proclivi et recta, clypeo directo. Transversim aequaliter et non fortiter convexus est cephalothorax, inter oculos posticos modo levissime convexus; facies supra dimidio, infra duplo latior quam altior fere est; spatium inter marginem clypei et oculos medios anticos duplo est minus quam spatium inter eos et medios posticos, et circa duplo majus quam diameter oculi medii antici. *Oculi* laterales antici reliquis majores, medii antici reliquis minores, parvi: medii postici iis paullo majores sunt, laterales postici mediis posticis saltem dimidio majores, laterales antici etiam paullo majores, mediis anticis circa triplo majores. Area oculorum non magna, circa $^2/_3$ latitudinis partis cephalicae occupans, paene duplo latior quam longior; medii oculi aream occupant, quae paene dimidio latior est postice quam antice et paene duplo longior quam latior antice. Series oculorum postica saltem dupla oculi postici diametro longior est quam series an-

tica, quae, quum desuper inspicitur, paullo ante (clypeum et) marginem anticum faciei eminet, oculis lateralibus anticis ita angulos ipsius frontis occupantibus. A fronte visa series antica leviter sursum est curvata (linea recta margines inferiores lateralium tangens medios anticos paullo supra marginem inferiorem secat), desuper visa recta est; series postica desuper visa modice est recurva. (Oblique a fronte et desuperne visa area oculorum lunata est: serie antica tum fortius quam postica recurva videtur). Spatium inter oculos binos laterales, elevationibus parum expressis impositos, oculi maximi diametrum aequat et non parum minus est quam spatium inter oculos medios anticos et posticos. Oculi antici spatiis aequalibus, oculi medii antici diametrum aequantibus, disjuncti sunt; oculi medii postici spatio sunt separati, quod eorum diametro paullo superat, et paene aeque magnum est ac spatium, quo a lateralibus posticis sunt remoti. *Sternum* non parum longius quam latius, antice sat late truncatum et leviter emarginatum, in lateribus anterius levissime, posterius fortius rotundatum et hic sensim posteriora versus sat breviter angustatum, postice brevissime sub-acuminatum; parum convexum est, laeve, nitidissimum, saltem versus margines pilosum.

Mandibulae directae, sub-cylindratae, sed intus paene a medio ad apicem sensim rotundato-angustatae, extus rectae, in dorso sat leviter convexae, laeves, nitidae, pilis sparsae; duplo longiores sunt quam latiores, patellas 1.ⁱ paris crassitie aequantes sed iis paullo breviores. Sulcus unguicularis dense ciliatus est, dentibus ut videtur binis parvis postice et saltem singulo minuto antice armatus; unguis sat longus sed non fortis. *Maxillae* paene parallelae, vix vel parum in labium inclinatae et eo duplo longiores, saltem duplo longiores quam latiores, a basi ad apicem fortiter rotundatum sensim dilatatae, anguste ovatae fere, in medio apicis penicillo ciliorum longo angusto incurvo praeditae; *labium* aeque saltem latum ac longum, lateribus leviter rotundatis apicem truncatum versus sensim angustatum. *Palpi* mediocres, pubescentes et paullo pilosi aculeatique; pars patellaris paene dimidio longior est quam latior, pars tibialis triplo

longior quam latior, pars tarsalis etiam paullo longior paulluloque angustior, apicem versus sensim sat breviter angustata et sub-acuminata. *Pedes* sat graciles, praesertim apicem versus; anteriores eorum longi sunt, posterioribus paene duplo longiores et non parum robustiores, tibiis patellas longitudine duplo superantibus; metatarsi tarsis multo, paene duplo, sunt longiores. Minus dense pubescentes et pilosi fuisse videntur pedes, aculeis crebris et in pedibus anterioribus ad partem longis et sat fortibus armati. Femora aculeis brevibus, in 1.[i] paris pedibus circa 9, in reliquis pedibus paucioribus, sparsa sunt: in patellis anterioribus nullum, in posterioribus patellis parvum aculeum postice et alterum supra video. Tibiae anteriores subter aculeos 2. 2. 2. 2. longos et fortes (apicales duos minores tamen) non appressos habent, antice et postice 1. 1. 1. multo minores; metatarsi anteriores eodem modo subter 2. 2. 2., antice et postice 1. 1. 1. aculeis armati sunt. Tibiae et metatarsi posteriores aculeis brevibus sat multis muniti. Scopulae nullae; fasciculi unguiculares parvi, e pilis acuminatis formati. *Abdomen* breviter sub-ovatum, lateribus posterius paene rectis longius sub-acuminatum; saltem subter tenuiter pilosum vel pubescens est. Procursus analis transversim sulcatus vel sub-annulatus est. *Vulva* ex tuberculis duobus minutis corneis nigris constare videtur, a quibus fasciae duae minutae fuscae retro, ad rimam genitalem, ductae sunt. *Mamillae* longiores, inferiores fortes et sub-conicae, art. 2.° brevissimo, superiores iis multo angustiores sed non breviores, cylindratae, art. 2.° aeque saltem longo ac lato, sub-conico et paullo incurvo.

Color. — *Cephalothorax* fusco-testaceus, summo margine laterali nigro; oculi saltem laterales maculis nigricantibus intus limbati vel nigredine cincti sunt. *Sternum*, ut pedes basi subter, pallidius fusco-testaceum, pallido-pilosum. *Partes oris* fusco-testaceae, pallido- et nigro-pilosae. *Palpi* et *pedes* ii quoque fusco-testacei, pallido- et ad partem nigro-pubescentes et -pilosi, posteriores pedes anterioribus paullo clariores; femora anteriora antice et magis infra dense et inaequaliter nigro-punctulata sunt. *Abdomen* cinerascenti- vel pallide flavo-testaceum est (an in vivis

virescens?), punctis 4 impressis sub-fuscis in dorso, paene in quadratum dispositis. Venter vestigia pubescentiae flavo-testaceae ostendit. *Mamillae* flaventi-testaceae quoque.

Lg. corp. 5; lg. cephaloth. paullo plus 2 $^1/_3$, lat. ej. 2 $^1/_4$, lat. clypei paullo plus 1; lg. abd. paene 3, lat. ej. 2 millim. Ped. I 10 $^3/_4$, II 10, III 5 $^1/_3$, IV 5 $^3/_4$ millim. longi; pat. + tib. IV 2 millim.

Cel. Cambridge feminam detritam in Sumatra a Forbes captam mecum benigne communicavit.

Gen. **Angaeus**, Thor., 1881.

194. **A. rhombifer**, n., *sub-fuscus, pube densa crassa cinerascenti et ferruginea vestitus et variatus, cephalothorace in fundo fasciis duabus longitudinalibus plus minus distinctis secundum dorsum notato; pedibus saltem* 4.^{i} *paris albicanti- et nigro-annulatis, femoribus anterioribus tuberculis nonnullis, fasciculum pilorum curvatorum gerentibus, munitis; abdomine paene rhomboidi, dorso ejus ante angulos laterales fusco-luteo, postice sub-fusco, in medio vero area magna sub-rhomboidi nigra ornato.* — ♀ jun. *Long. saltem* 7 *millim.*

Femina *jun.* — *Cephalothorax* paullo longior quam latior, paullo longior quam tibia cum patella 4.^{i} paris, breviter et inverse cordiformi-ovatus fere, antice utrinque longe pone oculos laterales posticos sensim sat fortiter sinuato-angustatus, lateribus partis thoracicae vix transversae praesertim in medio et posterius fortiter rotundatis, anterius vero paene rectis, parte cephalica quoad libera est circa duplo latiore quam longiore, lateribus infra paene rectis et parallelis, supra vero parum ante oculos laterales posticos fortissime et subito angustata, ita ut, se desuper inspicitur pars cephalica, pars ejus media cum oculis mediis posticis ante reliquum marginem anticum partis cephalicae non parum promineat, hac parte prominenti sive fronte anteriora versus sensim paullo angustata, antice truncato-emarginata et dimidium clypeum latitudine vix superanti. Clypeus saltem versus angulos transversim leviter rotundatus est, dimidiam partem cephalicam

latitudine saltem aequans. Humilis est cephalothorax, impressionibus cephalicis et sulco ordinario centrali sat longo in declivitate postica sito distinctissimis; pube crassiore tectus est, ut abdomen et extremitates. Declivitas cephalothoracis postica brevissima est, modice declivis et paene recta; ante eam dorsum primum, in parte thoracica, paene libratum est et anterius parum, postice modice convexum; dorsum partis cephalicae postice brevi spatio paullulo assurgit, et dein usque ad oculos medios anticos libratum est, postice paullulo convexum, praeterea rectum. Area oculorum mediorum satis est proclivis, facies praeterea, a latere visa, paullo reclinata et recta. Transversim modo leviter convexus est cephalothorax, parte cephalica antice, supra, paene plana, vix convexa; facies plus duplo latior est infra quam altior, lateribus supra brevi spatio directis, dein leviter declivibus et rectis, denique rotundatis et sub-directis. Spatium inter marginem clypei et oculos medios anticos circa duplo minus est quam spatium inter eos et medios posticos, sed plus duplo majus quam diameter oculi medii antici. Area *oculorum* vix duplo latior quam longior est, vix $^2/_3$ latitudinis partis cephalicae occupans. Linea recta oculos laterales anticos infra tangens medios anticos fere in centro secat. Ad magnitudinem et dispositionem oculi paene sunt ut in *A. pudico* (1) diximus; series eorum postica tamen plus duplo longior est quam antica; spatium inter oculos medios anticos eorum diametro non parum majus est, et parum majus quam spatia, quibus a lateralibus anticis distant hi oculi; oculi medii postici, spatio duplam oculi diametrum paullo superanti disjuncti, non parum longius a lateralibus posticis quam inter se remoti sunt. Oculi laterales postici mediis posticis duplo majores sunt, laterales antici mediis anticis saltem triplo majores. Spatium inter oculos binos laterales (tuberculis non impositos) non parum majus est quam diameter oculi maximi, et modo paullulo majus quam spatium inter oculos medios anticos et posticos, qui oculi ut in *A. pudico* ordinati sunt. (Quum desuper inspicitur cephalothorax, oculi

(1) Vid. haec Stud., III, p. 347.

medii antici videri non possunt). *Sternum* vix longius quam latius, ad formam ut in *A. pudico*, planum, pilosum, pube densa appressa vestitum.

Mandibulae directae, cylindratae, intus in parte tertia apicali sensim apicem versus angustatae, extus rectae, in dorso modice et aequaliter convexae, transversim sub-rugosae, sub-opacae, pubescentes, pilosi et in sulco unguiculari ciliatae; paene duplo longiores sunt quam latiores, patellas longitudine saltem aequantes, femoribus anticis vix angustiores; unguis sat longus et fortis. *Maxillae* ut in illa specie, vix in labium inclinatae; *labium* paullo latius quam longius, versus apicem late et fortiter rotundatum sensim angustatum. *Pedes* sat robusti et apice obtusi (an ita in adultis quoque?), anteriores non multo robustiores quam posteriores, sed iis paene duplo longiores; 2.[i] paris pedes parum longiores quam 1.[i] paris sunt visi. Femora praesertim anteriora tuberculis nonnullis sat fortibus antice et supra munita sunt, quae aculeum et fasciculum pilorum procurvorum gerunt; praeterea dense appresso-pubescentes sunt pedes, ut palpi. Aculeis crebris sat longis sed non fortibus armati sunt, e. gr. in tibiis anterioribus subter aculeis 2. 2. 2. 2., antice et postice 1. 1., in metatarsis subter 2. 2. 2., antice et postice 1. 1., aculeis subter in his tibiis et metatarsis appressis. Metatarsi et tarsi anteriores scopula brevi densa praediti sunt. Fasciculi unguiculares mediocres, e pilis acuminatis formati. *Abdomen*, dense et crasse pubescens, parum longius quam latius est, rhomboide, basi anguste rotundatum, tum usque ad medium lateribus parum rotundatis sensim fortiter dilatatum, dein eodem modo sensim angustatum, postice sub-acuminatum, angulis lateralibus paullo rotundatis. Dorsum ejus parum convexum est, inter angulos laterales transversim rectum, posterius sat fortiter declive. Art. 2.[s] *mamillarum* superiorum brevior quam in *A. pudico* videtur.

Color. — *Cephalothorax* in fundo fuscus est, fasciis duabus longitudinalibus nigricantibus secundum dorsum, quae fasciae parum distinctae sunt et lineis radiantibus paullo pallidioribus divulsae; pube sub-ferruginea et cinerascenti-alba dense vestitus fuisse videtur, ita ut in lateribus superius obscurius fuscus evadat,

versus margines late cinerascenti-fuscus, praeterea obscurius fuscus et saltem in medio cinerascens. *Sternum* fuscum, dense cinereo-albicanti-pubescens. *Mandibulae* obscure ferrugineo-fuscae, saltem versus basin densius cinereo-albicanti- et sub-ferrugineo-pubescentes, praeterea pilis nigris dense sparsae, sulco unguiculari luteo-testaceo-ciliato. *Maxillae* dilute fuscae, apice luteo-testaceo-ciliatae. *Labium* ferrugineum, apice clarius, basi nigrum. *Palpi* testaceo-picei, albicanti- et ferrugineo-pubescentes, nigro-pilosi. *Pedes* quoque pube densa albicanti et ferruginea vestiti et variati fuisse videntur; nigro-pilosi sunt et aculeis fuscis armati; in fundo sub-testaceo- vel ferrugineo-picei videntur, excepto quod pedes 4.ⁱ paris albicanti-testacei sunt, femoribus apice late fuscis, patellis totis fuscis, tibiis basi et apice anguste nigris vel fuscis, metatarsis basi late et apice anguste nigris; pedes quoque 3.ⁱⁱ paris basi pallidi sunt et paullo pallido-annulati. *Abdominis* dorsum ante angulos laterales fusco-luteum est (hoc colore aream magnam sub-triangulam postice in medio emarginatam formanti), posterius magis fuscum; area magna media lata stellato-rhomboidi nigra ornatur, cujus angulus anticus rotundatus est, anguli laterales acuminati, versus angulos laterales abdominis producti; postice anum versus retro producta est haec area, sensim angustata et acuminata, ibi tamen minus distincta. Pube ferruginea et albicanti vestitum et variatum fuisse videtur dorsum, excepto in area nigra. Venter sub-fuscus vel nigricans, testaceo- vel olivaceo-fusco-pubescens. *Mamillae* obscure fuscae.

♀ *jun.* — Lg. corp. 7; lg. cephaloth. 3 $^1/_2$, lat. ej. 3 $^1/_4$, lat. clypei paene 2; lg. abd. 4, lat. ej. 3 $^2/_3$ millim. Ped. I paene 14, II 14, III 6 $^1/_2$, IV 7 $^2/_3$ millim. longi; pat. + tib. IV 3 millim.

Feminam singulam juniorem vidi, a Cel. Forbes in Sumatra captam et a Cel. Cambridge mecum communicatam. Quamquam *A. pudico,* Thor., ex ins. Ceram, valde affinis est haec aranea, tamen ab ea diversa videtur.

Fam. THOMISOIDAE SIVE MISUMENOIDAE.

Subfam. MISUMENINAE.

Gen. Loxobates, Thor., 1877.

195. **L. ephippiatus**, Thor.

Syn.: 1877. *Loxobates ephippiatus*, Thor., Studî, *cet.*, I, Ragni di Selebes, *cet.*, loc. cit., p. 495 (195).

Species adhuc modo in Celebes, ad Kandari, inventa.

Gen. Musaeus (1), n.

Cephalothorax parum longior quam latior, altissimus, muticus; clypeus directus, latus et altus: altitudo ejus spatium inter oculos medios anticos et posticos superat.

Area oculorum mediocris, lunata; series oculorum antica modice sursum curvata, series postica fortiter recurva. Oculi laterales antici lateralibus posticis circa duplo majores; oculi medii, qui in aream oblongam paene rectangulam dispositi sunt, reliquis minores. Oculi medii antici longius inter se quam a lateralibus anticis distant; oculi medii postici multo longius a lateralibus posticis quam inter se remoti sunt. Spatium inter oculos binos laterales non majus est quam spatium inter oculos medios anticos et posticos.

Mandibulae directae, sub-conicae.

Maxillae longae et angustae, in medio extus sub-constrictae, in labium longius quam latius et apice truncatum leviter inclinatae.

Pedes sat graciles, aculeis mediocribus non valde crebris armati; anteriores pedes reliquis multo longiores et non parum robustiores. Tarsi unguiculis binis debilibus, in dorso basin versus rectis, dense pectinato-dentatis armati sunt et fasciculo ungui-

(1) Μουσαῖος est nom. propr. pers.

culari distincto, e pilis longis, apice dilatatis, spatuli-formibus fere formato muniti.

Abdomen oblongum.

Mamillae sex, mediocres, superiores et inferiores aeque paene longae, hae sub-conicae, illae cylindratae; art. 2.[s] utrarumque brevissimus.

Typus: *M. politus,* n.

Hoc genus gen. *Loxobati,* Thor., affine est, clypeo et mandibulis directis, area oculorum mediorum multo longiore quam latiore, cet., dignoscendum.

196. **M. politus**, n., *cephalothorace ferrugineo-testaceo, plaga magna longitudinali ferrugineo-fusca in dorso; pedibus testaceis, anteriorum femoribus ferrugineo-testaceis; abdomine sub-lanceolato, sub-testaceo, fascia longitudinali latissima nigro-fusca per totum dorsum extensa ornato, quae anterius in formam anguste ovatam dilatata est, et utrinque, posterius, ramulos quattuor transversos emittit.* — ♂ ad. *Long. circa* 3 $^3/_4$ *millim.*

Mas. — *Cephalothorax* paullo longior quam tibia cum patella 4.[i] paris, paullulo longior quam latior, altissimus, non multo latior quam altior, transversim fortissime convexus (inter oculos laterales posticos modo leviter convexus tamen), lateribus praerupte declivibus; parum pone oculos laterales posticos, infra, utrinque sinuato-angustatus est, parte cephalica quoad libera est brevi et lata et lateribus rectis anteriora versus sensim paullo angustata, clypeo transversim rotundato, latitudine saltem $^3/_4$ latitudinis partis thoracicae aequanti; quae pars in lateribus praesertim posterius fortissime rotundata est, postice sat breviter truncata. Impressionibus cephalicis et sulco vel fovea centrali caret cephalothorax; laevissimus est, nitidissimus et, ut videtur, glaber, excepto quod in margine clypei pilos paucos longos porrectos gerit. A latere visum ipsum dorsum ejus in declivitatem posticam (quae convexa est et valde praerupta) sine ullo limite transit, eâ, ut videtur, paullo brevius, paullo proclive et sat leviter convexum; clypeus directus et rectus est. Facies alta, aeque alta ac lata, supra (frons sive longitudo seriei oculorum

posticae) angustior quam infra. Altitudo clypei sive spatium inter marginem ejus et oculos medios anticos longitudinem areae oculorum mediorum paullo superat vel saltem aequat; spatium inter marginem illum et oculos laterales anticos longitudinem mandibularum aequat. Area *oculorum* mediocris, saltem $^3/_4$ latitudinis faciei (clypei) latitudine aequans; oculi laterales antici mediis anticis duplo majores sunt, laterales postici mediis anticis modo paullo majores, medii postici his parum minores. Series oculorum antica a fronte visa modice sursum curvata est: linea recta oculos laterales anticos infra tangens medios anticos supra tangit, vix secat; series postica desuper visa fortiter est recurva: spatium inter oculos binos laterales (costae latae, impressione media in tubercula duo divisae impositos) tamen non majus, sed potius paullulo minus est quam spatium inter oculos medios anticos et posticos, et oculi maximi diametro duplo fere majus. Oculi medii aream paene rectangulam (parum latiorem antice quam postice) et paene dimidio longiorem quam latiorem occupant; spatium inter oculos medios anticos eorum diametro plus dimidio (sed vix duplo) majus est, et paullo majus quam spatium, quo a lateralibus anticis distant hi oculi; oculi medii postici fere duplo longius a lateralibus posticis quam inter se remoti sunt. *Sternum* ovato-triangulum, leviter convexum, laeve, nitidissimum, pilis paucis ad margines praeditum.

Mandibulae parvae, directae, cylindrato-conicae, in latere exteriore ad longitudinem levissime, in dorso parum convexae, nitidissimae, subtiliter transversim striatae, pilis paucis sparsae; vix duplo longiores sunt quam latiores basi, femoribus anticis non multo crassiores, patellas 1.^{i} paris longitudine paene aequantes, metatarsis hujus paris plus duplo breviores. *Maxillae* in labium leviter inclinatae, paene triplo longiores quam latiores, labio plus dimidio sed non duplo longiores, in medio lateris exterioris paullo constrictae, ante labium non angustiores sed potius paullo latiores quam versus basin, apice extus longe et valde oblique truncato-rotundato, intus vere oblique et brevissime truncato. *Labium* paene dimidio longius quam latius, apice sat late truncato. *Palpi* sat breves; pars patellaris aeque fere

longa est ac lata, pars tibialis eâ intus brevior sed, apice, latior, a basi satis angusta apicem oblique truncatum versus sensim dilatata; apex lateris exterioris ejus, subter, in laminam pallidam productus est, quae apice in duos dentes nigros est divisa, et dentem nigrum tertium extus format: supra hanc laminam procursum longiorem pallidum sub margine partis tarsalis porrectum formare videtur apex lateris exterioris partis tibialis. Pars tarsalis parte tibiali multo latior est, femur 1.[i] paris latitudine fere aequans, sub-orbiculata, modo paullo longior quam latior, apice tamen breviter acuminato; bulbus sub-orbiculatus, humilis et laevis. *Pedes* modice pubescentes et pilosi, aculeis mediocribus minus crebris armati; sat graciles sunt, anteriores tamen, qui reliquis multo sunt longiores, iis non parum robustiores, praesertim 1.[i] paris. Femora 1.[i] paris aculeos 6, reliqua femora pauciores aculeos habent; patellae anteriores utrinque aculeum ostendunt, posteriores patellae, ut videtur, singulo aculeo, postice (vel supra?) sito, munitae sunt. In tibiis anterioribus subter 2. 2. vel 1. 2. aculeos video, antice et postice 1. 1.; metatarsi anteriores fere eodem modo aculeati sunt. Pedes posteriores modo paucos aculeos habent. *Abdomen* sub-lanceolatum, circa duplo et dimidio longius quam latius, supra nitidissimum, setis fortibus saltem antice conspersum. *Mamillarum* art. 2.[s] brevissimus; inferiores mamillae cylindrato-conicae et crassiores quam superiores, quae sub-cylindratae sunt et inferiores longitudine aequant.

Color. — *Cephalothorax* ferrugineo-testaceus, fascia media latissima vel potius plaga magna oblonga paullo inaequali ferrugineo-fusca notatus, quae ab area oculorum usque in declivitatem posticam pertinet; tubercula oculorum lateralium flavo-albicantia sunt, in medio intus (supra) nigricantia; pili clypei et *mandibularum* ferrugineo-testacearum nigri. *Sternum, maxillae* et *labium* testacea. *Palpi* testacei, nigro-pilosi, partibus tibiali et tarsali ferrugineum colorem sentientibus, bulbo obscuriore. *Pedes* nigro-pilosi et -aculeati, anteriores testacei, apice paullo clariores, femoribus et patellis, illis praesertim, ferrugineo-testaceis; pedes posteriores paullo clariores, flavo-testacei. *Abdomen* testa-

ceum, fascia media longitudinali latissima nigro-fusca ornatum, quae a basi dorsi usque ad anum pertinet, et utrinque, posterius, quattuor ramulos transversos (spatiis non multo inaequalibus sejunctos) ad vel in latera emittit: anterius, usque paullo pone medium dorsi, haec fascia anguste ovata est, linea media longitudinali pallida notata, et hic, paullo ante medium, ramulum paullo recurvum utrinque ostendit; paullo pone medium dorsi haec pars ovata in partem fasciae posteriorem angustiorem (attamen latam) et magis inaequalem transit, quae pars utrinque tres ramulos emittit, quarum anteriores paullo procurvi sunt. Latera abdominis pallida; venter pallidus quoque fasciis duabus longitudinalibus ferrugineo-fuscis notatus videtur. *Mamillae* ferrugineo-testaceae, superiores supra nigricantes.

Lg. corp. 3 $^3/_4$; lg. cephaloth. paullo plus 1 $^1/_2$, lat. ej. 1 $^1/_2$, lat. front. circa $^3/_4$ (clypei circa 1 $^1/_6$); lg. abd. 2 $^1/_4$, lat. ej. saltem 1 millim. Ped. I 6 $^3/_4$, II 6 $^1/_2$, III 3 $^1/_4$, IV circa 3 $^2/_3$ millim. longi; pat. + tib. IV 1 $^1/_4$ millim.

Marem singulum vidi, a Cel. Forbes in Sumatra captum et a Cel. Cambridge mecum communicatum.

Gen. **Nyctimus**, Thor., 1877.

197. **N. bistriatus**, Thor.

Syn.: 1877. *Nyctimus bistriatus*, Thor., Studi, *cet.*, I, Ragni di Selebes, *cet.*, loc. cit., p. 499 (159).

Ad Kandari in Celebes detecta fuit haec aranea, quae secundum Van Hasselt (1) etiam in Sumatra, ad Belar Alam, inventa est.

Gen. **Tmarus**, Sim., 1875.

(= *Monaeses*, Thor., olim, ad partem).

198. **T. eques**, n., *parce pilosus, paene glaber, cephalothorace luteo, pedibus luteo-testaceis; abdomine duplo longiore quam latiore, inverse fusiformi-ovato, dorso, fascia alba in lateribus cincto, cinera-*

(1) Midden Sumatra, *cet.*, Aran., p. 41.

scenti, densissime fusco-reticulato et antice cruce tenui fusca notato. — ♀ jun. *Long. saltem* 6 $^1/_2$ *millim.*

Femina *jun.* — *Cephalothorax* parum longior quam latior, paullo longior quam tibia 1.ⁱ paris, multo longior quam tibia cum patella 4.ⁱ paris, lateribus partis thoracicae ample et fortiter rotundatis, utrinque antice fortiter sinuato-angustatus, parte cephalica lateribus rectis anteriora versus sensim sat fortiter angustata, quoad libera est saltem duplo latiore quam longiore. Modice altus est cephalothorax, impressionibus cephalicis distinctis, laevis et paene glaber (modo apud oculos et in clypeo pilos paucos video), ante declivitatem posticam, quae reliquo dorso paullo longior est, usque ad oculos paullo proclivis et rectus, area oculorum mediorum fortius proclivi; clypeus praerupte proclivis, modice rotundatus, dimidiam partem thoracicam latitudine aequans: altitudo ejus saltem dimidio major est quam spatium inter oculos medios anticos et posticos. Facies a fronte visa supra (inter oculos posticos) vix vel parum convexa, aeque alta ac lata supra, infra paullo latior quam supra. *Oculi* parvi sunt, laterales antici reliquis sub-aequalibus circa dimidio majores. Area oculorum clypeo paullo angustior est et plus duplo latior quam longior; series eorum postica plus dupla oculi postici diametro longior est quam series antica, et modice recurva; series antica a fronte visa parum sursum curvata est, paene recta, desuper visa paullo levius quam series postica recurva. Area oculorum mediorum paene plane quadrata est. Spatium inter oculos laterales binos, tuberculis humillimis latis impositos, aeque magnum est ac spatium inter oculos medios anticos et posticos, et multo majus quam spatium inter anticos medios et laterales, sed minus quam spatium inter posticos medios et laterales. Oculi medii antici circa dimidio longius inter se quam a lateralibus anticis distant, medii postici vero non parum longius a lateralibus posticis quam inter se remoti sunt. Spatium inter oculos medios anticos duplam oculi diametrum saltem aequat. *Sternum* parum longius quam latius, antice late et leviter emarginatum, planum, pubescens.

Mandibulae deorsum et paullo anteriora versus directae, cylindrato-conicae, patellas anteriores longitudine aequantes et iis

paullo crassiores, in dorso versus basin sat leviter convexae, laeves, parcius pilosae; unguis brevissimus. *Maxillae* in labium, quo vix duplo longiores sunt, parum inclinatae, duplo longiores quam latiores, versus apicem extus ample rotundatae (si a latere inferiore inspiciuntur); *labium* paullo longius quam latius, apice sub-rotundatum. *Palpi* graciliores, partibus patellari et tibiali circa dimidio longioribus quam latioribus. *Pedes* sat breves et graciles, anteriores posterioribus tamen multo crassiores et circa duplo longiores, parce pubescentes, omnes aculeati. In femoribus 1.[i] paris 6 aculeos parvos video; patellae anteriores utrinque aculeo parvo munitae sunt; tibiae anteriores subter 5-6 paria aculeorum, antice et postice aculeos 1. 1. 1. habent, metatarsi anteriores subter circa 7 paria aculeorum, antice et postice 1. 1. aculeos: aculei subter siti, praesertim metatarsorum, mediocri magnitudine sunt, reliqui parvi. *Abdomen* circiter duplo longius quam latius, inverse fusiformi-ovatum, postice et praesertim antice sub-acuminatum, dorso ad longitudinem antice parum, posterius modice convexo: a latere visum antice sat late et valde oblique truncatum est abdomen, ita ut hic, supra declivitatem posticam cephalothoracis, in formam coni crassi acuminati productum videatur.

Color. — *Cephalothorax* rufescenti-testaceus sive luteus, area oculorum extus cinerascenti-alba. *Mandibulae* colore cephalothoracis sunt, apice pallidiore. *Sternum, maxillae* et *labium* flavo-testacea. *Palpi* pallide flavo-testacei. *Pedes* testacei, saltem in femoribus saturatius colorati, paene lutei; aculei fusco-testacei. *Abdomen* in fundo fuscum est, sed maculis parvis albicantibus ita densis tectum, ut cinerascens evadat, densissime fusco-reticulatum; totum dorsum, hoc modo fusco-cinerascens, fascia laterali modice lata alba cingitur: anterius puncta impressa 5 nigricantia ostendit et inter ea lineam mediam longitudinalem abbreviatam tenuem fuscam, quae lineolâ transversâ ejusdem coloris decussatur; latera abdominis clariora, albo-cinerascentia sunt, venter secundum medium paullo obscurior. *Mamillae* flavo-testaceae.

♀ *jun.* — Lg. corp. $6\,^1/_2$; lg. cephaloth. $2\,^1/_3$, lat. ej. $2\,^1/_4$, lat. clypei $1\,^1/_4$; lg. abd. $5\,^1/_3$, lat. ej. $2\,^3/_4$ millim. Ped. I et

II $8\frac{1}{3}$, III paene $4\frac{1}{2}$, IV $4\frac{1}{2}$ millim. longi; pat. + tib. IV $1\frac{3}{4}$ millim.

Cel. Beccari exemplum unum supra descriptum ad Tcibodas ins. Javae cepit.

Gen. **Daradius**, Thor., 1870 (¹).

(= *Pistius*, Thor. (non Sim.), ad partem, olim).

199. **D. annulipes** (Thor.).

Syn.: 1877. *Pistius annulipes*, Thor., Studi, *cet.*, I, Ragni di Selebes, loc. cit., p. 501 (161).

Haec aranea modo in Celebes, ad Kandari, est inventa.

De notis, quibus a *D. pustuloso* (L. Koch) internosci potest, vid. haec Stud., III, Ragni dell' Austro-Malesia, *cet.*, loc. cit., p. 332.

200. **D. Javanus**, n., *parce pubescens, cephalothorace testaceo-ferrugineo, marginibus partis thoracicae latissime nigro-fuscis, angulis frontalibus acuminatis foras directis adeo longis, ut frontis latitudo latitudinem partis thoracicae fere aequet; pedibus anterioribus nigro-fuscis, metatarsis (aculeis paucis gracillimis armatis) et tarsis flavo-testaceis, pedibus posterioribus flavo-testaceis totis; abdomine sub-plano, breviter et inverse pentagono-ovato fere, luteo, angulis lateralibus rotundatis, non prominentibus.* — ♂ ad. *Long. circa* $2\frac{3}{4}$ *millim.*

Parce et breviter pallido-pilosa, testacea, abdomine flavo, utrinque in dorso punctis duobus nigris plerumque notato, quorum posterior ad angulum lateralem, intus, locum tenet; cephalothorace alto, laevi vel modo punctis parum elevatis sparso, latitudine frontis (cum angulis frontalibus) $\frac{2}{3}$ *latitudinis partis thoracicae aequanti; metatarsis anterioribus subter 5 paribus aculeorum pallidorum munitis; abdomine breviter rotundato-pentagono, postice praerupte de-*

(¹) Secundum Keyserling (Die Spinnen Amerikas, Laterigradae, p. 268) typus gen. *Daradii*, *D. Yolophus* (Doum.), non sex, sed *octo* oculos habet: ad partem illam gen. *Pistii* nostri igitur pertinet, cujus sunt « *P. pustulosus* (L. Koch) » et affines, qui ita omnes generis *Daradii* sunt.

clivi, angulis lateralibus, pone medium sitis, tubercula obtusa paullo prominentia vel elevata formantibus. — ♀ ad. *Long. circa* 7 *millim.* (*Verisimiliter femina ejusdem speciei*).

Femina (quam hujus speciei credo). — *Cephalothorax* aeque latus ac longus, non parum longior quam tibia cum patella 4.[i] paris, in lateribus amplissime et posterius fortissime, anterius minus fortiter rotundatus, utrinque sub oculis, infra, paullo sinuatus, fronte vero in procursus duos sub-conicos acuminatos, foras et paullo sursum directos subito dilatata, ita ut cephalothorax pone eos subito et fortiter, paene ad rectos angulos, constrictus vel incisus videatur; latitudo totius frontis, cum his procursibus, $^2/_3$ latitudinis partis thoracicae aequat et latitudinem clypei non parum superat; frons latissime truncata est, modo levissime ter (utrinque, in procursibus frontalibus, paullo, in medio parum sed latissime) sinuata; clypeus transversim leviter rotundatus est. Altus est cephalothorax, posterius transversim fortiter convexus, apud oculos posticos paene planus, inter eos immo omnium levissime concavatus; a latere visus paullo pone medium altissimus, quasi gibbosus, est, ab hoc loco convexo et anteriora et posteriora versus fortiter proclivis vel declivis parumque convexus, area oculorum mediorum abrupte proclivi, clypeo paene directo. Facies inferius plus dimidio, paene duplo latior quam altior est, lateribus paullo reclinatis. Impressiones cephalicae versus medium longitudinis partis cephalicae distinctae sunt, leves et breves; limbo laterali satis angusto et declivitate postica exceptis omnium subtilissime aciculato-striatus est cephalothorax et punctis parum elevatis sparsus, quae pilos breves (plerumque detritos) gerunt. (In junioribus haec puncta interdum desunt, et cephalothorax tum laevis est). Area *oculorum* parvorum maxima: longitudo seriei eorum postica latitudinem clypei paullò superat. Oculi laterales antici, reliquis majores, mediis anticis vix dimidio majores sunt; oculi postici, qui mediis anticis paullulo minores sunt, aequales mihi videntur (laterales mediis fortasse paullulo minores). Series oculorum antica modice sursum curvata est (linea recta medios eorum supra tangens laterales infra tangere videtur); series postica desuper visa paullo levius

est recurva. Oculi medii aream occupant multo latiorem postice quam antice et aeque circiter longam ac latam antice. Oculi bini laterales procursibus sive angulis frontalibus impositi sunt, posticus eorum postice, in medio longitudinis procursus, anticus antice, magis versus basin ejus; spatium, quo inter se distant hi oculi, paullo minus est quam spatia inter medios anticos et posticos, et multo minus quam spatia paene aequalia, quibus ab oculis mediis remoti sunt. Oculi medii antici fere dimidio longius a lateralibus anticis quam inter se distant; oculi medii postici non parum (sed non dimidio) longius a lateralibus posticis quam inter se remoti sunt. Spatium inter marginem clypei et oculos medios anticos non parum majus est quam spatium, quo distant hi oculi a mediis posticis, et aeque saltem magnum ac spatium, quo a lateralibus anticis sunt sejuncti. *Sternum* circa dimidio longius quam latius, breviter ellipticum, planum, laeve et nitidum, pubescens.

Mandibulae paene directae, modo paullo prominentes, patellis anticis paullo breviores et paullo angustiores, sub-conicae, plus dimidio, paene duplo longiores quam latiores basi, in dorso versus basin modice convexae, pubescentes et pilis setisque porrectis sparsae. *Palpi* pilosi et aculeati; partes patellaris et tibialis eadem longitudine fere sunt, dimidio longiores quam latiores. *Pedes* mediocri longitudine, anteriores sat robusti; breviter pubescentes sunt et parum pilosi, anteriores praesertim in femoribus pilis brevibus appressis sat densis muniti, qui punctis sub-elevatis impositi sunt. Anteriores pedes aculeati sunt, posteriores aculeis carere videntur. Femora 1.^{i} paris tres aculeos parvos habent, femora 2.^{i} paris singulum. Tibiae anteriores subter aculeis nonnullis, ad numerum et dispositionem variantibus (in pedibus 1.^{i} paris circa 6, in 2.^{i} paris 2-3), sunt armatae; metatarsi anteriores 5 paribus aculeorum mediocrium subter instructi sunt. *Abdomen* parum pubescens, paullo latius quam longius, rotundato-pentagonum, dorso non multo convexo, postice praerupte convexo-declivi; antice sat anguste rotundatum est, dein lateribus paene rectis ad circa $^{2}/_{3}$ longitudinis sensim fortiter dilatatum, tum lateribus rotundatis sensim citius angustatum,

apice parum acuminato; anguli laterales obtusi sunt, tubercula duo humillima formantes. *Vulva* ex punctis duobus fuscis ante rimam genitalem sitis constare videtur.

Color. — *Cephalothorax* flavo-testaceus, area oculorum albicanti vel albicanti-limitata. *Sternum, partes oris, palpi* et *pedes* flavo-testacea. *Abdomen* flavum, punctis duobus nigris utrinque in dorso, versus latera, saepissime notatum, altero ad basin anguli lateralis, intus, altero (interdum obsoleto) non parum ante eum sito; puncta 5 impressa ordinaria interdum sub-fusca sunt. *Mamillae* testaceae. Aculei, pili et pubescentia pallida quoque.

Mas a femina supra descripta non tantum statura multo minore, verum etiam colore valde diverso aliisque rebus differt. *Cephalothorax* procursus frontales longiores habet, ita ut latitudo frontis latitudinem partis thoracicae fere aequet; in lateribus pone hos procursus fortissime et aequaliter est rotundatus; multo minus altus est, dorso ante declivitatem posticam breviorem et magis convexam minus fortiter proclivi et paullo magis convexo quoque; sat dense et praesertim versus latera distinctissime granulosus est. *Oculi* medii longius quidem a lateralibus ejusdem seriei quam inter se distant, sed non tam longe atque in femina. *Mandibulae* directae, minores et minus convexae quam in ea. *Palpi* breves et graciles, clava tibiis anticis multo angustiore; pars patellaris paullulo longior est quam latior, pars tibialis eà vix angustior sed duplo brevior, obliqua, fere duplo latior quam longior; in angulo posteriore-exteriore, infra, fasciculo parvo pilorum foras directo munita est, et ad angulum anteriorem lateris exterioris, inferius, spina recta gracili, cujus apex versus apicem fasciculi illius dirigitur. Ante hanc spinam retro directam angulus anterior-exterior subter in procursum pallidum obtusum appressum anteriora versus directum est productus. Pars tarsalis, quae prioribus duabus conjunctis paullo longior est, parte tibiali paene duplo est latior, sub-ovata, apice sub-acuminato; bulbus humilis, paullo oblongus, rotundus, laevissimus, spina longa gracili nigra, ut videtur, circumdatus. *Pedes* anteriores sub-granulosi; aculei eorum gracillimi, in femoribus 1.[i] paris circa 4, in tibiis circa 2. 2., in metatarsis 2. 2. vel 1. 2. *Abdomen* depla-

natum, nitidum, paene glabrum, longius quam in femina, postice acuminatum, angulis lateralibus fortiter rotundatis, non prominentibus; summus margo ejus anterius subtilissime et non dense granulosus est.

Color. — *Cephalothorax* testaceo-ferrugineus, marginibus partis thoracicae latissime nigro-fuscis; *sternum* testaceum, pallido-pubescens. *Partes oris* ferrugineae. *Pedes* anteriores nigro-fusci, metatarsis tarsisque pallide testaceis; pedes posteriores toti pallide testacei sunt. *Abdomen* supra cum *mamillis* luteum (maculis lateralibus nigris carens), subter paullo pallidius, scutis pulmonalibus fuscis.

♂. — Lg. corp. 2 $^3/_4$; lg. et lat. cephaloth. paene 1 $^1/_2$, lat. clypei circa $^4/_5$, lat. frontis saltem 1 $^1/_3$; lg. abd. 1 $^3/_4$, lat. ej. 1 $^1/_2$ millim. Ped. I et II 4 $^1/_2$, III circa 2 $^1/_2$, IV circa 2 $^3/_4$ millim. longi; pat. + tib. IV $^5/_6$ millim.

♀. — Lg. corp. 7; lg. et lat. cephaloth. 3, lat. clypei 1 $^1/_2$, lat. frontis 2; lg. abd. 4 $^1/_2$, lat. ej. paene 5 millim. Ped. I et II paullo plus 10, III 5 $^1/_2$, IV 6 $^1/_3$ millim. longi; pat. + tib. IV 2 $^1/_4$ millim.

Mas adultus et femina junior, quam ejusdem speciei credo, a Cel. Prof. Kinberg in Java capti sunt; marem adultum et feminas paucas adultas et juniores possideo, ab amico Van Hasselt dono mihi datos, quorum patria incerta est. — Hanc speciem eandem ac *Thomisum pugilem,* Stol. (¹), ex Calcutta, fortasse credidissem, nisi de *mare* parvo hujus dixerat Stoliczka: « the colour and general form does not in any particular respect differ from that of the ♀ ». Mas vero *D. Javani* nostri, ut diximus, multum a femina supra descripta, ut a femina *Th.* (*D.*) *pugilis,* saltem ad colorem differt; forma palporum in *Th. pugili,* ♂, plane alia quoque quam in nostra specie est. In femina *Th. pugilis* mandibulae « covered with *black* hairs » dicuntur; in femina contra, quam *D. Javani* feminam credimus, *pallido*-pilosae sunt mandibulae. Praeterea vero descriptio *Th. pugilis,* ♀, satis bene in eam cadit.

(¹) Contrib. towards the Knowledge of Indian Arachn., *in* Journ. of the Asiatic Soc. of Bengal, XXXVIII, p. 225, Pl. XIX, fig. 3-3⁴.

Th. spectabilis, Dol. [1], ex Amboina, certe alia species est, quum in ea (♀) tubercula abdominis *linea* brevi nigra supra sint notata, et aculei metatarsorum *nigri* dicantur. In nulla feminarum (sex) *D. Javani*, quas equidem vidi, tubercula abdominis striam vel lineam, sed modo *punctum* nigrum supra ostendunt; aculei omnes semper *pallidi* sunt. Species contra ex Solok et Padang Sumatrae, quam Van Hasselt [2] *Pistium spectabilem* (Dol.) appellat, nescio an potius ad nostrum *D. Javanum* sit referenda.

Species insequens, *D. bipunctatus* (Thor.), ea quoque *D. Javano*, ♀, valde similis est, sed facile eo dignosci potest, quod cephalothorax ejus *pilis longis nigris* sparsus est.

201. **D. bipunctatus** (Thor.).

Syn.: 1877. *Pistius bipunctatus*, Thor., Studî, *cet.*, I, Ragni di Selebes, loc. cit., p. 504 (164).

Haec aranea in Celebes, ad Kandari, capta est.

202. **D. perspicillatus**, n., *parce et breviter pilosus, cephalothorace dense rugoso-granuloso, fusco, parte cephalica supra plaga pallida notata, genis annulo oblongo pallido; latitudine frontis cum angulis frontalibus* $^2/_3$ *latitudinis partis thoracicae aequanti; pedibus ad maximam partem fuscis, femoribus et patellis anterioribus pallidis; abdomine brevi, sub-pentagono, postice abrupte declivi, angulis lateralibus tubercula duo prominentia, fortia, obtusa, foras et paullo sursum directa formantibus, dorso abdominis granulis minutis sparso, flavo-testaceo, antice ad latera fusco.* — ♀ jun. *Long. saltem* 6 *millim.*

Femina *jun.* — Feminae prioris, *D. Javani,* ad formam haec aranea valde similis est, his tamen rebus facile internoscenda. *Cephalothorax* multo longior est quam tibia cum patella 4.ⁱ paris, tibiam cum patella 1.ⁱ paris longitudine aequans; utrinque an-

[1] Tweede Bijdr., *cet.*, loc. cit., p. 56, Pl. 6, fig. 7 et 7*a*. — Quum in hac specie pedes annulis obscuris carere videantur, parum verisimile est, eam ad *D. pustulosum* (L. Koch) esse referendam, quod antea (in his Stud., *cet.*, III, p. 332) suspicatus eram.

[2] Midden Sumatra, *cet.*, Araneae, p. 41.

tice, sub oculis, fortius sinuato-angustatus est; procursus frontales foras et evidenter sursum quoque sunt directi; frons desuper visa paene ad lineam rectam est truncata, vix sinuata, facies a fronte visa supra concavato-arcuata, utrinque, inter angulum lateralem inferiorem clypei et oculum lateralem anticum, sat profunde impressa; clypeus directus parum rotundatus est. Parce pilosus, paene glaber est cephalothorax, dense et sat crasse rugoso-granulosus, granulis ad partem acuminatis, ad partem in lineas radiantes parum expressas ordinatis, parte cephalica posterius dense, praeterea minus dense granuloso-pustulosa; etiam facies subtiliter granuloso-pustulosa est. In genis linea longitudinalis impressa brevis crassa conspicitur, annulo ovali laevi cincta. Series *oculorum* antica paullo fortius quam in specie priore sursum est curvata: linea recta medios eorum supra tangens laterales non tangit; series postica desuper visa modo paullulo recurva est. Area oculorum mediorum, multo latior postice quam antice, paullo longior est quam latior antice. Oculi laterales postici non in medio procursuum frontalium, sed paullo magis versus apicem eorum locum tenent; oculi laterales antici paene in medio eorum siti sunt. Spatium inter oculos binos laterales non parum minus est quam spatium inter medios anticos et posticos. Oculi medii postici circa dimidio longius inter se quam a lateralibus posticis distant. Spatium inter marginem clypei et oculos medios anticos non majus sed potius paullo minus est quam spatium inter oculos medios anticos et posticos, et non parum minus quam spatium, quo medii antici a lateralibus anticis distant.

Mandibulae directae, patellis anterioribus paullo angustiores et non parum breviores, fere dimidio longiores quam latiores, versus basin paullo convexae, pilis brevioribus porrectis dense sparsae. *Pedes* paullo breviores quam in *D. Javano* videntur; in metatarsis anterioribus modo 1+3 aculeos subter sitos video, in tibiis anterioribus subter modo 2 (vel 1); femora 1.[i] paris 4 aculeos brevissimos ostendunt. *Abdomen* paullo latius quam longius, sub-pentagonum, in dorso modo posterius, ubi praerupte declive est, convexum, inter angulos laterales potius

transversim concavatum; antice sat anguste rotundato-truncatum est, a basi saltem usque ad medium lateribus paullo concavatis sensim fortiter dilatatum, tum lateribus paullo rotundatis sensim et cito angustatum, apice postico parum acuminato; anguli laterales igitur tubercula duo fortia, obtusa, foras et paullo sursum directa formant. Granulis minutis nitidis, pilum parvum gerentibus sat dense sparsum est dorsum, praesertim in margine antico et utrinque apud rugam vel sulcum longitudinalem, qui secundum margines laterales a basi ad angulum lateralem extensus est, ut et in interstitiis inter rugas transversas leves declivitatis posticae; latera praesertim anterius oblique rugosa sunt et in interstitiis rugarum subtiliter granulosa. Praeterea quae de forma *D. Javani,* ♀, diximus, etiam in hanc feminam quadrant.

Color. — *Cephalothorax* obscure ferrugineo-fuscus est, declivitate postica sub-testacea; pars cephalica plaga sub-cuneiformi (apice postico tamen truncata) et paene ad oculos pertinenti albicanti-testacea occupatur, quae anterius V magno infuscato et in eo striis duabus longitudinalibus fuscis anteriora versus paullo divaricantibus notatur; facies obscurius vel ferrugineo-testacea est, macula magis fusca utrinque, sub oculis lateralibus anticis, notata, tuberculis frontalibus et linea inter eas vero pallidis; lineola illa genarum impressa brevis et crassa fusca est, annulo oblongo pallide testaceo cincta. *Sternum, maxillae* et *labium* obscure fusca, sub-testaceo-pilosa. *Mandibulae* obscure testaceae, macula fusca ad basin, pallido-pilosae. *Palpi* flavo-testacei, paullo pallido- et fusco-pilosi. *Pedes* fusci, femoribus et patellis anterioribus tamen testaceis, illis maculis vel annulis binis sub-ferrugineis plus minus distinctis notatis; tenuiter pallido-pilosi vel pubescentes sunt, aculeis pallide fuscis. In pedibus posterioribus basis femorum, metatarsi et tarsi testacei sunt. *Abdomen* supra flavo-testaceum, dorso antice, praesertim ad latera, sub-fusco, punctis 5 ordinariis impressis fuscis quoque; latera abdominis, praesertim ante tubercula, fusca sunt; venter testaceo-fuscus.

♀ *jun.* — Lg. corp. 6; lg. cephaloth. 3, lat. ej. 3, lat. front. 2, lat. clyp. 1 $^3/_4$; lg. abd. 3 $^3/_4$, lat. ej. 5 millim. Ped. I et II

8 $^1/_2$, III 5 $^1/_2$, IV 5 $^3/_4$ millim. longi; pat. + tib. IV 1 $^5/_6$ millim. Exemplum singulum vidi, ad Sarawak ins. Borneo a Doria et Beccari captum.

203. **D. duriusculus** (Thor.).

Syn.: 1877. *Pistius duriusculus*, Thor., Studi, *cet.*, I. Ragni di Selebes, loc. cit., p. 505 (165).

Habitat in Celebes, ad Kandari inventus.

Gen. **Runcinia**, Sim., 1875.
(= *Pistius*, Thor. (non Sim.), ad partem, olim).

204. **R. Kinbergii**, n., *cinereo-testacea*, *cephalothorace longiore quam latiore, in ipso dorso recto, fasciis duabus longitudinalibus latis nigro-fuscis versus margines notato, summo margine fusco quoque, angulis frontalibus carina transversa albicanti conjunctis; pedibus anterioribus cinereo-testaceis, subter versus basin dense nigro-punctatis*, *pedibus posterioribus testaceis; abdomine circa triplo longiore quam latiore, antice rotundato, postice sat longe pone mamillas producto et sensim angustato, lateribus anterius sub-parallelis, supra fasciis duabus longitudinalibus albicantibus ab apice postico saltem ad medium dorsi pertinentibus notato.* — ♀ ad. *Long. circa* 6 *millim.*

Femina. — *Cephalothorax* circa $^1/_4$ longior quam latior, tibiam 1.^{i} paris longitudine aequans, et paullo longior quam tibia cum patella 4.^{i} paris, anteriora versus sensim paullo angustatus, posteriora versus sensim breviter angustatus quoque, in lateribus ample et posterius fortius, anterius paullo levius rotundatus, postice late truncatus, fronte in tubercula duo fortia sub-acuminata sed brevia (non longiora quam latiora basi) foras directa producta, ita ut pone ea ad angulos obtusos constricta videatur pars cephalica: haec tubercula paullulo pone reliquum marginem frontalem, qui carinam tenuem rectam format, exeunt, quare linea recta totum hunc marginem tangens paullo ante ea excurrit. Humilis est cephalothorax, dorso ante declivitatem

posticam breviorem et convexam recto et parum proclivi; transversim posterius modice convexus est, antice vero planus. Facies directa et humilis, plus duplo latior infra quam altior, lateribus fortiter reclinatis; clypeus transversim paene planus. Impressiones cephalicas breves sed distinctas ostendit cephalothorax; sub-opacus est et setulis parvis acuminatis sub-erectis sparsus, quae in parte cephalica series tres anteriora versus divaricantes formant; pone oculos laterales posticos seta longa fortis conspicitur; margo clypei serie setarum porrectarum munita quoque est. Area *oculorum* latissima; oculi laterales antici sat magni, mediis anticis tamen vix dimidio majores; oculi postici (praesertim medii, qui lateralibus posticis paullo minores videntur) mediis anticis non parum minores sunt. Series oculorum antica paene recta est, parum sursum curvata; series postica sat leviter est recurva. Oculi medii aream occupant, quae multo, saltem dimidio, latior est postice quam antice, et aeque saltem lata antice ac longa. Spatium inter oculos binos laterales aeque magnum est ac spatia inter medios anticos et posticos, sed multo minus quam spatia paene aequalia, quibus medii a lateralibus ejusdem seriei distant. Spatium inter oculos medios anticos (qui spatio duplam oculi diametrum fere aequanti sunt sejuncti) et laterales anticos fere duplo majus est quam spatium, quo distant illi inter se; oculi medii postici contra paullulo longius inter se quam a lateralibus posticis distant. Spatium inter marginem clypei et oculos medios anticos paene aeque magnum est ac spatium inter hos oculos et medios posticos. *Sternum* breviter ovatum, posteriora versus acuminatum, planum.

Mandibulae directae, patellis anticis non parum breviores et angustiores, saltem dimidio longiores quam latiores, in dorso ad basin satis convexae, praeterea rectae, setis paucis sat fortibus sparsae. *Palpi* breves: pars patellaris vix vel non dimidio longior est quam latior, pars tibialis etiam paullo brevior et angustior, pars tarsalis prioribus conjunctis non parum brevior, iis paullo angustior, parum plus duplo longior quam latior. *Pedes* anteriores longi et modice robusti, posteriores brevissimi et multo graciliores. Pilis brevibus vel pube appressa minus

dense vestiti sunt pedes; posteriores pedes aculeis modo paucis brevibus sunt muniti. In femoribus 1.[i] paris 4 vel 5 aculeos video, in 2.[i] paris femoribus modo 2 vel 3; tibiae anteriores 7-8 paria aculeorum subter habent, metatarsi anteriores circa 10 paria, ad partem sat longorum et fortium. *Abdomen* longum et angustum, circa triplo longius quam latius, postice in apicem obtusum et paullo sursum curvatum non parum pone mamillas productum; antice rotundatum est, lateribus anterius parallelis, dein sensim paullo angustatum, parte apicali sulcis transversis fortibus ut videtur tribus munita; a latere visum pone mamillas valde oblique truncatum est, parte apicali paullo longiore quam latiore. Superius setulis parvis acuminatis erectis sparsum est abdomen. *Vulva* parum conspicua: ex maculis duabus parvis nigricantibus ante rimam genitalem sitis constare videtur.

Color. — *Cephalothorax* cinereo-testaceus, fasciis duabus longitudinalibus latis parallelis obscure fuscis paullo intra vel supra margines laterales ductis notatus, summo margine obscure fusco; spatium, quo disjuncti sunt hae fasciae, iis saltem dimidio latius est, spatium vero inter eas et marginem lateralem iis circa duplo est angustius; antice in parte cephalica sensim paullo dilatatum est spatium inter fascias. Pars cephalica vestigia maculae magnae cuneatae obtusae paullo obscurioris antice ostendit, quae linea tenui albicanti limitatur et aliâ lineâ ejusmodi ad longitudinem persecta est; pone eam, in parte cephalica postice, vestigia linearum duarum albicantium, V inaequale formantium, video. Carina et tubercula frontalia albicantia sunt; etiam inter oculos laterales posticos linea transversa albicans ducta videtur. *Sternum* cinereo-testaceum, fusco-punctatum, pallido-pubescens, versus margines obscurius. *Mandibulae* et *maxillae* pallide testaceae, *labium* paullo obscurius. *Palpi* flavo-testacei. *Pedes* anteriores cinerascenti-testacei, femoribus, patellis et tibiis subter dense nigro-punctatis, ita ut subter, praesertim in femoribus, nigricantia evadant. Patellae ad ipsam basin subter maculam parvam nigram ostendunt. Pedes posteriores flavo-testacei. Aculei et pubescentia pedum et palporum nigra sunt, ut omnes setae corporis. *Abdomen* cinereo-testaceum, superius setulis nigris, ut cephalothorax,

sparsum; dorsum ejus fascias duas longitudinales albicantes ostendit, spatio eas latitudine circiter aequanti sejunctas, quae postice inter se conjunctae sunt et saltem ab apice abdominis postico ad medium ejus pertinent; anterius dorsum ad longitudinem minus distincte albicanti-fasciatum vel -lineatum videtur. Intus, fere in medio longitudinis dorsi, fasciae illae stria vel macula oblonga angusta nigra marginatae sunt, quae striae dein minus evidenter ut lineae duae nigricantes usque ad apicem dorsi posticum continuantur. Latera abdominis superius fascia longitudinali obscuriore, quasi e lineolis paullo obliquis composita, occupantur. Venter, pube pallida sat densa vestitus, secundum medium late paullo infuscatus est. *Mamillae* cinereo-testaceae.

Lg. corp. 6; lg. cephaloth. $2\,{}^1/_6$, lat. ej. $1\,{}^4/_5$, lat. clypei parum plus 1, lat. frontis circa $1\,{}^1/_2$; lg. abd. $4\,{}^1/_6$, lat. ej. $1\,{}^1/_2$ millim. Ped. I $9\,{}^1/_2$, II, 9, III $3\,{}^1/_4$, IV paene $3\,{}^3/_4$ millim. longi; pat. + tib. IV circa $1\,{}^3/_4$ millim.

Cel. Kinberg feminam singulam in Java invenit. — Haec species *R. acuminatae* (Thor.) (1) sive *Misumenae elongatae*, L. Koch (2), affinis est, pedibus anterioribus alio modo aculeatis, pictura alia, cet., tamen haud difficulter dignoscenda.

205. **R. disticta**, n., *sub-testacea, cephalothorace paullo longiore quam latiore, in ipso dorso recto, linea media longitudinali alba et (interdum) fasciis duabus parallelis fuscis ab oculis lateralibus posticis ad declivitatem posticam ductis notato, tuberculis frontalibus carina transversa alba conjunctis; pedibus testaceis, anterioribus paullo obscurioribus; abdomine circa dimidio longiore quam latiore, non supra mamillas retro producto, inverse sub-pentagono-ovato, antice truncato, angulis lateralibus amplissime rotundatis, non prominentibus, dorso sub-testaceo, punctis duobus nigris in medio et inter eas linea longitudinali alba notato, pone eam et secundum latera albo quoque; lateribus abdominis infra albis, supra obscurioribus, ventre fuligineo.* — ♀ jun. *Long. saltem* $4\,{}^5/_6$ *millim.*

(1) Studi, *cet.*, III, loc. cit. p. 333 (*Pistius acuminatus*).
(2) Die Arachn. Austral., p. 529, Tab. XL, fig. 5 et 5*a*.

Femina *jun.* — *R. Kinbergii* valde affinis est haec species, forma alia abdominis et alia armatura pedum facile internoscenda. *Cephalothorax*, qui modo paullo longior est quam latior, tibiâ 1.[i] paris paullo longior videtur; ad formam plane ut in priore specie diximus est, paene glaber: modo in clypeo pilos paucos video. *Oculi* ut in priore, excepto quod spatium inter oculos binos laterales vix minus est quam spatium inter oculos anticos medios et laterales, et modo paullo minus quam spatium inter posticos medios et laterales; oculi medii antici, inter se spatio duplam oculi diametrum vix aequanti sejuncti, modo circa dimidio longius a lateralibus anticis quam inter se distant. *Sternum*, *partes oris* et *palpi* ut in priore fere. *Pedes* anteriores paullo breviores quam in ea, laeves, parce pubescentes. In femoribus 1.[i] paris 4 aculeos minutos video; in 2.[i] paris singulum aculeum (?); tibiae anteriores 4-5 paria aculeorum mediocrium subter habent, metatarsi anteriores 6-7 paria aculeorum, saltem ad partem paullo majorum. Pedes posteriores quum plurimum unum alterumve aculeum minutum in femoribus habere visi sunt. *Abdomen* sub-depressum, saltem dimidio longius quam latius, non pone mamillas productum; antice truncatum et satis angustum est (cephalothorace paullulo angustius), tum ad paene $^3/_4$ longitudinis lateribus levissime rotundatis (antice sub-sinuatis) sensim dilatatum, dein lateribus fortius rotundatis sensim cito angustatum, apice breviter acuminato, angulis lateralibus amplissime rotundatis, non prominentibus.

Color. — *Cephalothorax* obscure testaceus, linea media longitudinali alba; tubercula frontalia carina transversa tenui alba conjuncta sunt; in exemplo altero fasciae duae parallelae fuscae non latae ab oculis lateralibus posticis ad declivitatem posticam ductae adsunt. *Sternum* obscurius testaceum, pallido-pubescens; *partes oris* et *palpi* pallidius testacea. *Pedes* testacei, anteriores posterioribus paullo obscuriores, pallido-pubescentes et -aculeati. *Abdominis* dorsum sordide testaceum dicendum, pilis brevissimis pallidis sparsum; in medio vel paullo pone medium puncta duo nigra ostendit, et inter ea lineam longitudinalem albam antice et (praesertim) postice abbreviatam; pone hanc lineam et

utrinque, versus latera, punctis vel maculis parvis densis albis ita variatum est dorsum, ut posterius albicans evadat, versus latera fasciis duabus longitudinalibus inaequalibus albis plus minus bene expressis notatum. Latera abdominis superius fusca vel oblique fusco-lineata sunt, infra vero alba; venter late fuligineus, pallido-pubescens. *Mamillae* pallide testaceae.

♀ *jun.* — Lg. corp. 4 $^5/_6$; lg. cephaloth. 1 $^3/_4$, lat. ej. 1 $^1/_2$, lat. front. circa 1 $^1/_5$; lg. abd. paullo plus 3, lat. ej. parum plus 2 millim. Ped. I 6 $^1/_2$, II 5 $^2/_3$, III circa 2 $^3/_4$, IV 3 $^1/_4$ millim. longi; pat. + tib. IV paullo plus 1 millim.

Haec quoque species a Cel. Prof. Kinberg, quae duo exempla nondum adulta in Java cepit, detecta est. — Color pedum et cephalothoracis in aranea viva fortasse viridis vel viridi-testaceus est.

Gen. **Phrynarachne,** Thor., 1869.

206. **Ph. Ceylonica**, Cambr., *cephalothorace ad maximam partem nigro, saltem anterius pustulis humilibus sparso, et tuberculis duobus sat altis in angulis frontis sitis munito, his tuberculis ad basin oculis ternis et tuberculis binis parvis cinctis; pedibus anterioribus a basi ad medium tibiae pallide flaventibus, dein vero nigris, annulo metatarsorum alioque tarsorum pallidis, tibiis (foras curvatis) et metatarsis aculeis crebris longis varicantibus undique armatis, pedibus posterioribus nigro- et pallido-annulatis; abdomine saltem ad maximam partem nigricanti, macula anali pallida et pustulis nitidis in series longitudinales dispositis superius munito.* — ♀ jun. *Long. saltem* 6 $^1/_2$ *millim.*

Syn.: 1884. *Ornithoscatoides Ceylonica,* Cambr., On two new Genera of Spiders, *in* Proceed. of the Zool. Soc. of London, 1884, p. 201, Pl. XV, fig. 3.

Exemplum singulum siccatum, acui affixum, mutilatum et valde corrugatum vidi, in Borneo captum et ex Mus. Holmiensi mecum communicatum; quod cum femina *O. Ceylonicae,* Cambr., in ins. Taprobane capta, benevolentia ipsius Cel. Cambridgei comparare potui.

Gen. *Ornithoscatoides*, Cambr., vix a *Phrynarachne*, Thor. ([1]), distinguendum videtur: *Ph. foka* (Vins.) saltem, quam typum hujus generis habeo (et cujus exemplum possideo), parum ad structuram ab *O. Ceylonica* nisi cephalothorace altiore, ad longitudinem et transversim fortius convexo, ut et pedibus multo brevioribus differt.

Gen. **Misumena** (Latr.). 1804.

207. **M. flavens**, Thor.

Syn.: 1877. *Misumena flavens*, Thor., Studî, *cet*., I, Ragni di Selebes, loc. cit., p. 510 (170).

Species in Celebes, ad Kandari, capta.

208. **M. hilaris**, Thor.

Syn.: 1877. *Misumena hilaris*, Thor., Studî, *cet*., I, Ragni di Selebes, loc. cit., p. 511 (171).

Haec quoque species in Celebes vitam degit, ad Kandari inventa.

209. **M. dierythra**, n., *cephalothorace testaceo-ferrugineo, linea tenui longitudinali alba notato et granulis humillimis albis, setas gerentibus, sparso; ordinibus duobus oculorum parvorum modice et paene aequaliter curvatis, oculis mediis trapezium latius postice quam antice et latius antice quam longius formantibus, oculis mediis anticis paullulo longius a lateralibus anticis quam inter se remotis; pedibus anterioribus pallide ferrugineo-testaceis, posterioribus testaceis; abdomine paullo longiore quam latiore, sub-pentagono, angulis lateralibus obtusis, non prominentibus, dorso ejus sub-testaceo, fasciis duabus marginalibus fusco-rufis a basi ad angulos laterales pertinentibus ornato.* — ♀ jun. *Long. saltem* 4 $^1/_2$ *millim.*

Femina. — *Cephalothorax* vix longior quam latior, paullo longior quam tibia cum patella 1.[i] paris, sub-orbiculatus, utrinque antice parum sinuatus, parte cephalica brevi spatio anteriora

([1]) On European Spiders, *cet*., loc. cit., p. 37.

versus lateribus rectis sensim fortiter angustata, fronte paene truncata, modo levissime et aequaliter rotundata, dimidiam partem thoracicam latitudine saltem aequanti. Parum altus est cephalothorax, dorso transversim in medio modice convexo, inter oculos medios posticos paene plano; a latere visum dorsum ante declivitatem posticam sat leviter et aequaliter convexum est et paullo proclive, area oculorum mediorum fortius proclivi et paullo convexa, clypeo valde praerupto, paene directo; declivitas postica superius satis convexa est, in reliquum dorsum, quo non parum est brevior, sine limite transiens. Facies lata et humilis, circa duplo et dimidio latior quam altior, lateribus directis, immo paullulo reclinatis. Impressiones cephalicae rectae, praesertim antice distinctae, saltem ad medium dorsi pertinentes; sulcus ordinarius centralis vix ullus. Opacus est cephalothorax, et granulis vel pustulis parvis omnium humillimis sat dense conspersus, quae suam quaeque setam erectam sat fortem et longam gerunt; clypeus eodem modo setis nonnullis munitus est. Area *oculorum* lata: longitudo seriei oculorum posticae clypei latitudinem paullo superat. Series oculorum antica a fronte visa modice sursum est curvata (linea recta oculos medios supra tangens laterales non tangit); series postica desuper visa paene eodem modo (ut mihi quidem videtur, paullulo minus fortiter) recurva est. Oculi omnes parvi sunt, laterales antici mediis anticis modo paullulo majores, laterales postici mediis posticis, qui reliquis paullulo minores sunt, paullulo majores quoque. Oculi medii aream transversam occupant, quae non parum latior est postice quam antice, et paullo latior antice quam longior. Oculi medii antici, spatio diametro sua plus triplo majore disjuncti, paullulo longius a lateralibus anticis quam inter se distant; medii postici parum longius inter se quam a lateralibus posticis remoti sunt. Spatium inter oculos binos laterales, costae vel tuberculo communi lato humili obtuso impositos, spatio inter medios anticos et posticos vix minus est, sed non parum minus quam est spatium inter anticos medios et laterales, et multo, paene dimidio, minus quam spatium inter posticos medios et laterales. Spatium inter oculos medios anticos et marginem clypei paullulo minus est

quam spatium inter oculos medios anticos et posticos. *Sternum* brevius sub-ovatum, antice late sub-emarginatum, parum convexum, laeve, sub-nitidum, pilis sat densis sparsum.

Mandibulae paene directae, sub-conicae, patellis anticis paullo breviores et paullo angustiores, in dorso parum convexae et setis nonnullis sparsae. *Palpi* breves, setosi, partibus patellari et tibiali paene eadem longitudine, non dimidio longioribus quam latioribus. *Pedes* anteriores longi et modice robusti (1.[i] paris paullulo longiores quam 2.[i] paris), posteriores brevissimi et sat graciles; pilis brevibus minus dense vestiti sunt pedes, in femoribus anterioribus pilis etiam brevioribus, crassioribus, acuminatis — vel potius setulis — sat densis muniti. Aculeis sat multis armati sunt pedes saltem anteriores; in femoribus omnibus aculei paucissimi et breves sunt; tibiae et metatarsi modo subter sunt aculeati: tibiae anteriores aculeos paucos (2-5) subter habent; metatarsi anteriores subter 6-7 paribus aculeorum longiorum et fortiorum armati sunt. *Abdomen* paullo longius quam latius, sub-pentagonum, angulis lateralibus obtusis quidem sed nec late rotundatis, nec prominentibus; basi leviter rotundatum est, dein lateribus paene rectis ad circiter $^2/_3$ longitudinis sensim dilatatum, tum lateribus levissime rotundatis citius sensim angustatum, apice sub-acuminatum. Dorsum abdominis sub-deplanatum est, punctis ordinariis majoribus impressis 5-7 notatum et setulis brevibus acuminatis sat dense sparsum.

Color. — *Cephalothorax* testaceo-ferrugineus, linea tenui longitudinali alba a margine frontali paene ad declivitatem posticam ducta notatus, et granulis humilibus albis, setas pallidas gerentibus conspersus, quorum nonnulla, in parte cephalica secundum latera ejus in ordines duos posteriora versus appropinquantes disposita, praesertim conspicua sunt; tubercula oculorum lateralium albicantia, reliqui oculi albedine cincti. *Sternum, maxillae* et *labium* pallide ferrugineo-testacea. *Mandibulae* testaceo-ferrugineae, apice pallidiores. *Palpi* et *pedes* testacei, pedes anteriores praesertim apicem versus magis ferrugineo-testacei, aculeis plerisque pallidis, setulis saltem ad partem fuscis. *Abdomen* ferrugineo-testaceum, subter cum mamillis paullo pallidius. Dorsum

ejus fasciis duabus marginalibus paene rectis non latis fusco-rubris ornatum est, quae a basi ad angulos laterales sunt ductae; punctis albis setulas sub-fuscas gerentibus sat dense est conspersum, quae puncta praesertim in fasciis illis fusco-rubris distincta sunt, hic in ordines longitudinales densius disposita: in parte dorsi posteriore ordines transversos formant. Venter ante rimam genitalem pallide rufescenti-ferrugineus est; utrinque apud hanc rimam, postice, macula minuta nigra (in spiraculo) notatur; puncta duo nigricantia in medio inter eas video quoque.

Lg. corp. 4 $^1/_2$; lg. cephaloth. 2, lat. ej. 2, lat. clyp. parum plus 1; lg. abd. 2 $^3/_4$, lat. ej. 2 millim. Ped. I paullo plus 8 $^1/_2$, II 8 $^1/_2$, III 4, IV 4 $^1/_2$ millim. longi; pat. + tib. IV paene 1 $^1/_2$ millim.

Feminam, ut videtur non plane adultam, quam supra descripsi, cum alia etiam minore in ins. Singapore cepit Cel. Kinberg. — Haec species ad gen. *Heriaeum*, Sim., referri fortasse debet, quamquam aream oculorum mediorum latiorem postice quam antice habet; gen. *Diaeae* non bene adscribi potest, ut quae oculos laterales anticos reliquis paene aequalibus modo paullulo majores habeat, et seriem oculorum anticam paullulo fortius curvatam quam posticam (quum oblique desuperne et a fronte inspicitur area oculorum).

Gen. **Diaea** (Thor.), 1869.

210. **D. nitida** (Thor.).

Syn.: 1877. *Misumena nitida*, Thor., Stud., *cet.*, I, Ragni di Selebes, loc. cit., p. 508 (168).
1878. » » , id., ibid., II, Ragni di Amboina, loc. cit., p. 199 et 307.
1881. *Diaea nitida*, id., ibid., III, Ragni dell'Austro-Malesia, *cet.*, loc. cit., p. 340.

Haec species in Celebes (ad Kandari) et in Amboina inventa fuit.

211. **D. zonura**, n., *cephalothorace et mandibulis testaceo-rufescentibus vel luteis; oculis mediis in trapezium postice latius quam*

antice et paullo latius postice quam longius dispositis, anticis eorum modo paullulo longius inter se quam a lateralibus anticis sat magnis remotis, oculis posticis spatiis aequalibus disjunctis; palpis et pedibus omnibus luteo-testaceis totis; abdomine pentagono-rotundato, angulis lateralibus rotundatis, testaceo, in dorso versus latera plerumque fasciis duabus longitudinalibus valde inaequalibus nigro-purpureis ornato, et inter eas maculis duabus vel pluribus albis, apice abdominis late nigro-purpureo, plaga transversa testacea circum mamillas. — ♀ ad. *Long. circa* 4 $^1/_2$ *millim.*

Femina. — *Cephalothorax* parum longior quam latior, parum longior quam tibia cum patella 4.ⁱ paris, in lateribus amplissime, satis aequaliter et fortiter rotundatus, utrinque antice leviter sinuatus, parte cephalica lateribus dein (brevi spatio) paene rectis anteriora versus sensim angustata, fronte modo levissime rotundata, paene truncata; latitudo clypei vel frontis dimidiam partis thoracicae latitudinem paullo superat. Altus est cephalothorax, dorso transversim in medio sat fortiter, antice vero modo leviter convexo, lateribus sat praerupte declivibus et leviter convexis; a latere visum dorsum ante declivitatem posticam — quae valde praerupta est, sat leviter convexa et reliquo dorso modo paullo brevior — usque ad oculos medios posticos paullo proclive et leviter convexum est, area oculorum mediorum paullo fortius proclivi, clypeo valde praerupto, paene directo. Impressiones cephalicae nullae sunt, sulcus ordinarius centralis, in declivitate postica sub-triangula situs, distinctissimus. Laevis et nitidus est cephalothorax, pilis paucis longis sub-erectis sparsus. *Oculorum* series antica a fronte visa sat leviter sursum est curvata (linea recta medios supra tangens laterales in centro secat), series postica desuper visa paullo fortius recurva: desuper (et paullo a fronte) visae ambae series aequaliter curvatae videntur. Oculi laterales antici reliquis non parum, circa dimidio, majores sunt; oculi 4 postici plane aeque magni sunt, medii antici iis vix vel parum majores. Oculi medii aream occupant, quae paene dimidio latior est postice quam antice, sed parum latior postice quam longior, evidentissime longior quam latior antice. Oculi medii antici spatio modo paullulo majore inter se quam a lateralibus

anticis remoti sunt, his ultimis spatiis diametro oculi maximi plus dimidio (vix vero duplo) majoribus. Oculi postici spatiis aequalibus disjuncti sunt, his spatiis oculi diametro plus triplo majoribus. Spatium inter oculos binos laterales, qui costae obliquae humili obtusae impositi sunt, evidenter paullo minus est quam spatia, quibus distant medii antici a mediis posticis; non parum minus est quoque quam spatium inter oculos posticos medios et laterales, sed paullo majus quam spatium inter anticos medios et laterales. Spatium inter marginem clypei et oculos medios anticos paullo minus est quam spatium, quo distant hi oculi ab oculis mediis posticis. *Sternum* brevissime sub-ovatum, antice latissime emarginato-truncatum, laeve, nitidum, pilosum.

Mandibulae patellas anteriores longitudine paene aequant, iis paullo latiores, sed femoribus anticis paullo angustiores; paene directae sunt, cylindrato-conicae, plus dimidio, paene duplo longiores quam latiores basi, in dorso modo leviter convexae, laeves, nitidae, pilis paucis sparsae. *Palpórum* pars patellaris paullo longior quam latior, pars tibialis paene duplo longior quam latior, pars tarsalis prioribus duabus conjunctis non parum brevior sed parte tibiali non parum longior. Aculeis nonnullis armati sunt palpi et, ut *pedes*, laeves, nitidi, modice pilosi et pubescentes. Omnes pedes aculeis debilioribus sat crebris in femoribus, tibiis et metatarsis armati sunt; tibiae anteriores undique sunt aculeatae (subter 2-4 paribus aculeorum munitae videntur), metatarsi anteriores subter 5 paria aculeorum paullo fortiorum habent et praeterea 1. 1. 1. aculeos antice et postice. *Abdomen* paullo longius est quam latius, pentagono-rotundatum fere; basi rotundatum est, dein ad circa $^2/_3$ longitudinis lateribus leviter rotundatis sensim dilatatum, tum lateribus leviter rotundatis sensim citius angustatum, apice sub-acuminato, angulis lateralibus fortiter rotundatis, non prominentibus. *Vulva* ex area minuta pallida sub-oblonga sat longe ante rimam genitalem sita constat, quae nitida et parum elevata est et utrinque sulco tenui longitudinali nigro-rufescenti limitata videtur: parum pone eam duas alias areas vel maculas pallidas oblongas etiam minores ante rimam genitalem vidisse videor.

Color. — *Cephalothorax* testaceo-rufescens sive luteus, pilis paucis nigris sparsus; oculi albedine cincti. *Mandibulae* testaceo-rufescentes. *Sternum, maxillae* et *labium* ejusdem coloris, modo paullo pallidiora. *Palpi* et *pedes* luteo-testacei (an in vivis virentes?), pilis et aculeis nigris. *Abdomen* flavo-testaceum, hac pictura purpureo-nigra: secundum dorsum, a basi ad $^4/_5$ longitudinis fere, fasciae duae inaequales, paullo incurvae et posteriora versus divaricantes, praesertim postice plus minus evidenter in maculas abruptae (interdum obsoletae) extensae sunt, spatium saltem duplo latius inter se relinquentes, quam quo a margine laterali dorsi sunt remotae; pone eas, paullo supra anum, vitta lata transversa sub-sinuata conspicitur, quae in lateribus pertinens abdomen postice cingit, utrinque cum alia vitta procurva, in ventre paullo ante mamillas sita, conjuncta. (Vitta supra-analis lineolis paucis brevibus transversis notata est et, ut reliqua pictura purpureo-nigra, maculis minutis pallidis sparsa). Apex abdominis igitur plaga magna lata purpureo-nigricanti occupari dici potest, quae macula media magna transversa sub-fusiformi testacea — cujus in medio mamillae locum tenent — notatur, et quae subter (in ventre), antice, emarginata est. Praeter hac pictura dorsum paullo ante medium, in spatio inter fascias illas duas longitudinales obscuras, maculis duabus albis ornatum est, et interdum pone eas maculis 2-3 minoribus albis, striisque paucis transversis ejusdem coloris postice. *Mamillae* superiores saltem supra albicantes, reliquae magis testaceae.

Lg. corp. paullo plus 4 $^1/_2$; lg. cephaloth. parum plus 2, lat. ej. 2, lat. clyp. circa 1 $^1/_6$; lg. abd. 3, lat. ej. 2 $^2/_3$ millim. Ped. I 8 $^1/_2$, II 8 $^3/_4$, III 5 $^1/_4$, IV 6 millim. longi; pat. + tib. IV 2 millim.

Feminam adultam in monte Singalang Sumatrae invenit Cel. Beccari; duas alias, alteram adultam, alteram juniorem, ad Tcibodas ins. Javae cepit.

212. **D. concinna**, Thor.

Syn.: 1877. *Diaea concinna*, Thor., Studi, *cet.*, I, Ragni di Selebes, loc. cit., p. 516 (176).

Habitat in Celebes, ad Kandari capta.

213. **D. insignis**, Thor.

Syn.: 1877. *Diaea insignis*, Thor., Studi, *cet.*, I, Ragni di Selebes, loc. cit., p. 513 (173).

Pulchra haec species ea quoque adhuc tantum in Celebes (ad Kandari) inventa fuit.

Gen. **Narcaeus** (1), n.

Cephalothorax formae in hac familia ordinariae, sub-transversus, humilis, parte cephalica angusta; clypeus directus, altitudine spatium inter oculos medios anticos et posticos non vel modo paullo superans.

Oculi laterales antici reliquis majores, medii postici reliquis minores. Area oculorum brevis, saltem duplo latior quam longior; series eorum postica longior quam antica et fortissime recurva, series antica leviter sursum curvata, paene totam latitudinem frontis angustae occupans. Oculi medii aream transversam rectangulam vel paullo latiorem postice quam antice formant. Oculi bini laterales spatio majore inter se distant, quam quo distant medii antici a mediis posticis; oculi laterales postici multo, laterales antici non multo longius a mediis suae seriei quam hi inter se remoti sunt.

Mandibulae sub-conicae, directae.

Maxillae breviores, in labium inclinatae eoque circa dimidio longiores; labium non multo longius quam latius, apice rotundato-truncato.

Pedes breves, anteriores robusti, posterioribus circa dimidio longiores et paullo aculeati.

Abdomen breve, mamillis brevissimis.

Typus: *N. picinus*, n.

Hoc genus *Oxyptilae*, Sim., affine est, serie oculorum postica fortissime recurva, area oculorum mediorum transversa, cet., distinguendum.

(1) Ναρκαῖος, nom. propr. pers.

214. **N. picinus**, n., *cephalothorace nigro-piceo, dense granuloso, sterno laevi; pedibus granuloso-scabris, piceis, tarsis fusco-testaceis, patellis anterioribus apice angustissime albis; abdomine nigro, linea media longitudinali albicanti anterius in dorso notato.* — ♀ ad. *Long. paullo plus* 3 *millim.*

Femina. — *Cephalothorax* non parum latior quam longior, paullo longior quam tibia cum patella 1.ⁱ paris, postice latissime truncatus, in lateribus partis thoracicae fortiter rotundatus, utrinque antice cito et fortissime sinuato-angustatus, parte cephalica lateribus paene rectis anteriora versus parum angustata, quoad libera est parum plus dimidio latiore quam longiore; frons rotundata, clypeo vix latior, $^1/_3$ partis thoracicae latitudine parum superans. Humilis est cephalothorax, transversim in lateribus modice, in medio parum convexo, dorso a latere viso ante declivitatem posticam (quae reliquo dorso circa duplo brevior est, praerupte declivis et leviter convexa) modice proclivi et recto vel potius paullulo concavato, inter oculos paullo fortius declivi; facies directa, humilis, saltem duplo latior quam longior sive altior, supra paene recta, vix convexa, lateribus paene directis et paullo convexis. Clypei altitudo spatium inter oculos medios anticos et posticos vix vel parum superat. Impressiones cephalicae modo anterius distinctae sunt: aliis impressionibus caret cephalothorax, qui, excepto in declivitate postica lata et laevi, opacus et praesertim in parte thoracica dense et sat crasse granulosus est, granulis saltem in media parte cephalica in ordinem longitudinalem digestis, spatiis non granulosis sat subtiliter coriaceis. Saltem in margine clypei setas paucas breves sub-obtusas non clavatas ostendit cephalothorax. *Oculi* parvi, lateralibus anticis exceptis, qui lateralibus posticis non parum majores sunt, et mediis anticis saltem duplo majores; oculi medii antici mediis posticis minutissimis non parum sunt majores. Area oculorum brevis est, plus duplo latior quam longior, frontem latitudine aequans; series eorum postica fere dupla oculi lateralis postici diametro longior est quam series antica, fortissime recurva, series antica a fronte visa leviter sursum curvata: linea recta oculos medios anticos supra tangens late-

rales anticos paullo supra marginem inferiorem secat. Area oculorum mediorum paullo latior est quam longior, paene rectangula, parum latior postice quam antice. Spatium inter oculos binos laterales (vix costae expressae impositos) paullo majus est quam spatium inter medios anticos et posticos; oculi medii antici, spatio duplam oculi diametrum paene aequanti disjuncti, paullulo longius a lateralibus anticis quam inter se remoti sunt; medii postici multo longius a lateralibus posticis quam inter se distant. *Sternum* paullo latius quam longius, in lateribus fortiter rotundatum, antice in medio truncatum, postice quoque sed minus late truncatum; paene planum est, laeve, pubescens.

Mandibulae parvae, directae, conicae, fere dimidio longiores quam latiores basi, parum convexae, sub-granulosae, setis crassis non clavatis sparsae. *Maxillae* paene duplo longiores quam latiores, in labium fortiter inclinatae eoque circa dimidio longiores; *labium* magnum, parum longius quam latius, apice late rotundato-truncatum. *Palpi* robusti, scabri, setis crassis obtusis apicem versus muniti. *Pedes* breves, robusti, granulis densis scabri, setulis minutis sub-appressis (saltem in tibiis et metatarsis anterioribus majoribus et sub-clavatis) sparsi, apice paullo pilosi et pubescentes; pedes anteriores aculeis paucis sat brevibus et gracilibus subter armati sunt, aculeis metatarsorum (saltem 1.ⁱ paris) 2. 2. 2., tibiarum saltem 1: praeterea aculeis carere videntur pedes. *Abdomen* paullo latius quam longius, sub-elliptico-orbiculatum, latitudine maxima fere in medio longitudinis; antice tamen late truncatum est, in lateribus et postice sat aequaliter et fortiter rotundatum, excepto brevi spatio antice, ubi lateribus rectis posteriora versus sensim dilatatur; parum convexum est, opacum, subtiliter coriaceum, in lateribus ad longitudinem, postice transversim sulcato-plicatus, foveolis 5 ordinariis anterius in dorso distinctissimis. Saltem in lateribus pilis minutis sub-erectis raris sparsum est, in ventre pubescens. *Vulvae* forma difficilis visu; quum in fluido immersa est bestiola, maculas duas non ita parvas oblongas, breviter ellipticas, ferrugineo-fuscas, spatio modo parvo disjunctas paullo ante rimam geni-

talem ejus video, quae maculae in margine antico, intus, suum quaeque punctum nigrum ostendunt.

Color. — *Cephalothorax* nigro-piceus, oculis anticis saltem mediis annulo pallido cinctis; *sternum, maxillae* et *labium* picea, pallido-pubescentia. *Mandibulae* nigro-piceae, ut clypeus et palpi pallido-setosae. *Pedes* (ut *palpi*) picei, summo apice patellarum (et partis patellaris palporum) supra albo, coxis sordide testaceis, tarsis obscure fusco-testaceis. Pallido-setulosi sunt pedes, aculeis piceis muniti. *Abdomen* supra et in lateribus nigrum est, linea longitudinali media pallida anterius notatum, quae ad medium dorsum pertinet; quum in liquido immersa est aranea, pone hanc lineam lineae paucae transversae inaequales pallidae conspiciuntur, et in lateribus dorsi puncta nonnulla pallida, in lineas paucas sub-obliquas vel incurvas disposita. Venter sordide testaceus, pallido-pubescens; vulva ferrugineo-picea. *Mamillae* testaceae.

♀. — Lg. corp. paullo plus 3; lg. cephaloth. paullo plus $1\,{}^1/_4$, lat. ej. $1\,{}^1/_2$, lat. clypei paene ${}^2/_3$; lg. abd. 2, lat. ej. $2\,{}^1/_4$ millim. Ped. I et II 3, III et IV circa 2 millim. longi; pat. + tib. IV circa ${}^3/_4$ millim.

Cel. Beccari feminam unam ad Tcibodas ins. Javae invenit.

Gen. **Cerinius**, Thor., 1877.

215. **C. fuscus**, Thor.

Syn.: 1877. *Cerinius fuscus*, Thor., Studi, *cet.*, I, Ragni di Selebes, loc. cit., p. 518 (178).

Habitat in ins. Celebes, ad Kandari inventus.

Gen. **Tharpyna**, L. Koch, 1874.

216. **Th. varica**, n., *cephalothorace obscure ferrugineo-fusco, fascia media longitudinali lata pallida* (*quae in parte cephalica plaga ovato-cuneata ferrugineo-fusca repletur*) *et fasciis duabus supra-marginalibus angustioribus pallidis saltem postice evidentibus*

notato; pedibus anterioribus ferrugineo-fuscis, femoribus subter nigris, tarsis fusco-testaceis, pedibus posterioribus praesertim basin versus clarioribus; abdomine elliptico-ovato, dorso nigro fascia lata alba cincto et anterius fascia sat lata sub-lanceolata cinereo-fusca notato, quae anterius puncta 5 *impressa, annulis vel lunulis parvis albis inclusa ostendit et postice ut linea alba ad anum continuatur.* — ♀ jun. *Long. circa* 5 *millim.*

Femina *jun.* — *Cephalothorax* non parum longior quam tibia cum patella 4.[i] paris, vix longior quam latior, in lateribus partis thoracicae posterius fortiter, anterius levius rotundatus, postice emarginatus, utrinque antice paullo sinuato-angustatus, parte cephalica lateribus rectis anteriora versus sensim angustata, sat magna, latitudine frontis truncatae clypei latitudinem et dimidiam partis thoracicae latitudinem paullo superanti. Modice altus est, ante declivitatem posticam, quae reliquo dorso paullo est brevior, fere usque ad medium areae oculorum mediorum sat fortiter proclivis et paullulo convexus; facies directa, humillima, lateribus et genis reclinatis, a fronte visa supra pone oculos modice convexa; altitudo clypei vix dimidium spatium inter oculos medios anticos et posticos aequat, diametrum oculi medii antici non multo superans. Subtilissime coriaceus et nitidus est cephalothorax, impressionibus cephalicis parum expressis, minus dense pilosus et setis nonnullis sparsus, in margine clypei serie pilorum porrectorum munitus. *Oculi* laterales antici magni, mediis anticis saltem duplo, lateralibus posticis circa dimidio majores; oculi medii antici mediis posticis parvis saltem dimidio majores sunt. Area oculorum magna, plus duplo latior quam longior; series oculorum postica circa dupla oculi lateralis postici diametro longior est quam antica, quae totam latitudinem frontis occupat. Series antica paene recta est, modo levissime sursum curvata: linea recta oculos medios supra tangens laterales fere in medio secat; series postica fortissime est recurva. Area oculorum mediorum postice non parum latior est quam antice, aeque circiter longa ac lata antice. Spatium inter oculos binos laterales, costae communi obliquae humili impositos, non parum majus est quam spatium inter oculos medios anticos et

posticos, et paullulo majus quoque quam spatium, quo laterales antici a mediis anticis distant, paullo minus vero quam spatium, quo laterales postici a mediis posticis sunt remoti. Oculi medii antici, spatio duplam oculi diametrum paullo superanti disjuncti, vix vel parum longius a lateralibus anticis quam inter se distant; medii postici contra non parum longius a lateralibus posticis quam inter se remoti sunt. *Sternum* breviter ovatum, antice sub-emarginato-truncatum, paullulo convexum, laeve, pilosum.

Mandibulae directae, conicae, in latere exteriore levissime sinuatae, intus leviter excavatae, in dorso versus basin sat leviter convexae, pilosae; duplo fere longiores quam latiores sunt, patellas anteriores longitudine et, basi, crassitie aequantes. *Maxillae* in labium paullo inclinatae, eo plus dimidio longiores, duplo longiores quam latiores, apice praesertim extus sat ample rotundato; *labium* paullo longius quam latius, a basi ad apicem sub-truncatum sensim angustatum. *Palporum* pars patellaris paullo, pars tibialis dimidio longior quam latior est. *Pedes* mediocri longitudine, non robusti, anteriores posterioribus plus dimidio longiores; modice pubescentes et pilosi sunt, anteriores aculeis gracilibus modice longis armati, posteriores quoque aculeis paucis muniti. Tibiae anteriores subter 2. 2. 2. 2., antice et postice 1. 1. 1. aculeos habent, metatarsi anteriores subter 2. 2. 2., antice et postice 1. 1. Femora omnia aculeum 1 supra ostendunt, 1.[i] paris praeterea 2 antice. *Abdomen* elliptico-ovatum, dimidio longius quam latius, antice et in lateribus rotundatum, postice sub-acuminatum, dorso posterius modice, antice modo leviter convexo, pilis mediocribus sub-erectis in dorso et in lateribus, superius, sparso; venter minus dense pubescens.

Color. — *Cephalothorax*, pilis pallidis et setis nigris sparsus, obscure ferrugineo-fuscus est, fascia media longitudinali lata pallide testacea per totum dorsum extensa notatus, quae tamen in parte cephalica, ubi paullo latior evadit, plagà ovato-cuneatà ferrugineo-fuscà repleta est: antice in hac plaga, inter oculos medios posticos incipientes, lineolae duae obscure fuscae retro ductae conspiciuntur, V angustissimum formantes; margo frontalis et

costa oculorum lateralium albicantes sunt, clypeus ferrugineus. Secundum margines laterales fasciam longitudinalem angustiorem pallidam ostendit cephalothorax, quae tamen parum expressa est, excepto postice. *Sternum, maxillae* et *labium* testaceo-fusca, pallido-pilosa, illud paullo nigricanti-maculatum. *Mandibulae* ferrugineae, pallido-pilosae. *Palpi* fusco-testacei. *Pedes* anteriores ferrugineo-fusci, femoribus subter nigris, tarsis fusco-testaceis; pedes posteriores clarius fusci, coxis et femoribus fusco-testaceis, et apice paullo clariores quoque. Pallido-pilosi et -pubescentes sunt pedes et palpi, aculeis pallide fuscis. *Abdomen,* pilis pallide fuscis sparsum, supra nigrum est (hac area nigra, ut videtur, anterius ex fasciis longitudinalibus sub-obliquis, postice ex vittis transversis conflata, interstitiis nigro-fuscis) et fascia lata albicanti cinctum, quae ex lineis longitudinalibus obliquis formatur, interstitiis (sulcis) inter eas nigris; fascia media longitudinali sublanceolata sat lata cinereo-fusca notatum est dorsum, quae a basi ultra medium pertinet, dein ut linea inaequalis (vel in maculas abrupta) alba ad anum continuata: haec fascia lunulis vel annulis 5 minutis albicantibus, quibus puncta 5 ordinaria impressa cincta vel intus limitata sunt, in marginibus et antice est notata. Declivitas antica pallida est, latera inferius nigra; venter pallido-fuscus, albicanti-pubescens, fasciis duabus longitudinalibus nigris. *Mamillae* pallide fuscae.

♀ *jun.* — Lg. corp. 5; lg. cephaloth. 2, lat. ej. 2, lat. clyp. 1; lg. abd. paene $3\,^1/_2$, lat. ej. $2\,^1/_5$ millim. Ped. I et II $6\,^1/_2$, III paene 4, IV 4 millim. longi; pat. + tib. IV $1\,^1/_2$ millim.

Cel. Beccari singulum exemplum ad Tcibodas ins. Javae invenit. — Haec species fere intermedia inter gen. *Hedanam* et *Tharpynam* est, cum *Hedana* eo conveniens, quod oculi seriei anticae spatiis paene aequalibus sunt disjuncti, praeterea vero, ut mihi quidem videtur, magis cum formis gen. *Tharpynae* congruens.

Gen. **Hedana**, L. Koch, 1874.

217. **H. perspicax**, n., *cephalothorace rufescenti- vel ferrugineo-testaceo, pilis paucis fortibus longis nigris sparso; pedibus pallide*

rufescenti-testaceis; abdomine sordide virescenti- vel olivaceo-testaceo, pilis longis sub-erectis nigris sparso, dorso ejus fasciis duabus lateralibus inaequalibus nigris, postice abbreviatis et in maculas divulsis ornato et, inter eas, maculis paucis nigris, lateribus abdominis supra fascia longitudinali postice abbreviata albicanti notatis. — ♀ ad. (?) *Long. circa* 4 $^1/_2$ *millim.*

Femina. — *Cephalothorax* aeque fere longus et latus, paullo longior quam tibia cum patella 4.[i] paris, postice in medio emarginatus, utrinque paullo pone oculos posticos paullo sinuatus, parte thoracica lateribus postice fortiter, antice sat leviter rotundatis anteriora versus paullo fortius sed minus cito quam posteriora versus angustata, parte cephalica quoad libera est sat magna, lateribus rectis non brevibus anteriora versus sensim paullo angustata, fronte late truncata, tuberculo oculorum mediorum anticorum paullo prominenti. Modice altus est cephalothorax, laevis, nitidus, tenuiter pubescens et pilis longis vel potius setis parce sparsus, impressionibus cephalicis carens, sulco medio longitudinali sat brevi in declivitate postica praeditus; dorsum ejus ante declivitatem posticam (leviter convexam et reliquo dorso paullo breviorem) usque ad oculos medios posticos modice proclive et vix convexum est, clypeo paene directo. Transversim sat fortiter convexus est cephalothorax, excepto supra antice, ubi parum est convexus; facies saltem supra paullo latior est quam altior, lateribus paullo reclinatis. Area *oculorum* magna: oculi laterales antici angulos frontis occupare videntur, quum desuper inspicitur cephalothorax. Oculi laterales postici sat longe retro locati sunt: series oculorum postica igitur fortissime est recurva; series antica desuper visa sat leviter recurva est, a fronte visa etiam levius sursum curvata: linea recta oculos laterales anticos infra tangens medios anticos non multo supra marginem inferiorem secat. Oculi medii parvi, praesertim medii postici, qui mediis anticis paullo sunt minores; in aream modo paullulo latiorem postice quam antice et paene dimidio longiorem quam latiorem antice dispositi sunt. Oculi contra laterales valde magni sunt, praesertim antici, qui lateralibus posticis paene duplo sunt majores et mediis anticis fere triplo majores: aream paene rectan-

gulam, modo paullo latiorem postice quam antice et circa dimidio latiorem quam longiorem occupant oculi quattuor laterales, cujus in medio oculi medii postici locum tenent. Spatium inter oculos binos laterales paullo majus est quam spatium, quo medii antici a mediis posticis distant. Oculi medii antici, spatio duplam oculi diametrum paene aequanti disjuncti, vix vel parum longius a lateralibus anticis quam inter se remoti sunt; oculi medii postici plus dimidio longius a lateralibus posticis quam inter se, et paullo longius quam a lateralibus anticis distant. Spatium inter oculos medios anticos et marginem clypei non parum minus est quam spatium inter oculos medios anticos et posticos. *Sternum* parum longius quam latius antice, sub-cordiforme, antice late et leviter emarginatum, in lateribus leviter rotundatum, postice sub-acuminatum; paene planum est, laeve et paullo pilosum.

Mandibulae, non plane deorsum, sed paullo anteriora versus quoque directae, duplo longiores quam latiores basi sunt, patellas anteriores longitudine paene aequantes, et iis basi paullo crassiores, in dorso versus basin sat leviter convexae; nitidae, subtiliter transversim striatae, paullo pubescentes et pilosae. *Maxillae* plus duplo longiores quam latiores, in labium modo paullo inclinatae eoque paullo plus dimidio longiores, basi latiores, intus rectae, in medio extus paullo constrictae, apice extus late et valde oblique rotundato-truncato, intus breviter et oblique truncato. *Labium* duplo longius quam latius, antice lateribus leviter rotundatis apicem truncatum versus sensim paullo angustatum. *Palpi* mediocres, pilosi et setosi, parte patellari paullo, parte tibiali dimidio longiore quam latiore, parte tarsali prioribus duabus conjunctis paullo breviore, circa triplo longiore quam latiore. *Pedes* mediocres, sat dense pubescentes et pilosi aculeisque sat crebris mediocribus armati: femora anteriora 1. 3. aculeos supra habent, 1.[i] paris praeterea aculeos paucos antice; femora posteriora, ut videtur, modo 1. 1. supra. Patellae anteriores aculeum utrinque ostendunt, posteriores patellae vix aculeatae sunt; tibiae anteriores subter aculeis 2. 2. 2. (praeter, in pedibus 1.[i] paris, duobus parvis apice), antice et

postice 1. 1 1. aculeis armatae sunt, praeterea aculeum gracilem vel potius setam fortem supra gerentes; metatarsi anteriores subter 2. 2. 2. vel 1. 2. 2. 2., antice et postice 1. 1. 1. aculeis sunt muniti. Tibiae et metatarsi posteriores saltem subter et in lateribus aculeati. *Abdomen*, pubescens et in dorso pilis longis sub-erectis parce sparsum, paullo longius quam latius est, inverse rhomboidi-ovatum fere: antice breviter est rotundatum, dein, usque ad circa $^2/_3$ longitudinis, lateribus parum rotundatis posteriora versus sensim dilatatum, tum lateribus leviter rotundatis posteriora versus citius angustatum, angulis lateralibus rotundatis. *Vulva* parum conspicua: paullo ante rimam genitalem (saltem quum in fluido immersa est aranea) maculae duae sat parvae sub-obliquae nigrae spatio parvo separatae conspiciuntur.

Color. — *Cephalothorax*, tenuiter pallido-pubescens et setis paucis longis nigris sparsus, rufescenti- vel ferrugineo-testaceus est, in medio paullo pallidior; tubercula (sive costae) oculorum binorum lateralium caeruleo-albicantia sunt, oculi medii antici suo quisque annulo albicanti cincti, medii postici in sua quisque macula parva albicanti positi. *Sternum* et *partes oris* paullo clarius rufescenti-testacea. *Palpi* et *pedes* pallide rufescenti-testacei quoque, nigro-pubescentes et -aculeati. *Abdomen*, pilis longioribus nigris conspersum, sordide virenti- vel olivaceo-testaceum est, fascia inaequali nigra ad utrumque latus notatum, quae fasciae, a basi dorsi (ubi paene contingentes sunt inter se) paene ad declivitatem ejus posticam pertinentes et posteriora versus sensim divaricantes, postice in maculas divulsae sunt; inter has fascias, quae (saltem quum in fluido quodam immersa est aranea) punctis vel maculis minutis rotundis paullo clarioribus sparsae videntur, paria pauca punctorum ejusmodi, nigrore cinctorum, conspiciuntur. Latera abdominis fasciam latam albam, a declivitate ejus antica saltem ad declivitatem posticam pertinentem, supra ostendunt: hae duae fasciae spatio praesertim antice modo parvo a fasciis dorsi nigris separatae sunt. Venter olivaceo-cinerascens, pallido-pubescens; *mamillae* testaceae.

Lg. corp. 4 $^1/_2$; lg. et lat. cephaloth. paene 2, lat. clyp. 1;

lg. abd. paene 3, lat. ej. 2 $1/3$ millim. Ped. I paene 8, II 7 $1/2$, III circa 4 $1/2$, IV 5 (pat. + tib. 1 $3/4$) millim. longi.

Cel. Beccari feminam singulam in monte Singalang Sumatrae cepit.

218. **H. ocellata**, n., *cephalothorace cinerascenti-testaceo, fasciis duabus longitudinalibus fuscis et margine sat late nigro, spatiis interjectis plus minus albicanti-variatis; pedibus cinereo-testaceis, saltem in mare plus minus evidenter nigro-annulatis -maculatisve; abdomine inverse sub-ovato-pentagono, angulis lateralibus rotundatis, supra olivaceo- vel sub-testaceo-cinereo, maculis parvis rotundatis albicantibus annulo nigro cinctis sparso, his maculis postice in dorso in series transversas ordinatis.* — ♂ ad. ♀ jun. *Lg.* ♂ *circa* 4 $1/2$ *millim.*

Mas. — *Cephalothorax* parum longior quam latior, parum longior quam tibia cum patella 4.ⁱ paris, postice in medio paullo emarginatus, utrinque, paullulo ante oculos laterales posticos, sat fortiter sinuato-angustatus, lateribus partis thoracicae aequaliter et fortiter rotundatis, parte cephalica quoad libera est sat magna, fere dimidio latiore quam longiore, lateribus rectis et parallelis, fronte late truncata, oculis mediis anticis paullo prominentibus; latitudo frontis dimidiam partis thoracicae latitudinem fere aequat. Humilis est cephalothorax, laevis, nitidus, tenuiter pubescens, setis paucis longioribus sparsus, impressionibus cephalicis brevibus sed distinctis, et sulco medio longitudinali sat brevi ad declivitatem posticam praeditus: dorsum ejus a latere visum a declivitate postica brevi et convexa usque inter oculos laterales posticos rectum et libratum est, dein usque ad oculos medios anticos proclive et paullo convexum, clypeo directo. Pars thoracica transversim modice convexa est, pars cephalica supra parum convexa, paene plana; facies, lateribus paullo reclinatis, saltem supra duplo latior est quam altior. *Oculi* ad magnitudinem et dispositionem plane sunt ut in specie priore diximus; laterales bini costae latae impositi sunt, quae impressione media in tubercula duo magna humilia (quasi supraciliaria) est divisa; spatium, quo medii antici a margine clypei

distant, non parum minus est quam spatia inter oculos medios anticos et posticos. *Sternum* paullo longius quam latius antice, cordiformi-triangulum, antice late truncatum et parum emarginatum, in lateribus leviter rotundatum, postice sub-acuminatum; planum est, laeve, pubescens et paullo pilosum.

Mandibulae directae, a basi ad apicem parum angustatae, paene cylindratae, paullo plus duplo longiores quam latiores, patellas anteriores longitudine et crassitie vix aequantes, in dorso paene rectae, laeves, pubescentes et paullo setosae. *Maxillae* vix duplo longiores quam latiores basi, ubi inflatae et latae sunt, ante medium extus constrictae; maxillae praeterea, ut *labium*, ut in specie priore est dictum. *Palpi* breves, modice pubescentes et setosi; pars femoralis vix duplo longior est quam latior, pars patellaris parum longior quam latior, a basi ad apicem leviter rotundatum sensim paullulo angustata, hae duae partes sat robustae; pars tibialis parte patellari paullo brevior et basi non parum angustior est, apice lateris exterioris subter in procursum pallidum sat longum et fortem, obtusum, anteriora versus directum paulloque sursum curvatum producto; pars tarsalis, femora 1.ⁱ paris latitudine aequans et modo paullo longior quam latior, parte tibiali saltem duplo latior est, paene orbiculata, apice tamen breviter acuminata, et basi extus procursu brevi sub-triangulo foras et retro directo munita, qui supra procursum partis tibialis locum tenet. Bulbus humilis, laevis, orbiculatus, seta longa nigra cinctus. *Pedes* minus robusti, anteriores longi; modice pubescentes et pilosi sunt, aculeis longis crebris armati. In femoribus 1.ⁱ paris 10 aculeos video, in 2.ⁱ paris 8, in reliquis 5; patellae omnes utrinque aculeum habent, et praeterea saltem 1 supra. Tibiae anteriores subter 2. 2. 2. (praeter, saltem in 1.ⁱ paris pedibus, 2 parvos in apice) antice et postice 1. 1. 1. aculeos habent; omnes tibiae, praeter aculeos subter et in lateribus, 1. 1. aculeos supra ostendunt. Metatarsi anteriores circa 10 aculeis, subter et in lateribus sitis, armati videntur. Pili subter in tibiis et metatarsis anterioribus longi et valde patentes sive directi sunt. *Abdomen* circa dimidio longius quam latius, inverse sub-pentagono-ovatum, antice rotundatum, dein, usque

ad $^2/_3$ longitudinis fere, lateribus paene rectis sensim paullo dilatatum, tum lateribus leviter rotundatis posteriora versus cito angustatum et sub-acuminatum, angulis lateralibus ample rotundatis.

Color. — *Cephalothorax*, tenuiter pallido-pubescens et setis paucis nigris sparsus, cinerascenti-testaceus est, fasciis longitudinalibus duabus inaequalibus nigro-fuscis, ab oculis lateralibus posticis posteriora versus ductis notatus; in spatio interjecto sub-testaceo macula media sub-stelliformis alba conspicitur, a qua linea media albicans anteriora versus, in aream inter-ocularem, ducta est, hac area etiam praeterea paullo albicanti-variata; margines laterales partis thoracicae inaequaliter nigri sunt, et spatia testacea inter hos margines nigros et fascias illas nigro-fuscas lineis paucis transversis radiantibus albis notata videntur. Elevationes, quibus insistunt oculi laterales, annulo tenui albicanti cincti, intus cinereo-nigricantes sunt, ita ut hi oculi intus macula magna ejus coloris limbati vel cincti videantur; oculi medii ii quoque plus minus evidenter colore albicanti sunt circumdati. *Sternum* et *partes oris* testacea, mandibulae nigro-pilosae. *Palpi* testacei, parte tarsali testaceo-fusca. *Pedes* testacei, nigro-annulati, nigro-pubescentes, -pilosi et -aculeati; femora anteriora apice nigra sunt, basi immaculata: annulos quattuor nigros habere videntur, qui tamen in maculas abrupti sunt et modo supra et antice distincti; femora posteriora modo apice paullo nigricantia videntur. Tibiae et metatarsi anteriores annulos quattuor plus minus distinctos vel in maculas divulsos habent (apicalem tamen, ut in femoribus, integrum), tibiae et metatarsi posteriores annulos duos; etiam patellae, saltem anteriores, annulum unum alterumve nigricantem ostendunt. *Abdomen*, supra nitidissimum et pilis nigris conspersum, hic olivaceo- vel nigricanti-testaceum est, maculis parvis rotundatis albicantibus, annulo nigro cinctis vel quasi ocelli-formibus sat dense sparsum, multis horum « ocellorum » secundum latera dorsi dense ordinatis; antice in dorso ocelli duo ejusmodi paullo majores conspiciuntur, et pone eos, parum pone medium, maculae duae inaequales nigrae, quae maculas ternas parvas densas albicantes in

seriem obliquam dispositas continent: hae maculae duae nigrae cum ocellis illis duobus trapezium postice latius quam antice formant. Pone id, longe pone medium, serie transversa ocellorum quattuor densorum notatum est dorsum, et pone eam vittâ transversâ nigrâ, quae aliam ejusmodi seriem ocellorum antice limitat; denique, supra anum, lineas paucas transversas ostendit dorsum. Praeterea ad ipsam basin maculam oblongam mediam albicantem habet, quae posteriora versus ut linea nigricans continuatur. Dorsum a lateribus stria vel striis duabus albicantibus antice limitatum videtur. Latera abdominis pallida nigro-maculata vel -striata sunt. Venter pallidus quoque, fasciis duabus longitudinalibus nigris. *Mamillae* sub-testaceae, inferiores subter nigricantes.

Femina *jun.* praeter structura palporum eo praesertim a mare differt, quod partem cephalicam latiorem quam in sexu illo habet, anteriora versus sensim paullo angustatam, et abdomen brevius quam in eo. *Mandibulae* conico-cylindratae, vix duplo longiores quam latiores basi. *Maxillae* ut in specie priore est dictum, non basi inflatae. *Pedum* aculei breviores quam in mare; in metatarsis anterioribus subter 2. 2. 2., antice et postice 1. 1. 1. aculeos video. *Abdomen* modo paullo longius est quam latius, breviter et inverse ovato-pentagonum, antice rotundatum, angulis lateralibus rotundatis quoque.

Color parum a maris colore differt. *Cephalothorax* fere ut in eo, spatio inter fascias duas dorsuales nigro-fuscas ad maximam partem albicanti: ab hoc spatio lineae paucae radiantes nigrae per spatia lateralia fusco-testacea et albicanti-variata versus margines sat late nigros ductae videntur. Interdum cephalothorax sub-fusco-testaceus est paene totus, modo fasciis duabus longitudinalibus obscure fuscis et margine sat late nigro notatus. *Pedes* minus evidenter nigro-annulati. *Abdomen* supra ut in mare diximus pictum est, excepto quod maculae ocelli-formes albicantes in lateribus dorsi in ordines longitudinales sub-obliquos sunt dispositae, porro quod series illae duae transversae « ocellorum » albicantium in parte dorsi postica (pone trapezium ex maculis 4 dorsualibus formatum) ex pluribus ocellis vel maculis formatae

sunt, et quod dorsum inter eas et anum lineas paucas transversas albicantes nigro-limbatas ostendit, quarum antica ex maculis albicantibus conflata videtur. Venter in medio fascia longitudinali latissima fusca notatur. *Mamillae* fusco-testaceae. Praeterea color est ut in mare diximus.

♂ *ad.* — Lg. corp. 4 1/2; lg. cephaloth. 2 1/4, lat. ej. paullo plus 2, lat. front. paullo plus 1; lg. abd. 2 1/2, lat. ej. 1 2/3 millim. Ped. I paullo plus 10 3/4, II 10 3/4, III 6, IV paene 6 1/2 millim. longi; pat. + tib. IV 2 1/6 millim.

♀ *jun.* — Lg. corp. 3 1/2; lg. cephaloth. paullo plus 1 1/2, lat. ej. 1 1/2, lat. front. 1; lg. abd. 2 1/4, lat. ej. 2 millim. Ped. I et II 6 1/3, III paullo plus 3, IV paene 3 1/2 millim. longi; pat. + tib. IV 1 1/4 millim.

Cel. Beccari marem adultum et feminam juniorem in monte Singalang Sumatrae cepit, aliamque feminam juniorem ad Tcibodas in Java; Cel. Cambridge feminam ejusmodi ex Sumatra mecum communicavit, a Forbes captam. — Haec species sat similis videtur formis nonnullis generis *Tmari*, Sim., sive *Monaesis* [Thor.], L. Koch, *ad part.*, e. gr. *M. variabili*, L. Koch [1]; sed quum in nostra specie, ut in *H. perspicaci*, n., clypeus *directus* sit, et spatium inter marginem ejus et oculos medios anticos *minus* quam spatium inter hos oculos et medios posticos, gen. *Tmaro* subjungi non possunt hae duae species.

Gen. **Peltorhynchus** [2], n.

Cephalothorax brevis, plus minus humilis, clypeo *porrecto*, late truncato vel sub-emarginato.

Area oculorum magna, totam latitudinem frontis occupans, fere triplo latior quam longior; oculi laterales, praesertim antici, mediis multo majores. In series duas transversas dispositi sunt oculi, quarum antica a fronte visa recta est, postica, eâ non parum longior, desuper visa modice recurva. Oculi medii aream

(1) Die Arachn. Austral., p. 775, Tab. LXVIII, fig. 1-2a.

(2) πέλτη, scutum; ῥύγχος, rostrum.

paene rectangulam non longiorem quam latiorem occupant; oculi medii antici multo longius inter se quam a lateralibus anticis distant; oculi 4 postici spatiis paene aequalibus disjuncti sunt.

Mandibulae oblique deorsum et anteriora versus directae, subconicae, ungui parvo.

Maxillae longae, angustae, a basi ad apicem sub-acuminatum extus valde oblique rotundato-truncatum sensim paullo angustatae, in labium inclinatae, eo non multo longiores.

Labium longum, sub-acuminatum.

Pedes mediocris longitudinis, sat graciles, plus minus aculeati, anteriores multo longiores et non parum robustiores quam posteriores; unguiculi tarsorum bini mediocres, satis aequaliter curvati, dentibus longis dense pectinati; fasciculi unguiculares vix ulli.

Abdomen breve, inverse sub-pentagono-ovatum, depressum.

Mamillae 6 breves; art. 2.[s] superiorum et inferiorum brevissimus.

Typus: *P. rostratus*, n.

Clypeo porrecto, paene librato hoc genus ab omnibus mihi cognitis Laterigradis differt; oculorum dispositione cum *Hedana*, L. Koch, ad formam corporis in universum cum *Coriarachne*, Thor., similitudinem quandam praebet mas, quem singulum hujus generis vidi.

219. **P. rostratus**, n., *nigro-piceus, cephalothorace supra secundum medium pallidiore, tuberculis humilibus et, postice, setis sparso, in area oculorum mediorum et in margine clypei serie transversa denticulorum munito; pedibus testaceo-ferrugineis, anterioribus basi latissime piceis; abdominis dorso nigro-piceo, plaga transversa pallidiore postice et linea recurva alba ad basin notato, lineisque transversis sub-undulatis saltem tribus albis posterius, quarum saltem anteriores in medio late abruptae sunt.* — ♂ ad. *Long. circa* 3 *millim.*

Mas. — *Cephalothorax* paullo longior quam tibia cum patella 4.[i] paris, aeque latus ac longus, in lateribus fortiter et satis

aequaliter rotundatus, postice late et leviter rotundatus, utrinque antice, supra insertionem palporum, parum, ante oculos laterales anticos vero fortiter sinuato-angustatus et in clypeum porrectum latissimum (latitudine dimidiam partis thoracicae latitudinem superantem et circa quadruplo latiorem quam longiorem), lateribus parallelis leviter rotundatis, apice truncatum vel potius paullo emarginatum productus: frons supra clypeum leviter rotundata est. Humilis est cephalothorax, lateribus satis abrupte declivibus et modice convexis, dorso lato et transversim parum convexo, paene plano; facie omnium humillima; a latere visum ante declivitatem posticam sat brevem et modice declivem usque ad oculos anticos paene rectum et paullo proclive est dorsum, inter oculos medios anticos fortius proclive et impressum, clypeo sub iis anteriora versus et modo parum deorsum quoque directo. Impressionibus cephalicis caret cephalothorax, qui opacus est, in lateribus dense sed minus crasse rugoso-coriaceus, in dorso vero tuberculis sat parvis humilibus obtusis nitidis vel quasi pustulis saltem 9 sparsus (praeterea inter oculos binos laterales bina ejusmodi tubercula video); in utroque latere, postice, granula pauca suam quodque setam longam gerunt; in medio areae oculorum mediorum series transversa recta densa denticulorum minutorum conspicitur, et in margine clypei series ejusmodi denticulorum paullo majorum. Spatium inter marginem clypei et oculos medios anticos spatium inter eos et medios posticos aequat, vix superat. Area *oculorum* magna est, praesertim latissima, totam latitudinem frontis occupans; series eorum antica a fronte visa plane recta est, desuper visa leviter recurva, series postica (quae antica fere dupla oculi lateralis postici diametro longior est, in dorso cephalothoracis locata) modice est recurva. Ad magnitudinem valde inaequales sunt oculi; medii parvi (antici posticis paullo majores) aream paene quadratam, parum latiorem quam longiorem et vix latiorem postice quam antice occupant; oculi laterales, quorum antici posticis non parum majores sunt, mediis ejusdem seriei saltem triplo sunt majores, aream circa triplo latiorem quam longiorem et non parum latiorem postice quam antice occupantes. Spatium inter oculos binos laterales, qui tu-

berculis humilibus latis impositi sunt, oculi maximi diametro saltem duplo est majus, sed vix majus quam spatium inter oculos medios anticos et posticos. Spatium inter oculos anticos medios et laterales oculi maximi dimidiam diametrum vix aequat, et plus duplo minus est quam spatium, quo medii antici inter se distant; oculi seriei posticae spatiis aequalibus disjuncti videntur. *Sternum* breviter ovato-triangulum, antice late truncatum, postice breviter acuminatum, laeve, nitidum.

Mandibulae deorsum et anteriora versus directae, sub-conicae, sat parvae, paene duplo longiores quam latiores, femoribus anticis non parum angustiores, ad basin oblique et profunde impressae, aculeis parvis brevibus sparsae, quarum nonnullae seriem obliquam versus basin mandibulae formare videntur; etiam intus ad longitudinem impressae vel excavatae sunt. Unguis parvus, debilis. *Maxillae* longae et angustae, a basi ad apicem paullo angustatae, in latere exteriore levissime constrictae sive emarginatae, apice extus valde oblique truncato-rotundato, intus recto; in labium sat fortiter inclinatae sunt et eo modo paullo longiores. *Labium* circa triplo longius quam latius, sub-acuminatum, inverse lanceolatum fere. *Palpi* breves, clava femur 1.[i] paris latitudine paene aequanti; pars patellaris aeque lata ac longa est, pars tibialis eâ saltem intus paullo brevior et apice, qui oblique truncatus est, paullo latior: apex lateris exterioris in procursum corneum longum et gracilem productus est, cujus apex oblique truncatus et in duos dentes divisus anteriora versus et foras est directus. Pars tarsalis prioribus duabus paene duplo latior est et eas conjunctim longitudine fere aequat, orbiculato-ovata fere. Bulbus magnus, laevis, simplex, in latere exteriore ita dilatatus et incrassatus, ut hic ut tumor quidam pallidus lateri exteriori partis tarsalis (et partis tibialis) arcte adjaceat. *Pedes* mediocres, sat graciles, anteriores posterioribus multo longiores et non parum robustiores. Modice pubescentes et pilosi sunt pedes; in femoribus anticis setas paucas fortes video, et in tibiis 1.[i] paris, subter, aculeum unum alterumve gracillimum; praeterea vero aculeis carere videntur pedes (nonne in nostro exemplo detriti sunt?). *Abdomen* inverse et breviter pentagono-

ovatum, depressum, antice anguste rotundatum, dein lateribus leviter rotundatis paene ad $^2/_3$ longitudinis sensim dilatatum, tum lateribus leviter rotundatis sensim angustatum et sub-acuminatum. Tuberculis parvis obtusis nitidis et setis fortibus supra sparsum est.

Color. — *Cephalothorax* nigro-piceus, dorso ante declivitatem posticam ad longitudinem clariore, ferrugineo-fusco, clypeo ferrugineo; lineam mediam longitudinalem etiam pallidiorem anterius ostendit dorsum, quae in aream oculorum mediorum eam quoque pallidiorem pertinet; setae cephalothoracis pallidae sunt. *Sternum* nigro-piceum. *Mandibulae* ferrugineae, *maxillae* et *labium* fusco-ferruginea. *Palpi* testaceo-ferruginei, pilis nigris, versus apicem pallido-pubescentes. *Pedes* anteriores picei vel nigro-picei, tibiis, metatarsis et tarsis testaceo-ferrugineis, pedes posteriores ferrugineo-testacei; omnes pallido-pubescentes et -pilosi sunt. *Abdomen* nigro-piceum, pallido-pubescens, saltem ad basin supra pilis pallidis sparsum; dorsum ejus in lateribus, praesertim anterius, inaequaliter obscure olivaceum videtur; postice plagam magnam transversam, in medio latiorem, sub-testaceo-ferrugineam vel -olivaceam habet. Praeterea dorsum ipsa basi linea tenui recurva alba notatur, et posterius lineis saltem tribus transversis sub-undulatis albis, quarum saltem anteriores in medio latissime abruptae sunt, ita ut dorsum tres lineas transversas paullo inaequales albas ad utrumque latus ostendat: prima earum paullo ante medium locum tenet, secunda, brevior, magis obliqua et usque in latus abdominis producta ibique recurva paullo pone medium sita est, tertia paullo longius ab ano quam ab eâ, in medio plagae illius clarioris. Venter nigro-piceus utrinque ad latera, prope mamillas, maculam parvam albam ostendit. *Mamillae* ferrugineo-fuscae.

Lg. corp. paullo plus 3; lg. cephaloth. 1 $^1/_2$, lat. ej. 1 $^1/_2$, lat. clyp. paene $^4/_5$; lg. abd. 2, lat. ej. 1 $^1/_2$ millim. Ped. I paene 5 $^1/_2$, II 5 $^1/_2$, III 3, IV 3 millim. longi; pat. + tib. IV 1 $^1/_4$ millim.

Marem unicum vidi, in ins. Java a Cel. Prof. Kinberg inventum.

Gen. **Microcyllus** ([1]), n.

Cephalothorax sat brevis, altus, anteriora versus sensim paullo dilatatus, impressionibus carens, fronte latissima; altitudo clypei directi spatium inter oculos medios anticos et posticos vix vel non aequat.

Oculi valde inaequales, laterales antici maximi, medii postici minuti. Area oculorum latissima, totam frontis latitudinem occupans; series eorum postica brevior quam series antica et fortissime recurva, series antica levius recurva, a fronte visa recta vel modo levissime sursum curvata. Area oculorum mediorum multo latior postice quam antice, non longior quam latior postice. Oculi bini laterales longius inter se remoti quam medii antici a mediis posticis. Oculi laterales antici multo longius a mediis anticis quam hi inter se distant; oculi laterales postici non longius a mediis posticis quam hi inter se remoti sunt.

Mandibulae directae, conicae, ungui brevi.

Maxillae in labium vix vel parum inclinatae, eo circa dimidio longiores; labium non multo longius quam latius.

Pedes breves, graciles, apicem versus sensim attenuati, aculeati; pedes anteriores posterioribus non parum longiores et paullo robustiores. Tarsi metatarsis breviores.

Abdomen breve, rotundatum vel sub-pentagonum, angulis fortiter rotundatis.

Typus: *M. elegans*, n.

Genus hoc, ad formam cephalothoracis cum *Porropi*, L. Koch, *Zametopia*, n., et *Palaephato*, Cambr. (generibus proxime insequentibus) satis conveniens, ab illis distributione oculorum alia, ab hoc habitu omnino « Thomisiformi » praesertim et facile dignosci potest; a plerisque Thomisinis formà cephalothoracis altissimi et serie oculorum antica posticam longitudine superanti differt. Ad genus *Microcyllum*, praeter species duae infra descriptae,

([1]) μικρός, parvus; κυλλός, qui pedes incurvos habet.

referendus est *Thomisus opportunus*, Cambr. (1), ex ins. Taprobane.

220. **M. elegans**, n., *cephalothorace ferrugineo-rufo, nigro-marginato; palpis pedibusque flavis, femoribus anterioribus ad maximam partem nigris; abdomine rufo-testaceo, in dorso anterius maculis duabus et posterius vitta lata transversa nigris ornato.* — ♀ ad. *Long. circa* 2 $^1/_2$ *millim.*

Femina. — *Cephalothorax* paullo longior quam tibia cum patella 1.i paris, paullulo longior quam latior, lateribus paene rectis anteriora versus, usque ad oculos laterales anticos, sensim paullulo dilatatus, excepto in parte tertia vel quarta postica, ubi lateribus rotundatis posteriora versus sensim sat fortiter angustatus est, in medio postice leviter emarginatus, angulis latissime rotundatis; frons latissima, sat leviter rotundata. Altissimus est cephalothorax, dorso a latere viso ante declivitatem posticam (quae praerupte declivis et recta est et reliquum dorsum longitudine aequat) usque ad oculos medios anticos fortiter proclivi et modice convexo; clypeus fronte multo angustior est, directus: altitudo ejus paullo est minor quam spatium inter oculos medios anticos et posticos. Subtilissime coriaceus est cephalothorax, impressionibus cephalicis aliisque carens, nitidus, pilis parvis subappressis aliisque paucis longis et sub-erectis sparsus. *Oculi* laterales antici valde magni, lateralibus posticis circa duplo, mediis anticis circa triplo majores; medii antici mediis posticis minutis duplo majores videntur. Area oculorum maxima est, latissima, et saltem $^1/_4$ longitudinis cephalothoracis occupat; oculi laterales trapezium formant fere duplo et dimidio latius quam longius et postice non parum angustius quam antice, cujus in medio oculi medii postici locum tenent; area oculorum mediorum multo latior est postice quam antice, longior quam latior antice, brevior quam latior postice. Series oculorum antica, quae totam latitudinem frontis occupat, a fronte visa parum sursum est curvata

(1) On some new Gen. and Spec. of Araneidea, *in* Proceed. of the Zool. Soc. of London, 1873, p. 120, Pl. XIV, fig. 5a-5c.

(linea recta medios supra tangens laterales in vel paullo sub centro secat), desuper visa modice recurva; series postica fortissime recurva est. Spatium inter oculos binos laterales, tuberculis parum distinctis impositos, paullo est majus quam spatium inter oculos medios anticos et posticos; spatium, quo laterales antici a mediis anticis distant, triplo majus est quam spatium, quo disjuncti sunt medii antici, et quod horum oculorum diametrum non vel parum superat. Oculi medii postici parum longius inter se quam a lateralibus posticis distant. *Sternum* oblongum, antice sat late emarginato-truncatum, postice acuminatum, laeve, pubescens.

Mandibulae paene directae, sub-conicae, patellis anticis longiores et multo crassiores, saltem dimidio longiores quam latiores, in dorso parum convexae, sub-deplanatae, dorso paullo rugoso et pubescenti, costa longitudinali tenui ad basin extus limitato. *Maxillae* parum in labium inclinatae, apice extus late et oblique truncatae, circa duplo longiores quam latiores, labio circa dimidio longiores. *Labium* paullo longius quam latius, apicem versus angustatum. *Palpi* graciles, parte patellari parum, parte tibiali circa dimidio longiore quam latiore. *Pedes* breves, graciles, anteriores non parum longiores et paullo robustiores quam posteriores; ut palpi minus dense pubescentes et pilosi sunt pedes, anteriores eorum aculeis sat paucis gracillimis paene setiformibus in lateribus et subter in tibiis et in metatarsis muniti (in tibiis supra quoque aculeum video), femoribus et patellis horum pedum aculeatis quoque; pedes posteriores aculeos ejusmodi pauciores ostendunt. *Abdomen* paullo latius quam longius, antice angustius rotundatum, lateribus in medio fortiter, praeterea minus fortiter rotundatis primum usque paullo pone medium sensim sat fortiter dilatatum, dein citius sensim angustatum, apice sub-acuminato; dorsum ejus sat fortiter convexum est, praesertim postice, ubi valde est declive; laeve est, nitidum, parce pubescens. *Vulva*, prope petiolum sita, aream inaequalem sub-quadratam fuscam format, quae quasi ex maculis 4 rotundatis composita videtur. *Mamillae* superiores et inferiores eadem longitudine fere sunt, illae cylindratae, articulo 2.° sub-conico, obtuso, aeque fere

longo ac lato; mamillae inferiores iis crassiores sunt, sub-conicae, art. 2.° paullo latiore quam longiore. Mamillae mediae minutae, acuminatae.

Color. — *Cephalothorax,* pube pallida et pilis nigris sparsus, ferrugineo-rufus est, oculis lateralibus in maculis nigris positis, margine partis thoracicae sat late nigro. *Sternum* ferrugineo-testaceum, limbo nigricanti. *Partes oris* ferrugineo-rufae. *Palpi* flavi, parte femorali ad partem nigricanti. *Pedes* flavi, femoribus anterioribus saltem subter et in lateribus nigris, basi flava; pili, seti et aculei pedum nigri sunt. *Abdomen* rufo-testaceum, antice, non procul a basi, maculis duabus nigris, et pone medium vitta latissima sive plaga transversa nigra notatum. Venter in medio late pallido- vel cinerascenti-testaceum, hac area pallida utrinque fascia inaequali incurva nigra inclusa. *Mamillae* flavo-testaceae.

Lg. corp. 2 $^1/_2$ millim. Lg. cephaloth. 1, lat. ej. (frontis) paene 1, lat. clyp. paene $^2/_3$ millim.; lg. abd. 1 $^1/_2$, lat. ej. paullo plus 1 $^1/_2$ millim. Ped. I 2 $^2/_3$, II 2 $^3/_4$, III 2, IV 2 $^1/_4$ millim. longi; pat. + tib. 4 circa $^2/_3$ millim.

Feminam unicam supra descriptam in monte Singalang Sumatrae invenit Cel. Beccari.

221. **M. nanus**, n., *cephalothorace nigro, pedibus anterioribus testaceo-fuscis, apice pallidioribus, femoribus apice excepto nigris, pedibus posterioribus flavo-testaceis totis; abdomine superius albicanti-testaceo, plaga magna nigra, maximam partem dorsi occupanti, notato.* — ♀ ad. *Long. circa 2 millim.*

Femina. — Praecedenti ad formam adeo similis est haec species, ut satis sit, notas paucas, quibus ab ea discrepet, afferre. *Cephalothorax,* paullo longior quam tibia cum patella 1.[i] paris, et parum longior quam latior, etiam paullulo fortius quam in *M. eleganti* anteriora versus dilatatus est; minus nitidus est, subtiliter coriaceus, punctis impressis piligeris fortioribus et densioribus sparsus; frons cum *mandibulis* (paullo magis convexis) coriaceo-rugosa est. *Palporum* pars tibialis modo paullo, non dimidio, longior est quam latior. *Pedum* aculei gracillimi quidem, sed longiores et fortiores quam in specie priore. *Abdomen* ad

formam ut in illa fere, fortasse minus convexum tamen, subpentagono-rotundatum, angulis fortiter rotundatis, paullulo transversum, latitudine maxima paullo pone medium sita. *Vulva* ex area paullo oblonga nitida ferrugineo-testacea constat, cujus apex posticus sub-acuminato-elevatus est. Praeterea quae de forma *M. elegantis* diximus in hanc speciem quadrant.

Color. — *Cephalothorax* niger, pilis pallidis sat dense sparsus, fronte sub oculis anticis ferrugineo-picea. *Sternum, maxillae* et *labium* nigro-fusca, illud pallido-pilosum. *Mandibulae* nigro-piceae. *Palpi* sordide flavo-testacei. *Pedes*, ut palpi, nigro-pubescentes, -pilosi et -aculeati: pedes anteriores testaceo-fusci sunt, apice late paullo clariores, femoribus apice excepto nigris; pedes posteriores flavo-testacei toti. *Abdomen* supra et in lateribus albicanti-testaceum, pilis pallidis sparsum; dorsum ejus tamen ad maximam partem plaga magna inaequaliter trapezoidi (postice latiore) nigra occupatur, quae postice late truncato-emarginata est, angulis late rotundatis, in lateribus sub-sinuata; antice, in emarginatione media, annulum oblongum pallidum includit haec plaga, qui annulus primam sive anticam foveolarum 5 ordinariarum cingit; etiam ante plagam nigram paullo nigricans videtur dorsum. Venter nigricanti-testaceus utrinque fascia incurva nigra est cinctus. *Mamillae* testaceo-fuscae.

♀. — Lg. corp. 2; lg. cephaloth. 1, lat. ej. paene 1; lg. abd. 1, lat. ej. paene $1\,{}^1/_6$ millim. Ped. I $2\,{}^3/_4$, II saltem $2\,{}^3/_4$, III 2, IV paene 2 millim. longi; pat. + tib. IV paullo plus ${}^2/_3$ millim.

Feminam singulam adultam ad Tcibodas ins. Javae cepit Beccari.

Gen. **Zametopias** (¹), n.

Cephalothorax brevior, altus, impressionibus cephalicis carens, fronte latissime rotundata; clypeus praerupte proclivis, altitudine spatium inter oculos medios anticos et posticos vix vel non superans.

(¹) ζα-, valde; μετωπίας, fronto.

Oculi admodum inaequales, laterales maximi, medii postici minimi. Area oculorum valde magna, plus quam tertiam partem anteriorem cephalothoracis occupans, et eum latitudine aequans. Series oculorum postica longior quam antica et fortissime recurva, series antica levius recurva, a fronte visa leviter sursum curvata. Area oculorum mediorum latior quam longior, non latior postice quam antice. Oculi bini laterales longius inter se remoti quam medii antici a mediis posticis; oculi medii antici multo longius inter se quam a lateralibus anticis distantes. Spatia inter oculos 4 posticos sub-aequalia.

Mandibulae directae, conicae, ungui brevi.

Maxillae in labium inclinatae, eo circa dimidio longiores; labium longius quam latius.

Pedes breves, graciles, apicem versus sensim attenuati, paullo aculeati; pedes anteriores posterioribus longiores sed parum robustiores; tarsi metatarsis breviores.

Abdomen non multo longius quam latius.

Typus: *Z. speculator*, n.

Generi praecedenti, *Microcyllo*, affinis est *Zametopias*, serie oculorum postica anticam longitudine superanti et oculis mediis anticis multo longius inter se quam a lateralibus anticis remotis praesertim et facile dignoscendus. — Dispositione oculorum hoc genus *Thomisopi*, Karsch (1), sat simile videtur, sed etiam hac in re eo differt, quod series oculorum ejus antica minus fortiter quam series postica recurva est: *Thomisops* contra seriem anticam paullulo fortius curvatam quam posticam habet. Ceterum forma cephalothoracis plane alia in *Thomisope* quam in nostra aranea videtur.

222. **Z. speculator**, n., *cephalothorace ferrugineo-fusco, posterius nigro-limbato;* 1.i *paris pedibus ferrugineo-piceis, femoribus subter nigris, reliquis pedibus ferrugineis, coxis albicantibus, femoribus albis apice nigris; abdomine supra nigricanti, pallido-granuloso,*

(1) Ueber ein neues Laterigraden-Geschlecht von Zanzibar, *in* Zeitschr. f. d. gesammt. Naturwissensch., LII (1879), p. 374.

maculis albis sparso et fere in medio utrinque vitta transversa sub-obliqua alba notato. — ♀ ad. *Long. circa* 4 *millim.*

Femina. — *Cephalothorax* paullo longior quam latior, paulloque longior quam tibia cum patella 4.[i] paris, paene quadrato-orbiculatus, postice breviter truncatus, lateribus in medio, pone oculos laterales posticos, paene rectis et parallelis, dein posteriora versus lateribus rotundatis sensim (primum leviter, denique citissime) posteriora versus angustatus, inter oculos binos laterales paullo prominentes lateribus breviter rotundatis anteriora versus paullo angustatus quoque, antice, ante hos oculos, aequaliter et sat fortiter rotundatus; frons igitur latissima est, parte thoracica modo paullo angustior. Altissimus est cephalothorax, lateribus anterius plane directis, supra, anterius, transversim modo leviter convexus, dorso a latere viso ante declivitatem posticam (quae valde praerupta et parum convexa, paene recta, est et reliquo dorso modo paullo brevior) usque ad oculos medios anticos primum levius, tum fortius proclivi et convexo; clypeus non plane directus est sed praerupte proclivis, altitudine spatium inter oculos medios anticos et posticos paene aequans. Supra sat dense et fortiter impresso-punctatus est cephalothorax, in lateribus potius dense sub granulosus vel scaber, tuberculis oculorum lateralium laevibus; impressionibus cephalicis plane caret, nitidus, pilis paucis longis et sub-erectis munitus. Area *oculorum* valde magna est, plus $^1/_3$, paene dimidium longitudinis et totam latitudinem cephalothoracis occupans. Oculi laterales maximi, antici eorum posticis parum majores, et mediis anticis circa triplo majores; medii postici minuti sunt, mediis anticis circa triplo minores (?). Series oculorum posticorum, quorum laterales ad ipsos margines laterales cephalothoracis, non longe ante medium ejus, locum tenent, tuberculo magno sed non alto extus impositi, multo (circa diametro oculi quadrupla) longior est quam series oculorum anticorum, quorum laterales tuberculo humillimo insistunt. A fronte visa series oculorum antica (sive linea per centra horum oculorum ducta) leviter sursum curvata est, series postica eodem modo curvata; desuper visa series antica sat leviter, postica fortissime

recurva est: oculi enim 4 postici trapezium plus triplo latius quam longius et circa duplo et dimidio latius postice quam antice formare dici possunt. Spatium inter oculos binos laterales eorum diametro paene duplo majus est, et non parum majus quam spatia, quibus distant medii antici a mediis posticis, his spatiis multo minoribus quam sunt spatia paene aequalia, quibus distant oculi 4 postici inter se. Oculi medii aream formant paullo latiorem antice quam postice, et paene dimidio latiorem quam longiorem. Spatium, quo distant oculi medii antici inter se, parum majus est quam spatium inter medios posticos; sed circa 4.plo majus est quam spatia, quibus medii antici a lateralibus anticis distant, his ultimis spatiis oculi medii antici diametro paene dimidio majoribus, et oculi lateralis diametro evidenter minoribus. *Sternum* fere dimidio longius quam latius, sub-ovatum, postice acuminatum, paene planum, impressione lata laevi ad marginem anticum; laeve est, nitidum et pubescens.

Mandibulae directae, conicae, basi femora antica latitudine paene aequantes, dimidio longiores quam latiores, in dorso parum convexae, ad basin subtilissime et densissime punctatae vel coriaceae, versus apicem transversim striatae; nitidae, parce pilosae. *Maxillae* in labium sat fortiter inclinatae, paene duplo longiores quam latiores, labio vix dimidio longiores, apice rotundatae; *labium* longius quam latius, apicem versus sensim angustatum. *Palpi* breves et crassi; pars patellaris parum longior est quam latior, pars tibialis circa dimidio longior quam latior, pars tarsalis duabus prioribus conjunctis paullo brevior. *Pedes* sat breves, sat graciles, anteriores non multo longiores quam posteriores iisque parum robustiores; minus dense pilosi sunt, aculeis gracilibus 1. 1. supra in femoribus (et praeterea saltem 2 anterius in femoribus 1.ⁱ paris) armati; etiam in tibiis posterioribus aculeos paucos gracillimos video, et in tibiis anterioribus aculeum unum alterumve, qui aculei tamen potius setae sunt appellandi. Femora anteriora paullo scabra. *Abdomen* paullo longius quam latius, breviter rotundato-ovatum, granulis parvis supra conspersum, quae versus latera in series longitudinales, postice in dorso in series transversas sunt ordinata; in dorso

puncta magna impressa sive foveolas 5 ostendit, quarum antica reliquis major est, duae insequentes reliquis minores; pilis longioribus sat dense est sparsum. *Vulva* e fovea mediocri non profunda rotundata antice aperta constare videtur. *Mamillae* breves, conniventes, superiores et inferiores eadem longitudine fere, art. 2.° brevissimo.

Color. — *Cephalothorax* ferrugineo-fuscus, postice et in lateribus posterius, pone oculos laterales posticos, late nigro-limbatus, et fere in medio vestigiis liturae paene V-formis maximae munitus, cujus brachia, anteriora versus sensim dilatata, antice oculos medios posticos continent. *Sternum, maxillae* et *labium* picea. *Mandibulae* ferrugineo-fuscae, apice nigricantes. *Palpi* luteo-ferruginei, parte femorali subter nigra. *Pedes* 1.ⁱ paris ferrugineo-picei, femoribus subter nigris, coxis sordide albis; reliqui pedes ferruginei sunt, femoribus albis apice subter (in pedibus 2.ⁱ paris late, in insequentibus pedibus angustissime) nigris, supra ferrugineis. *Abdomen* nigricans, pallido-granulatum et -pilosum, foveolis 5 nigris: utrinque, a duobus posticis harum foveolarum, fere in medio dorso positis, vitta transversa inaequalis paullo obliqua alba versus latera abdominis est ducta: praeterea maculis parvis inaequalibus albis sparsum est dorsum, quarum duae, reliquis majores et oblongae, ante vittas illas locum tenent, tres anteriores foveolarum illarum quasi includentes. Venter in lateribus inaequaliter albus vel oblique albostriatus est; secundum medium fascia longitudinali lata nigra occupatur, quae antice maculam nigram, in quo vulva sita est, continet.

Lg. corp. 4; lg. cephaloth. 1 $^5/_6$, lat. ej. 1 $^3/_4$, lat. front. paullo plus 1 $^1/_2$; lg. abd. paullo plus 2 $^1/_2$, lat. ej. 2 $^1/_6$ millim. Ped. I paene 5, II 5, III paene 3 $^3/_4$, IV 4 millim. longi; pat. + tib. IV paullo plus 1 $^1/_2$ millim.

Exemplum, quod singulum vidi, a Cel. Cambridge mecum communicatum, in Sumatra a Forbes inventum est.

Gen. **Palaephatus**, Cambr. (1), 1883.

223. **P. pseudorchestes**, n., *densius nigro-pilosus, cephalothorace et mandibulis nigro-piceis, pedibus flavis, metatarsis et tarsis fusco-testaceis, femoribus et patellis postice, tibiis vero subter macula nigra notatis; abdomine breviter sub-ovato, dorso ejus nigro flavo-marginato et flavo-maculato* /\ *flavo antice et pone id fascia longitudinali ejusdem coloris notato, lateribus abdominis et ventre testaceis, ad longitudinem nigro-fasciatis.* — ♀ ad. *Long. circa* 3 $^{1}/_{2}$ *millim.*

Femina. — *Cephalothorax* circiter aeque latus et longus, paullo longior quam tibia cum patella 4.i paris, lateribus in medio leviter, anterius paullo fortius, in parte tertia postica etiam fortius rotundatus, et hic posteriora versus sensim fortiter angustatus, in parte tertia antica anteriora versus, sed multo minus fortiter, sensim angustatus quoque, fronte igitur omnium latissima, sat fortiter rotundata; postice sat breviter rotundatus est cephalothorax. Altissimus est, aeque paene altus ac latus, aequalis, laevissimus et nitidissimus, pilis sub-erectis, praesertim versus latera longis et fortibus, dense sparsus; dorsum ejus latissimum est, transversim posterius modice, antice sat leviter convexum, latera reclinata et sat leviter convexa, latera faciei, quae saltem duplo latior est quam altior, fortius reclinata. Latitudo clypei tenuiter marginati latitudine frontis (vel longitudine seriei oculorum posticorum) non parum minor igitur est. A latere visum dorsum ante declivitatem posticam valde praeruptam, levissime convexam et reliquum dorsum longitudine aequantem posterius levius, anterius fortissime convexum et proclive est et arcu aequali in clypeum directum et leviter convexum transiens; spatium inter marginem clypei et oculos medios anticos spatium inter eos et oculos medios posticos aequat. *Oculi* valde inaequales, medii postici minutissimi et parum eminentes, medii antici iis multis partibus majores, sat magni;

(1) On some new Gen. and Spec. of Spid., *in* Proceed. of the Zool. Soc. of London, 1883, p. 362.

oculi laterales postici mediis anticis fere dimidio majores sunt, laterales antici mediis anticis circa duplo majores. Area oculorum brevis sed latissima est, totam latitudinem cephalothoracis occupans; series eorum antica a fronte visa leviter sursum est curvata; desuper visa series antica modice, series postica (quae eâ paullo, vix dupla oculi lateralis postici diametro, longior est) sat fortiter est recurva. Desuper visi oculi laterales antici cum mediis posticis seriem levissime procurvam formant. Oculi medii aream occupant, quae paullo latior est postice quam antice, et vix vel non longior quam latior antice. Spatium inter oculos binos laterales oculi lateralis antici diametro circa dimidio majus est, et paullo majus videtur quam spatium, quo distant oculi medii antici a mediis posticis. Oculi medii antici, spatio diametrum suam aequanti sejuncti, circa quadruplo longius a lateralibus anticis quam inter se remoti sunt. Oculi medii postici circa duplo longius a lateralibus posticis quam inter se distant. *Sternum* parvum, breviter sub-triangulum, antice late et leviter emarginatum, in lateribus paullo rotundatum; leviter convexum est, laeve et nitidissimum, pilisque sparsum.

Mandibulae sub-conicae, directae, fortes, femoribus anticis paullo crassiores, vix duplo longiores quam latiores basi, in latere exteriore leviter convexo-arcuatae, in dorso quoque, et sat fortiter, convexae; paene laeves sunt, nitidissimae, pilis sparsae. Unguis brevissimus sed non ita gracilis. *Maxillae* parallelae (vix in labium inclinatae), circa duplo longiores quam latiores et labio duplo longiores, basi dilatatae, intus ante labium rectae, latere exteriore ante insertionem palpi rotundato, apice rotundato quoque; *labium* parum longius quam latius, apice late rotundato-truncatum. *Palpi* breves, robusti, obtusissimi, parte patellari vix, parte tibiali paullo longiore quam latiore, parte tarsali earum crassitie fere et duplo longiore quam latiore; pilosi sunt, praesertim dense in parte tarsali. *Pedes* breves, robusti, obtusi, pilis longioribus, qui praesertim in metatarsis et tarsis densi et paullo crassiores (sed ibi breviores) sunt, vestiti, aculeis carentes. Pedes 2.[i] et 4.[i] parium eadem longitudine videntur, 1.[i] et 3.[ii] parium iis paullo breviores, et eadem longitudine inter

se. Metatarsi breves, patellis vix longiores, tarsi metatársis non parum longiores. Apex tarsorum setis brevibus rectis obtusis densissime et aequaliter *pectinato-dentatis* sat dense sparsus est. Unguiculi bini parvi, sat graciles, fortissime curvati et dense pectinato-dentati. *Abdomen* breviter ovatum fere, non multo longius quam latius, parum convexum, pilis sat longis sub-erectis dense sparsum; antice angustius sub-truncatum est, in lateribus sat fortiter rotundatum, postice sub-acuminatum. Dorsum ejus antice maculam impressam rotundatam solito majorem ostendit, et fere in medio duas ejusmodi maculas circulatas minores. *Vulva* ex area parva cornea sub-transversa elevata rufo-fusca constat, cujus apices (latera) tubercula duo humillima formare videntur, et quae antice in medio rotundato-dilatata est et impressa vel transversim sulcata. *Mamillae* breves, superiores et inferiores aeque fere longae, art. 2.° brevissimo; mamillae inferiores conico-cylindratae et paullo crassiores quam superiores, quae magis cylindratae sunt, ut in plerisque.

Color. — *Cephalothorax* nigro-piceus, nigro-pilosus, vestigiis maculae parvae crassae paene V-formis pallidae paullo pone medium sitae. *Sternum* piceum. *Mandibulae* nigro-piceae. *Maxillae* et *labium* obscure picea, illae apice intus anguste testaceo-marginatae. *Palpi* flavi, nigro-pilosi, apice obscuriores. *Pedes* quoque flavi et nigro-pilosi, metatarsis et tarsis obscurioribus, fusco-testaceis; femora anteriora maculam nigram in latere posteriore, ad apicem, habent, patellae anteriores quoque maculam nigram postice; omnes tibiae maculam oblongam nigram subter vel magis postice sitam ostendunt. *Abdominis* dorsum nigrum, pictura flava vel testacea: satis anguste flavo-marginatum est, et ∧ sat magno flavo ad basin notatum, pone id vero fascia longitudinali paullo inaequali ejusdem coloris, quae sat longe ante medium dorsi, prope ∧ illud, initium capiens, ad anum ducta est; praeterea maculis quattuor majoribus flavis (praeter punctis ejusdem coloris) ad latera notatum est dorsum, quae maculae trapezium saltem duplo latius quam longius et latius postice quam antice in anteriore dorsi parte formant. Latera abdominis et venter flavo-testacea sunt; latera infra fasciam longitudinalem

nigram secundum totam earum longitudinem extensam et anterius in plagam dilatatam ostendunt, quae binos ramos sursum directos fere in medio latere emittunt; venter quoque fasciis duabus longitudinalibus antice et postice abbreviatis nigris est notatus, quae, ut fasciae laterum, cum quibus antice conjunctae sunt, anteriora versus sensim divaricant. *Mamillae* testaceae.

Lg. corp. 3 $^1/_2$; lg. cephaloth., ut lat. ej., paullo plus 1 $^1/_2$, lat. front. 1 $^1/_2$; lg. abd. 2 $^1/_2$, lat. ej. paene 2 millim. Ped. I 3 $^1/_4$, II 3 $^1/_2$, III 3 $^1/_4$, IV circa 3 $^1/_2$ millim. longi; pat. + tib. IV paene 1 $^1/_2$ millim.

Feminam, quam unicam vidi singularissimae hujus araneolae, *Salticoidae* alicui simillimae, ad Ajer Mancior Sumatrae a Beccari inventa est.

CITIGRADAE.

Fam. **LYCOSOIDAE.**

Subfam. CTENINAE.

Gen. **Nydia** (1), n.

Cephalothorax humilis, inverse cordiformi-ovatus fere, anteriora versus sensim fortiter angustatus, impressionibus cephalicis et sulco ordinario centrali bene expressis, fronte angustissima, clypeo non alto.

Oculi in series transversas tres dispositi, serie media, recurva et fortiter deorsum curvata, ex quattuor, reliquis duabus ex binis oculis formatis; series postica serie media paullo longior est, antica hac multo brevior, brevissima; oculi laterales seriei mediae reliquis oculis multo minores sunt, medii hujus seriei reliquis paullo majores; oculi postici cum mediis seriei mediae trapezium postice circa dimidio latius quam antice, et paullo longius quam latius antice formant.

Mandibulae directae.

(1) Nomen propr. person.

Maxillae parallelae, modo latere interiore in labium paullo inclinatae, fere duplo longiores quam latiores, labio plus duplo longiores, sub-ovatae, basi late et valde oblique truncatae, apice intus oblique truncatae.

Labium transversum, apice late truncatum.

Palpi feminae in apice unguiculo dentibus paucis pectinato instructi.

Pedes gracillimi, aculeati; pedes 4.ⁱ paris 3.ⁱⁱ paris pedes longitudine non parum superant. Tarsi unguiculis binis muniti.

Abdomen longum et satis angustum, non depressum.

Mamillae 6, breves, inferiores et superiores aeque fere longae; art. 2.ˢ superiorum aeque saltem longus ac latus, conicus.

Typus: *N. punctata*, n.

Cunctanter hoc genus ad Citigradas refero: cephalothorace humili et antice acuminato a reliquis Citigradis mihi cognitis differt, his rebus *Drassoidis* nonnullis et *Hersilioidis*, ut videtur, affinis, cum illis formâ corporis in universum, cum his et *Cteninis* familiae *Lycosoidarum* dispositione oculorum conveniens; quum vero ab *Hersilioidis* mamillis brevibus, tarsorum unguiculis modo binis, cet., discrepet, a *Drassoidis* vero oculorum dispositione, *Cteninis* propriâ, satius credidi, hoc novum genus *Lycosoidis* subjungere.

Gen. *Ctenophthalmus*, Sim. (1) — quod, si re vera a *Nydia* est diversum, *Ctenomma* vocatum volo, quum nomen *Ctenophthalmi* jandudum occupatum sit (2) — a Cel. Simon *Drassoidis* subjungitur. A *Nydia* fortasse non nisi serie oculorum media procurva, non recurva differt.

224. **N. punctata**, n., *cephalothorace sub-fusco vel nigricanti, fascia longitudinali lata testacea notato; sterno et coxis subter pallide testaceis et paullo nigro-punctatis; pedibus saltem posterioribus testaceo-nigricantibus, basi clarioribus, et saltem in femoribus paullo nigro-maculatis; abdomine testaceo, punctis nigris non dense sparso*

(1) Matér. pour servir à une faune arachn. de la Nouvelle-Calédonie, *in* Comptes-rendus de la Soc. Ent. de Belgique, 1880, p. (10).

(2) *Ctenophthalmus*, Kol. [Dipt.], 1857.

et umbra longitudinali sub-undulata nigra utrinque in dorso notato, punctis illis apud et inter has umbras in series longitudinales parallelas quattuor ordinatis. — ♀ jun. *Long. saltem* 6 $^1/_2$ *millim.*

Femina *jun.* — *Cephalothorax* circa $^1/_3$ longior quam latior, paullo brevior quam tibia 4.i paris, inverse sub-cordiformi-ovatus, utrinque anterius ample sed sat leviter sinuatus, in medio postice emarginatus, lateribus partis thoracicae ample et fortiter rotundatis et lateribus partis cephalicae longis primum rectis, dein leviter rotundatis anteriora versus sensim fortiter angustatus, fronte valde angusta, cum oculis seriei mediae vix $^1/_4$ partis thoracicae latitudine aequanti, inter oculos illos paullo producta et obtuse conica. Humilis est cephalothorax, dorso ante declivitatem posticam brevem et postice valde praeruptam primum fere recto et librato, dein, in parte cephalica, usque ad oculos medios seriei mediae sensim leviter assurgenti et recto. Facies paullo reclinata et recta est, a fronte visa alta et angusta, sub oculis lateralibus seriei mediae paullo constricta, clypeo frontem latitudine paullo superanti. Clypei altitudo oculorum anticorum diametrum aequare (saltem non multo superare) videtur. Impressiones cephalicae distinctissimae sunt, sulci duo radiantes utrinque in parte thoracica bene expressi; sulcus ordinarius centralis sat longus. Area *oculorum* aeque paene longa est ac lata postice; oculi sat magni dicendi, exceptis lateralibus seriei mediae, qui minuti sunt et reliquis multo minores; oculi medii hujus seriei paullo majores sunt quam oculi antici (seriei 1.ae) et postici (seriei 3.ae), qui fere aeque magni videntur. Series media fortiter recurva est, a fronte visa fortissime deorsum curvata, oculis lateralibus in lateribus partis cephalicae sitis; oculi postici, qui foras et retro inspiciunt, ii quoque in lateribus partis cephalicae, sed supra, locum tenent. Oculi antici cum mediis seriei mediae aream directam occupant aeque latam postice ac longam et non parum latiorem postice quam antice; oculi postici cum mediis seriei mediae trapezium libratum formant, quod plus dimidio latius est postice quam antice, paullo longius quam latius antice et paullo latius postice quam longius. Oculi antici spatio eorum diametrum aequanti disjuncti sunt, ab oculis mediis seriei

mediae etiam paullo longius remoti; spatium, quo inter se distant oculi medii seriei mediae, etiam paullulo majus est, horum oculorum diametro paullo majus. Oculi laterales seriei mediae parum longius ab oculis posticis distant quam ab oculis mediis illius seriei, a quibus spatio oculi medii diametro paullo minore sunt remoti. Oculi postici saltem duplo majore spatio separati sunt, quam quo distant medii seriei mediae inter se; qui oculi modo paullulo longius a posticis oculis quam inter se sunt remoti. *Sternum* paene orbiculatum, antice in medio truncatum, postice brevissime sub-acuminatum.

Mandibulae directae, parallelae, duplo longiores quam latiores, sub-cylindratae, in dorso leviter convexae, apice intus oblique rotundato-truncatae, nitidae, pilosae; ad basin lateris exterioris elevationem nitidissimam ostendunt. Sulcus unguicularis antice longe pilosum est et hic intus dentem minutum saltem singulum ostendit; postice serie dentium aequalium parvorum saltem 4 vel 5 praeditus est; unguis sat longus et gracilis. *Maxillae* sub-ovatae, duplo fere longiores quam latiores, labio paene triplo longiores, lateribus exterioribus parallelis, interioribus in labium paullo inclinatis, apice intus late et valde oblique truncato, praeterea paullo oblique rotundato-truncato, angulo exteriore rotundato. *Labium* brevissimum, circa dimidio latius quam longius, a basi ad apicem late truncatum sensim paullo angustatum. *Palpi* longiores, pilosi et aculeati; pars patellaris paene duplo longior quam latior est, pars tibialis eâ paullo angustior, circa triplo longior quam latior, pars tarsalis prioribus duabus conjunctis paullo brevior, apice sub-acuminata. Unguiculus sat gracilis, dentibus 3-4 sensim cito longioribus et sat longe inter se remotis pectinatus. *Pedes* posteriores (anteriores in exemplo nostro desunt) graciles valde, 4.^{i} paris multo longiores quam 3.^{ii} paris; aculeis sat gracilibus et, praesertim in femoribus, brevibus armati fuisse videntur. Unguiculi tarsorum bini graciles sunt, fortiter curvati, dentibus nonnullis (in pedibus 3.^{ii} paris circa 7 et 4) sensim majoribus pectinati; pili fasciculorum unguicularium apice non vel parum dilatati. *Abdomen* longum et angustum, cylindrato-ellipticum, triplo longius quam latius, an-

tice sub-truncatum, postice sub-acuminatum. *Mamillae* breves (mediae brevissimae), inferiores fere duplo crassiores sed vix breviores quam superiores, quarum art. 1.^{s} cylindratus est et fere dimidio longior quam latior, art. 2.^{s} eo non parum brevior, aeque saltem longus ac latus, sub-conicus; mamillae inferiores conico-cylindratae sunt, art. 1.º paullo longiore quam latiore, art. 2.º brevissimo, obtuso.

Color. — *Cephalothorax* testaceo-niger, nigro-marginatus paulloque testaceo-variatus, fascia media longitudinali lata testacea a margine postico usque inter oculos posticos pertinenti notatus, sulco ordinario medio fusco. *Sternum, maxillae* et *labium* (cum coxis et trochanteribus subter) pallide testacea, illud punctis ternis nigris secundum margines laterales notato. *Mandibulae* obscure testaceae, plaga longa sub-triangula nigra extus in dorso notatae. *Palpi* testacei, nigro-sub-annulati vel -maculati, parte tibiali supra et subter nigricanti. *Pedes* (posteriores) obscure testacei, basi, praesertim subter, pallide testacei; coxae omnes punctis binis ternisve nigris subter sparsae et in latere nigro-lineatae. Femora nigro-maculata (vel -sub-fasciata?) sunt, patellae supra nigro-lineatae, tibiae et metatarsi nigricanti-testacei: ita saltem in pedibus 4 posterioribus. *Abdomen* pallide fusco-testaceum, subter pallidius; utrinque ad ipsam basin et dorsi et laterum maculam sat parvam nigram ostendit, et in ipso apice laterum niger est; praeterea undique, excepto secundum medium ventris, maculis minutis sive punctis inaequalibus piliferis nigris non densis, sed raris, sparsum est, his punctis secundum medium dorsi quasi in series quattuor longitudinales parallelas ordinatis, lateribus dorsi apud eas, saltem anterius, umbra longitudinali sub-undulata nigricanti notatis, lateribus abdominis vero posterius vittis binis obliquis nigricantibus parum distinctis praeditis. *Mamillae* testaceae.

Lg. corp. 6 $^{1}/_{2}$; lg. cephaloth. 2 $^{1}/_{4}$, lat. ej. circa 1 $^{2}/_{3}$, lat. front. circa $^{1}/_{2}$; lg. abd. 4, lat. ej. 1 $^{2}/_{3}$ millim. Ped. I?, II?, III 7, IV 10 $^{1}/_{2}$ (fem. 3, pat. paullo plus $^{1}/_{2}$, tib. 2 $^{1}/_{2}$, metat. 3, tars. 1 $^{1}/_{6}$) millim. longi.

Unicam feminam nondum adultam, detritam et valde muti-

latam (pedibus plerisque carentem) hujus araneae vidi, in Sumatra a Cel. Forbes inventam et a Rev. Cambridge ad me missam. Fortasse non parum major evadit haec species.

Gen. **Ctenus** (Walck.), 1805.

225. **C. valvularis** (Van Hass.), *cephalothorace in dorso ad longitudinem leviter convexo, nigro- vel olivaceo-fusco, fascia longitudinali lata pallidiore antice in formam rhomboidis dilatata notato; fronte paene* $^2/_3$ *partis thoracicae latitudine aequanti; pedibus robustis, sat brevibus, ferrugineo- vel olivaceo-fuscis, saltem posterioribus nigricanti-annulatis, tibiis anterioribus subter aculeorum paribus* 5, *metatarsis anterioribus subter* 3 *paribus aculeorum armatis; abdomine superius olivaceo-fusco (vel ferrugineo-luteo), posterius in dorso ordinibus duobus longitudinalibus macularum parvarum albicantium postice nigro-limbatarum notato; lamina vulvae anteriora versus sensim angustata, postice amplissime rotundata. — Long. circa* 13 $^1/_2$ *millim.*

Syn.: 1882. *Leptoctenus valvularis*, Van Hass., Midden Sumatra, *cet.*, Aran., p. 45, Pl. V, fig. 12.

Femina. — *Cephalothorax* tibia cum patella 4.ⁱ paris paullo longior est et parum plus $^1/_3$ longior quam latior, anterius utrinque modo leviter sinuatus, lateribus partis thoracicae posterius sat fortiter, anterius leviter rotundatis, hac parte anteriora versus sensim non multo angustata, postice in medio leviter emarginata; parte cephalica lateribus paene rectis anteriora versus sensim paullo angustata quoque, quoad libera est circa dimidio latiore quam longiore, fronte levissime rotundata $^2/_3$ partis thoracicae latitudine paene aequanti. Minus altus est cephalothorax, dorso paene librato, inter partes thoracicam et cephalicam longam vix vel parum impresso, dorso partis thoracicae ante declivitatem posticam (quae recta et modice praerupta est et dimidium reliqui dorsi longitudine circiter aequat) paene recto, dorso longo partis cephalicae usque ad oculos seriei mediae aequaliter et leviter convexo parumque proclivi, inter oculos

illos et oculos anticos fortissime proclivi: pars cephalica igitur a latere visa vix vel parum altior est quam pars thoracica, sed ad longitudinem, praesertim anterius, leviter convexa; clypeus sub-reclinatus. Facies circa duplo latior quam altior est, in lateribus leniter declivibus et supra satis aequaliter convexa. Spatium inter marginem clypei et oculos anticos eorum diametrum non aequat. Impressiones cephalicae et sulci bini radiantes in lateribus bene expressi sunt; sulcus ordinarius centralis profundus et longus. Area *oculorum* non parum latior est quam longior; series eorum postica serie media diametro oculi singuli longior est, media plus duplo longior quam antica. A fronte visa series oculorum media paullo deorsum est curvata: linea eorum margines inferiores tangens paene recta tamen est, parum deorsum curvata. Oculi seriei anticae paene dimidio minores sunt quam oculi medii seriei mediae, qui oculis seriei posticae vix vel parum sunt majores; oculi laterales seriei mediae oblongi, reliquis oculis multo minores. Oculi antici cum mediis seriei mediae trapezium non parum latius postice quam antice, et paullo brevius quam latius postice formant; trapezium, quod formant oculi postici cum mediis seriei mediae, plus duplo latius est postice quam antice, et vix longius quam latius antice, plus duplo latius postice quam longius. Oculi antici spatio diametrum suam fere aequanti separati sunt, a mediis seriei mediae spatio dimidiam diametrum oculi antici vix aequanti distantes. Oculi medii seriei mediae paullulo longius inter se quam a lateralibus hujus seriei distant, spatio diametro sua paullo minore disjuncti; paene duplo longius inter se quam ab oculis anticis distant et saltem dimidio longius ab oculis posticis quam inter se. Oculi laterales seriei mediae paullo longius ab oculis posticis quam a mediis seriei mediae remoti sunt, ab his spatio diametrum suam fere aequanti separati ([1]). *Sternum* paene orbiculatum, antice truncatum.

Mandibulae fortes, directae, sub-cylindratae, femoribus anticis paullo latiores, duplo longiores quam latiores, in dorso versus

([1]) *Non*, ut dicit Van Hasselt loc. cit., « ab iis tam parum distantes, ut fere sese contingere primo adspectu videantur ».

basin fortiter convexae, apice intus paullo oblique truncatae, ad basin lateris exterioris elevatione nitidissima praeditae; sulcus unguicularis antice longe pilosus est et, intus, dentibus tribus praeditus, postice serie dentium quattuor armatus; unguis sat longus et fortis. *Maxillae* parallelae, sub-ovatae, duplo longiores quam latiores, labio saltem duplo longiores, basi quidem late et valde oblique truncatae, quum plane a latere inferiore inspiciuntur; basi angustae sunt, ante insertionem palpi primum sensim dilatatae, latere interiore apud labium paullo incurvo, apice intus late et oblique truncatae, angulo apicis exteriore fortiter rotundato. *Labium* paullo longius quam latius videtur, basi sub-constrictum, lateribus dein rotundatis, apice late truncato. *Pedes* robusti, sat breves (4.[i] paris cephalothorace non triplo longiores), anteriores posterioribus parum fortiores; unguiculi tarsorum bini dentibus paucis (2-4) armati sunt. Femora supra 1. 1. 1. aculeos ostendunt, praeterea et antice et postice aculeata: in femoribus 1.[i] paris, e. gr., antice versus apicem 2. 1., postice 1. 1., in femoribus 2.[i] paris antice 1. 1. 2., postice 1. 1. 1. aculeos video. Patellae posteriores utrinque aculeum habent; tibiae anteriores modo subter aculeatae sunt, ibi 5 paribus aculeorum appressorum sat brevium sed fortium armatae, quorum par tertium prioribus paullo altius locatum est; metatarsi anteriores 5 paribus aculeorum ejusmodi subter sunt armati. In pedibus posterioribus tibiae et metatarsi aculeis sat crebris in lateribus et subter praediti sunt, tibiae etiam supra aculeis 1. 1. 1. munitae. Tarsi (et metatarsi saltem apice) scopula sunt instructi. *Abdomen* inverse sub-ovatum fere. *Vulva* ex lamina (« valvula »: Van Hass.) sat magna transversa crassa sive fortiter elevata, laevi et paene plana constat, quae postice ample et fortiter rotundata est, anteriora versus sensim paullo angustata, antice paullulo emarginata et hic in medio quasi in petiolum latum brevem anteriora versus producta; utrinque, supra angulos laterales sive posticos rotundatos (i. e. prope ipsum ventrem) dentem fortem basi foras directum et apice retro et deorsum curvatum emittit haec lamina. *Mamillae* breves, mediae brevissimae; superiores et inferiores paene aeque longae

mihi videntur, inferiores superioribus paullo crassiores, art. 1.° cylindrato, vix longiore quam latiore, 2.° brevissimo, obtusi-sissimo; superiorum art. 1.^{s} cylindratus est et paullo longior quam latior, art. 2.^{s} eo non parum brevior et angustior sed paullo longior quam latior, conico-cylindratus fere.

Color. — *Cephalothorax* in fundo obscure fuscus est, oculis nigrore conjunctis; fascia media longitudinali pallidiore, sub-testaceo-ferruginea, notatur, quae usque a margine postico ad oculos medios seriei mediae pertinet, in declivitate postica an-gusta, dein lata, in parte cephalica etiam magis et in formam rhomboidis dilatata, quod totam partis cephalicae longitudinem occupat et in medio duas maculas parvas nigras ostendit; linea media longitudinalis nigra in hac fascia conspicitur quoque. Pube obscure fusca saltem in lateribus, superius, vestitus videtur cephalothorax et, praesertim in fascia illa longitudinali, pube luteo- vel aureo-flava sparsus. *Mandibulae* nigro-fuscae, nigro-sub-fasciatae, pilis nigris sat dense conspersae et ad partem pube sub-flava sparsae quoque. *Sternum, maxillae, labium, palpi* et *pedes* ferrugineo-fusca sunt, palpi et pedes nigro-pilosi et -aculeati, pedes posteriores nigricanti-annulati. *Abdomen,* pilis nigris sat densis et sub-luteis rarioribus sparsum, pube densa vestitum et ita olivaceo-fuscum est, maculis duabus nigris ad ipsam basin dorsi, apud declivitatem anticam, notatum; inter has maculas, quae quasi $\wedge$ crassissimum antice apertum formant, reliquo dorso paullo clarius est; praeterea in dorso adsunt maculae 6-8 parvae albae postice nigro-limbatae, quae in series duas longi-tudinales parallelas, paullo ante medium dorsi initium capientes ordinatae sunt. Venter dorso et lateribus paullo clarior est, testaceo-olivaceus, paullo nigricanti-variatus et lineis duabus longitudinalibus angustissimis flaventibus posteriora versus sensim appropinquantibus notatus. *Mamillae* testaceae.

In ♂ *jun.* (13 millim. longo) a me viso cephalothorax magis olivaceo-nigricans et nigro-marginatus est, fascia dorsuali sordide olivaceo-testacea, sternum cum coxis subter fusco-testaceum, palpi et pedes obscure testaceo-olivacei, metatarsis anterioribus praesertim subter nigricantibus, pedes posteriores nigro-annulati;

pubes, qua vestitum est dorsum abdominis, magis ferrugineo-lutea est; maculae albicantes ejus lineâ transversâ recurvâ binae unitae fuisse videntur, et etiam in lateribus adsunt vestigia macularum parvarum albicantium.

♀. — Lg. corp. 13 $^1/_2$; lg. cephaloth. parum plus 6, lat. ej. 4 $^1/_2$, lat. front. paene 3; lg. abd. 7 $^1/_2$, lat. ej. 5 $^1/_2$ millim. Ped. I 15, II 14, III 13, IV 17 $^1/_3$ millim. longi; pat. + tib. IV 5 $^1/_2$ millim.

Haec species adhuc modo in Sumatra inventa est. Cel. Beccari feminam adultam in monte Singalang cepit; exemplum femineum, quod descripsit Van Hasselt, in monte illo flammas eructanti, quem « Piek van Korintji » vocant, captum fuit. Mas junior, quem (verisimiliter recte) hujus speciei suspicatur Van Hasselt, ad Limun est inventus. Marem juniorem, a Forbes in Sumatra captum, mecum communicavit Cel. Cambridge.

Secundum Simon (1) gen. *Ctenus*, Keys. (2), ut *Isoctenus*, Bertk. (3), cui haec species, ut species insequens, subjici certe debet, idem est ac *Ctenus*, Walck., cujus typum Cel. Simon ipse vidit. Quomodo *Leptoctenus*, L. Koch (4), a *Cteno*, Walck., sive *Isocteno*, Bertk., dignosci possit, plane me fugit; et eam ob causam *Leptoctenum valvularem* hic gen. *Cteno* subjicio.

226. **C. pulvinatus**, n., *cephalothorace in dorso ad longitudinem parum convexo, in fundo piceo, pube obscure ferruginea ad maximam partem vestito, fronte* $^2/_3$ *partis thoracicae latitudine aequanti; oculis mediis seriei mediae paullo longius a lateralibus hujus seriei quam inter se remotis; pedibus robustis, sat brevibus, ferrugineo-fuscis, tibiis anterioribus subter* 5 *paribus aculeorum, meta-*

(1) Arachn. recueillis en Birmanie, *cet.*, *in* his Ann., XX, p. 355 (3).

(2) Ueber Amerikan. Spinnenarten d. Unterordn. Citigradae, *in* Verhandl. d. zool.-bot. Gesellsch. in Wien, XXVI (1876), pp. 681 (75) et seq.

(3) Verzeichn. der von Prof. E. van Beneden . . . gesammelten Arachn., *in* Mém. couronnés et Mém. d. savants étrangers, publiés par l'Acad. Royale des Sciences, des Lettres et des Beaux-arts de Belgique, XLIII (1880), p. 61.

(4) Die Arachn. Austral., p. 994. — In his Stud., III, p. 389, lin. 28 et 29, « *Leptoctenus* L. Koch, *Pycnoctenus* id. » lapsus est calami pro: *Cycloctenus* L. Koch, *Pycnoctenus* id.

tarsis anterioribus subter 3 paribus aculeorum armatis; abdominis dorso obscure ferrugineo-olivaceo, fascia longitudinali brevi luteo-ferruginea ad basin, et pone eam ordinibus duobus longitudinalibus punctorum alborum notato; lamina vulvae anteriora versus breviter et citissime, posteriora versus sensim et longius angustata. — ♀ ad. *Long. circa* 17 *millim.*

Femina. — Priori, *L. valvulari*, valde affinis est haec aranea, sed major et forma paullo alia vulvae coloreque paullo alio ab ea dignoscenda. — *Cephalothorax* ad structuram plane ut in illa specie est, parte cephalica fortasse paullo breviore (quoad libera est paene duplo latiore quam longiore), et sulco ordinario medio (in declivitate postica sito) minus expresso; spatium inter oculos anticos et marginem clypei directi eorum diametrum circiter aequat. *Oculi* ut in *L. valvulari*, his exceptis: linea recta oculos seriei mediae levissime deorsum curvatae infra tangens plane recta est vel potius paullulo sursum quam deorsum curvata; oculi medii seriei mediae oculis duobus posticis non parum majores sunt; spatium inter oculos duos anticos eorum diametro evidenter paullo est minus: spatium, quo a mediis seriei mediae distant hi oculi, $^1/_3$ diametri oculi antici aequat fere. Oculi medii seriei mediae paullulo longius (spatio eorum diametro paullo minore) a lateralibus hujus seriei quam inter se disjuncti videntur, et saltem dimidio longius ab oculis posticis quam inter se. Oculi laterales seriei mediae vix vel non longius (spatio diametrum suam majorem saltem aequanti) ab oculis posticis quam a mediis seriei mediae remoti sunt. *Sternum* paullo longius quam latius.

Mandibulae, maxillae et *labium* ut in priore specie diximus. *Palporum* unguiculus dentibus 7 pectinatus est. *Pedes* ut in priore robusti et sat breves sunt (4.[i] paris cephalothorace paene triplo longiores), et fere eodem modo atque in *C. valvulari* aculeati: antice tamen in femoribus 1.[i] paris aculei 1. 1. 1. 2. videntur, antice in femoribus 2.[i] paris aut 1. 1. 2., aut 1. 1. 1. 1. In pedibus 1.[i] paris 2, in 4.[i] paris 3 dentes, magnitudine gradatim citissime crescentes, habent unguiculi tarsorum. *Vulva* non multum a vulva *C. valvularis* differt. E lamina magna sub-transversa, for-

titer elevata, paene plana, nitida, secundum medium late et leviter impressa, rufo-fusca, nigro-limbata constat, quae anteriora versus citissime et breviter sensim angustatur et dein, in medio antice, paullo producta est; posteriora versus lateribus paene rectis minus cito sensim est angustata, angulis lateralibus undique rotundatis. Quum a latere inferiore inspicitur vulva *C. valvularis,* postice amplissime et aequaliter rotundata videtur, dentibus duobus sub-incurvis retro et paullo foras directis e lateribus ejus, postice, fortiter eminentibus, et latitudine maxima vulvae inter vel parum ante hos dentes sita; vulva contra *C. pulvinati* eodem modo inspecta paullo ante apicem posticum humilem late et leviter rotundatum in lateribus sub-constricta et valde inaequalis est, dentibus illis duobus brevioribus, magis deorsum quam retro directis, multoque minus eminentibus; latitudo vulvae maxima longe ante eos sita est. Ante hos dentes dens parvus vel tuberculum foras directum e latere vulvae eminet. Ceterum nullam diversitatem quoad structuram inter has duas araneas video.

Color. — *Cephalothorax* in fundo obscure fuscus vel piceus, parte cephalica fortasse secundum medium paullo clariore; pube appressa brevi obscure ferruginea vestitus est; vestigia lineae albicantis e pube formatae utrinque in parte thoracica sat alte supra margines ejus laterales ductae video. *Sternum*, cum coxis subter, pallide sive luteo-ferrugineum. *Mandibulae* piceo-nigrae, pilis luteo-ferrugineis sat dense sparsae. *Maxillae* et *labium* picea. *Palpi* ferrugineo-picei. *Pedes* ferrugineo-fusci, posteriores vix evidenter nigro-annulati; pilis non longis sub-ferrugineis et pube tenui sub-ferruginea et albicanti vestiti sunt; aculei fusci. *Abdomen* in fundo olivaceo-nigricans, pube densa appressa obscure ferrugineo-olivacea tectum et pilis brevibus magis erectis ferrugineis dense conspersum; ad basin dorsum ejus fasciam mediam longitudinalem sat latam brevem sive maculam oblongam ferrugineo-luteam ostendit, et pone eam vestigia macularum minutarum albarum in series duas longitudinales dispositarum. Venter olivaceo-niger lineis 4 longitudinalibus albis anum versus sensim sat fortiter appropinquantibus et saltem ad partem e punctis

albis formatis notatus est. *Mamillae* nigricanti- vel olivaceo-fuscae.

Lg. corp. 17; lg. cephaloth. 9 $^1/_3$, lat. ej. 6 $^4/_5$, lat. clypei 4 $^1/_4$; lg. abd. 8 $^3/_4$, lat. ej. 6 $^1/_4$ millim. Ped. I 23, II 21 $^1/_2$, III 19, IV 27 $^1/_2$ millim. longi; pat. + tib. IV 8 $^3/_4$ millim.

Cel. Doria et Beccari feminam singulam hujus speciei ad Sarawak in ins. Borneo invenerunt. In hoc exemplo loco oculi medii sinistri seriei mediae *duo* oculi coaliti paullo minores conspiciuntur, quorum supernumerarius pone ordinarium locum tenet.

Gen. **Acanthoctenus**, Keys., 1877.

227. **A. dimidiatus**, n., *cephalothorace et abdomine sub-fuscis, fascia media angusta alba ab oculis ad anum ducta ornatis, abdominis dorso praeterea saltem posterius ordinibus duobus longitudinalibus macularum magnarum nigrarum notato; pedibus fusco-testaceis, saltem in femoribus distincte nigro-annulatis, tibiis omnibus undique aculeatis, tibiis* 1.^{i} *paris subter paribus* 9, 2.^{i} *paris tibiis subter* 8 *paribus, metatarsis anterioribus subter* 4 *paribus aculeorum armatis.* — ♂ ad. *Long. circa* 9 $^3/_4$ *millim.*

Mas. — *Cephalothorax* paene $^1/_5$ longior quam latior, paene duplo brevior quam tibia cum patella 4.^{i} paris, postice breviter truncato-emarginatus, utrinque pone palpos sat leviter sinuatus, lateribus partis thoracicae ample, aequaliter et fortiter rotundatis; pars cephalica brevis est, lateribus rectis anteriora versus sensim fortius angustata, quoad libera est fere duplo latior postice quam longior, fronte truncata, latitudine clypei $^1/_3$ latitudinis partis thoracicae vix vel parum superanti. Sat humilis est cephalothorax, praesertim anterius, dorso partis thoracicae a latere visae ante declivitatem posticam (quae satis praerupta est et superius paullo convexa, et dimidium reliqui dorsi longitudine saltem aequat) apud hanc declivitatem paullo convexo, praeterea paene recto, paullo proclivi, dorso partis cephalicae usque ad oculos posticos recto et librato, inter oculos posticos paullo proclivi; dorsum ipsum cephalothoracis a latere visum igitur paullo pone medium (inter partes thoracicam et cephalicam) evidentissime impressum est vel potius paullulo sursum fractum. Impressiones cephalicae

distinctissimae, sulci radiantes partis thoracicae bene expressi quoque; sulcus ordinarius medius longus et fortis. Facies tota directa, aeque saltem alta ac lata supra, ubi parum convexa est, lateribus valde praeruptis, paene directis. Spatium inter marginem clypei et oculos anticos diametro horum oculorum circa dimidio majus est. *Oculi* medii seriei mediae oculis posticis circa $^1/_4$, oculis vero anticis circa dimidio sunt majores; oculi laterales seriei mediae mediis ejusdem seriei circa triplo minores sunt. Series oculorum media modice deorsum curvata est: linea recta medios horum oculorum infra tangens laterales supra vix tangit. Area, quam formant oculi medii seriei mediae et oculi antici (qui, ut illi, spatio dimidiam oculi diametrum paullo superanti disjuncti sunt), paullo longior est quam latior postice, et paullo latior postice quam antice. Oculi laterales seriei mediae spatio minore (oculi diametrum breviorem aequanti) a mediis ejusdem seriei distant, quam quo hi inter se sunt disjuncti; ab oculis duobus posticis saltem dimidio longius, ab oculis duobus anticis plus duplo longius quam a mediis seriei mediae distant laterales hujus seriei. Spatium inter oculos posticos et oculos medios seriei mediae horum diametrum aequat. *Sternum* aeque saltem latum ac longum, paene orbiculatum, antice tamen truncato-emarginatum, postice brevissime sub-acuminatum.

Mandibulae directae, patellis anticis paullo breviores, femoribus anticis non parum angustiores, altitudinem faciei longitudine non parum superantes, saltem duplo et dimidio longiores quam latiores, paene cylindratae, apice late et oblique truncatae. Sulcus unguicularis postice 4 (5?) dentibus conicis sat fortibus armatus est; antice, intus, 2-3 dentibus minoribus (difficilibus visu) munitus videtur. Unguis mediocris. *Maxillae* parallelae, duplo longiores quam latiores, labio duplo longiores, versus basin oblique truncatum modo leviter angustatae, latere exteriore, ad insertionem palpi, paullo sinuato, praeterea rotundato, ut apex praesertim extus: intus apex maxillae late et oblique truncatus est. *Labium* paullo longius quam latius, versus basin paullo constrictum vel potius utrinque impressum, apice fortissime rotundatum. *Palpi* longi, graciles, clava patellas anticas latitu-

dine circiter aequanti. Pars patellaris 2 $^1/_2$ - 3.plo longior est quam latior, pars tibialis eà non parum longior et saltem basi paullo angustior, paene cylindrata, a basi ad apicem sensim modo levissime incrassata; latus ejus exterius prope apicem in dentem conicum acuminatum anteriora versus et foras directum excurrit, cujus longitudo $^1/_3$ diametri partis tibialis vix superat. Pars tarsalis parte tibiali parum longior et fere dimidio latior est, apice sat longo et angusto: circa triplo longior est quam latior, in lateribus dimidii basalis rotundata, lateribus dein paene rectis sensim paullo angustata. Bulbus parum plus dimidium basale partis tarsalis occupat. Breviter sub-ellipticus est, modice altus et complicatus; in medio lateris exterioris, subter, elevationem nitidam sub-ovatam sat magnam ostendit, et prope eam, in medio subter, partem quandam ferrugineam, quae, quum a latere exteriore inspicitur bulbus, postice dentem deorsum directum procurvum ibidem formare videtur, praeterea vero in procursum gracilem porrectum apice profunde bifidum sive furcatum excurrit. *Pedes* longissimi, graciles, 4.[i] paris cephalothorace fere 6.plo longiores; metatarsi tarsis triplo (1.[i] paris) -triplo et dimidio longiores sunt. Pube tenui appressa vestiti sunt pedes, et aculeis crebris longis armati, qui subter in tibiis et in metatarsis anterioribus longissimi et appressi sunt. Femora paene omnia supra, antice et postice 1. 1. 1. 1. aculeos habent, patellae omnes aculeum utrinque; tibiae 1.[i] paris subter 9 paribus aculeorum armati sunt, antice et postice aculeis 1. 1. 1. 1., supra saltem 1 aculeo; tibiae 2.[i] paris subter 8 paria aculeorum ostendunt, antice, postice et supra 1. 1. 1. aculeos. Supra tibiae posteriores 1. 1. 1. 1. aculeis praeditae sunt. Metatarsi anteriores subter 4 paribus aculeorum, antice saltem 1, postice 1. 1. 1. aculeis sunt muniti. Scopulae in metatarsis et tarsis anterioribus bene expressae. Unguiculi tarsorum bini graciles, longi, fortissime et aequaliter curvati, dente longo forti conico et pone eum dentibus paucis gradatim citissime decrescentibus parvis (primo eorum tamen sat magno) armati. Pili fasciculorum unguicularium longi, apice non vel parum incrassati. *Abdomen* plus duplo longius quam latius, anguste ovato-ellipticum fere. *Mamillae*

superiores inferioribus vix vel non longiores, art. 2.° brevissimo, obtusissimo; art. 2.s inferiorum etiam brevior videtur, vix ultra art. 1.m eminens.

Color. — *Cephalothorax* obscure fuscus, oculis nigrore conjunctis, impressionibus radiantibus infuscatis; utrinque fascia marginali lata, in margine superiore sub-undulata, paullo pallidiore notatus est, parte cephalica paullo clariore quoque; secundum paene totam longitudinem ejus fascia angusta media e pube alba formata et per totum dorsum abdominis continuata ducta est; praeterea saltem ad maximam partem pube sub-ferruginea (et, inter oculos, rubra quoque) vestitus fuisse videtur cephalothorax. *Sternum* cum coxis subter pallide fusco-testaceum. *Mandibulae* obscure fuscae, apice paullo clariores, ut clypeus pilis longis porrectis pallidis sparsae, pallido-pubescentes. *Maxillae* et *labium* testaceo-fusca. *Palpi* pallide fusco-testacei, parte femorali versus apicem nigro-maculata, parte patellari quoque apice macula nigra notata, parte tarsali ad partem infuscata. *Pedes* fusco-testacei, nigro-annulati: femora annulos binos distinctos nigros habent et praeterea basi et apice plus minus evidenter nigricantes sunt, ut patellae, tibiae et metatarsi saltem apice. Ut palpi pallide pubescentes et -pilosi sunt pedes, aculeis plerisque piceis. *Abdomen,* cujus pictura ad maximam partem e pube densa, qua vestitum est, pendet, hujus est coloris: dorsum sub-fuscum est, totum linea media longitudinali alba persectum; apud eam, posterius, utrinque maculae 4 magnae transversae nigrae adsunt: par primum harum 8 macularum, quae in duas series longitudinales ordinatae sunt, fere in medio dorsi locum tenet, et ante eas maculae duae minores nigrae conspiciuntur, ut et duae magnae in et ad declivitatem anticam sitae. In lateribus et in dorso versus ea maculis parvis rubris et albis variatum fuisse videtur abdomen. Venter sub-fusco-testaceus, dense luteo-pubescens. *Mamillae* testaceo-fuscae.

Lg. corp. 9 $^3/_4$; lg. cephaloth. 5 $^1/_6$, lat. ej. 4 $^1/_4$, lat. clyp. 1 $^3/_4$; lg. abd. 5 $^1/_3$, lat. ej. paene 2 $^2/_3$ millim. Ped. I 27 $^3/_4$, II 25, III 22 $^1/_2$, IV 30 $^2/_3$ (pat. + tib. IV 9 $^3/_4$) millim. longi.

Marem singulum in monte Singalang Sumatrae invenit Beccari.

228. **A. laetus**, n., *cephalothorace in fundo luteo-ferrugineo, pube densa flava et rubra tecto, itaque flavo, pictura rubra; abdomine in fundo sub-testaceo, secundum medium dorsi late flavo, pube flava, intermixta rubra, quae maculas saltem ad partem in ordines duos longitudinales dispositos format, vestito; pedibus basi pallide fusco-testaceis, apicem versus sensim paullo obscurioribus, flavo-pubescentibus, tibiis omnibus undique aculeatis, tibiis* 1.ⁱ *paris subter paribus* 10, *tibiis* 2.ⁱ *paris subter* 9 *paribus, metatarsis anterioribus subter* 5 *paribus aculeorum armatis.* — ♂ ad. *Long. circa* 10 $^2/_3$ *millim.*

Mas. — Praecedenti, *A. dimidiato,* ad formam simillimus, colore plane alio facile dignoscendus. — *Cephalothorax,* circa $^1/_5$ longior quam latior, et paene duplo brevior quam tibia cum patella 4.ⁱ paris, quoad formam plane ut in specie priore diximus est, dorso partis thoracicae proclivi et paene recto angulum obtusissimum quidem sed distinctissimum cum dorso partis cephalicae recto et librato formanti. Impressiones cephalicae fortes sunt, radii partis thoracicae distinctae quoque; sulcus ordinarius medius profundus et longus ut linea impressa in declivitatem posticam continuatur, hoc modo tarsos anteriores longitudine superans. Spatium inter marginem clypei et oculos anticos diametro eorum saltem dimidio majus est. *Oculi* ut in *A. dimidiato,* his exceptis: oculi medii seriei mediae oculos posticos magnitudine vix vel non superant, et circa dimidio majores sunt quam oculi antici. Series oculorum media paullulo minus fortiter deorsum curvata videtur: linea enim recta, medios horum oculorum infra tangens, laterales supra tangit, si plane a fronte inspicitur facies. Spatium inter oculos medios hujus seriei $^2/_3$ diametri oculi aequare videtur; spatium vero inter oculos duos anticos dimidia eorum diametro evidenter minus est. Oculi laterales seriei mediae spatio minore quidem a mediis ejusdem seriei quam hi inter se distant, sed hoc spatium diametrum oculi lateralis majorem saltem aequare videtur; ab oculis posticis, et praesertim ab anticis, spatiis majoribus remoti sunt, ut in specie priore. *Sternum* ut in illa.

Mandibulae, patellis anticis paullo breviores et tibiis anticis parum crassiores, altitudinem faciei longitudine multo

superant et fere triplo longiores sunt quam latiores; sub-cylindratae sunt, apice valde oblique et latissime truncatae, in dorso paene rectae, pilis longis sparsae; sulcus unguicularis eodem modo atque in specie priore est armatus. *Maxillae* et *labium* plane ut in ea. *Palporum* clava tibias anticas latitudine paene aequat; pars eorum patellaris duplo et dimidio longior est quam latior; pars tibialis eâ saltem $^1/_4$ longior est, a basi ad apicem sensim paullulo incrassata, paene 4.plo longior quam latior; prope apicem lateris exterioris, supra, dente sat parvo sed forti, paullo deorsum curvato, anteriora versus et paullo foras directo armata est, cujus apex in duos dentes acuminatos est fissus. Pars tarsalis partem tibialem longitudine parum superat, eâ paene duplo latior, et paene triplo longior quam latior, ad formam ut in *A. dimidiato*, modo apice paullo breviore. Bulbus a latere exteriore visus paullo ante medium subter rotundato-excisus videtur, ita ut dentem deorsum et anteriora versus directum hic formet pars excisa, quae supra, antice, in procursum sat brevem et latum, apice dilatatum, porrectum (non ut in priore specie profunde bifurcatum) producta est. *Pedes* longi et graciles; metatarsi tarsis 4 - 5.plo longiores sunt; scopula sat densa in metatarsis et tarsis anterioribus adest. Femora supra 1. 1. 1., antice et postice 1. 1. 1. 1. aculeis armata sunt, patellae omnes aculeo et antice et postice. Tibiae 1.^{i} paris subter paribus aculeorum 10, antice aculeis 1. 1. 1. 1. 1. 1., postice 1. 1. 1. 1. aculeis, supra aculeo 1 sunt munitae, tibiae 2.^{i} paris subter 9 paribus aculeorum longorum, antice 1. 1. 1. 1. 1., postice 1. 1. 1. 1., supra 1. 1. 1. aculeis. Aculei supra in tibiis posterioribus 1. 1. 1. 1. sunt. Metatarsi anteriores subter 5 paria aculeorum longorum habent, antice 1, postice 1. 1. aculeos. Unguiculi tarsorum ut in *A. dimidiato* sunt ad formam, dentibus 5-8 fortibus retro sensim decrescentibus pectinati, quorum saltem anteriores sat longi sunt. Pili fasciculorum unguicularium longi, apice leviter clavati. *Abdomen* circa duplo longius quam latius, elliptico-cylindratum, antice sub-truncatum. *Mamillae* ut in specie priore.

Color. — *Cephalothorax* in fundo ferrugineo-luteus est; pube densa appressa sat tenui flava et rubra vestitus fuisse videtur,

quae in nostro exemplo tamen ad magnam partem detrita est: flavus igitur verisimile est dicendus, fasciis duabus angustis rubris, posterius in maculas divulsis et fasciam mediam longitudinalem latam flavam includentibus ornatus. Margo lateralis partis thoracicae late ruber vel rubro-maculatus fuisse videtur: etiam superius in lateribus vestigia macularum rubrarum video. *Sternum* cum coxis subter pallide sub-testaceum est, *labium* paullo obscurius; *mandibulae* ferrugineae, pilis longis testaceis sparsae. *Palpi* cum *maxillis* pallide fusco-testacei. *Pedes* quoque basi pallide fusco-testacei, apicem versus sensim paullo obscuriores, pallide ferruginei fere; pube tenui densa flava vestiti sunt, flavo-pilosi, aculeis fuscis. *Abdomen* in fundo sub-testaceum videtur, secundum medium dorsi sat late flavum; pube densa flava tectum est, intermixta rubra, quae maculas parvas (vel fascias duas longitudinales flexuosas?) rubras secundum dorsum formare videtur; praeterea dorsum abdominis pilis mediocribus, ad basin ejus densis, sparsum est. Venter pallide flavus; *mamillae* sub-testaceae.

Lg. corp. 10 $^2/_3$; lg. cephaloth. 5 $^1/_2$, lat. ej. paullulo plus 4 $^1/_2$, lat. clyp. circa 1 $^3/_4$; lg. abd. 5 $^1/_2$, lat. ej. paene 3 millim. Ped. I 32, II 28 $^1/_4$, III 24 $^1/_2$, IV 36 millim. longi; pat. + tib. IV paullo plus 10 $^1/_2$ millim.

Mas, quem unum formosae hujus speciei vidi, a Cel. Doria et Beccari in Borneo, ad Sarawak, captus est.

Subfam. LYCOSINAE.

Gen. **Sphedanus**, Thor., 1877.

229. **S. undatus**, Thor.

Syn.: 1877. *Sphedanus undatus*, Thor., Studi, *cet.*, I, Ragni di Selebes, loc. cit., p. 523 (183).

Species ad Kandari in ins. Celebes inventa.

Gen. **Dendrolycosa** (Dol.), 1859.

230. **D. longitarsis**, Thor.

Syn.: 1877. *Dendrolycosa longitarsis*, Thor., Studi, *cet.*, I, Ragni di Selebes, loc. cit., p. 525 (185).

Haec quoque species, cum varietate, quam loc. cit., p. 529 (189), *D. fasciatam* appellavi, in Celebes ad Kandari capta fuit.

Gen. **Dolomedes** (Latr.), 1804.

231. **D. lepidus**, n., *clypei altitudine diametro oculorum anticorum modo circa dimidio majore; oculis seriei anticae aeque magnis, oculis seriei posticae eos parum, oculis seriei mediae eos paullo magnitudine superantibus; cephalothorace obscure fusco, fascia marginali lata alba utrinque ornato; palpis et pedibus obscure fuscis, pube cinerascenti-alba et ferruginea vestitis; abdominis dorso in fundo secundum medium late et inaequaliter nigro-fusco et fascia abbreviata nigra anguste albo-marginata antice notato, lateribus luteis et cinereo-luteo-pubescentibus in margine superiore sive interiore ita undulato-sinuatis, ut area dorsualis nigro-fusca pone medium sub-constricta evadat.* — ♀ jun. *Long. saltem* 11 *millim.*

Femina *jun.* — *Cephalothorax* parum brevior quam tibia cum patella 4.i paris, circa $^1/_3$ longior quam latior, utrinque anterius sat fortiter sinuato-angustatus, parte thoracica in lateribus ample et fortiter rotundata, in medio postice paullo emarginata, parte cephalica quoad libera est saltem dimidio latiore quam longiore, lateribus paene rectis anteriora versus sensim modo paullulo angustata, fronte fortius rotundata, clypeo dimidiam partem thoracicam latitudine parum superanti. Sat humilis est cephalothorax, dorso ante declivitatem posticam, quae brevis et non multo praerupta est, usque ad oculos posticos paene recto et librato, inter oculos fortiter proclivi, clypeo paullo reclinato. Impressiones cephalicae distinctissimae, sulci radiantes bini utrinque in parte thoracica visibiles quoque; sulcus ordinarius cen-

tralis sat longus. A fronte visa facies supra plana videtur, non convexa. Clypei altitudo diametro oculorum anticorum circa dimidio major est, et parum major quam spatium, quo distant oculi medii antici ab oculis seriei mediae. Area *oculorum* multo latior est quam longior; oculi sat magni sunt, duo medii paullo, duo postici parum majores quam antici quattuor, qui omnes eadem magnitudine mihi quidem videntur. Series oculorum antica a fronte visa recta est et circa dupla oculi diametro brevior quam series postica, sed paene duplo longior quam series media. Oculi medii seriei anticae paullulo longius inter se quam a lateralibus distant, ab his spatio dimidiam oculi diametrum vix aequanti separati; ab oculis seriei mediae spatio diametro sua dimidio majore sunt remoti, cum iis trapezium non parum longius quam latius et paullo latius postice quam antice formantes. Spatium inter oculos seriei mediae eorum diametrum vix aequat· ab oculis posticis ii spatio hac diametro fere duplo majore remoti sunt; trapezium, quod cum his oculis formant, paene triplo latius est postice quam antice, vix longius quam latius antice. A fronte visi oculi 4 posteriores lineam rectam formare videntur.

Mandibulae femora antica crassitie aequant, plus duplo longiores quam latiores, duplam faciei altitudinem longitudine paene aequantes; sulcus unguicularis et antice et postice tribus dentibus armatus est. *Palporum* pars patellaris circa dimidio, pars tibialis circa duplo et dimidio longior est quam latior. *Pedes* mediocres, non multo robusti, 4.[i] paris cephalothorace circa 3 $^{1}/_{4}$ longiores; aculeis mediocribus sat crebris armati sunt. Subter in tibiis 1.[i] paris 4 paria aculeorum video, in tibiis vero 2.[i] paris subter modo 3 paria aculeorum. *Abdomen* angustius ovatum, postice sub-acuminatum. *Mamillae* superiores inferioribus paullo longiores.

Color. — *Cephalothorax* in fundo nigro-fuscus, fascia marginali lata (in parte thoracica latissima) pallida utrinque, quae pube densa alba tecta est; spatium inter has fascias albas iis circa duplo est latius et latitudine paene aequali, pube fusca et, posterius magisque intus, cinerascenti vestitum, et postice in parte cephalica, ante sulcum centralem nigricantem, lineola longitudinali

albicanti notatum. *Sternum* obscure fuscum, dense et crasse cinereo-albo-pubescens. *Mandibulae* obscure fuscae, cinereo-albo-pubescentes, nigro-pilosae. *Palpi* ejusdem coloris, basi paullo pallidiores, parum distincte nigro-maculati, parte tarsali nigra; cinereo-albo-pubescentes sunt et nigro-pilosi. *Pedes* ii quoque nigro-fusci, annulo uno alterove pallido saltem in femoribus notati, dense cinereo-albo- et, ad partem, ferrugineo-pubescentes, nigro-pilosi et -aculeati. Et palpi et pedes, saltem quum in spiritu vini immersi sunt, in fundo ad longitudinem testaceo-fusco-lineati videntur. *Abdominis* dorsum in fundo secundum medium late et inaequaliter nigro-fuscum est et hic pube cinerascenti et sub-ferruginea munitum; fascia longitudinali brevi sat lata nigra antice est ornatum, quae utrinque lineâ sub-undulatâ albâ e pube formatâ marginata est: haec fascia ferrugineo- vel fusco-pubescens fuisse videtur. Latera abdominis (et dorsi) lutea sunt, maculis nigris sparsa et dense cinereo-luteo-pubescentia; quae fasciae vel plagae laterales luteae in margine superiore sive interiore (in dorso) inaequaliter sinuato-undulatae sunt, ita ut spatium dorsuale obscurum, quod includunt, inter medium et anum lobo earum rotundato paullo constrictum evadat. Venter sordide luteus, pube testaceo-cinerascenti tectus. *Mamillae* obscure fuscae.

♀ *jun.* — Lg. corp. 11 millim.; lg. cephaloth. 4 $^3/_4$, lat. ej. 3 $^1/_2$, lat. clyp. fere 2; lg. abd. 6 $^2/_3$, lat. ej. 4 millim. Ped. I 14 $^1/_2$, II paullo plus 13, III 11 $^1/_2$, IV 15 $^1/_2$ millim. longi; pat. + tib. IV paene 5 millim.

Feminam singulam nondum adultam pulchrae hujus speciei ad Ajer Mancior Sumatrae cepit Cel. Beccari. A reliquis generis *Dolomedis* formis mihi cognitis haec species clypeo solito humiliore differt; vix vero proprii generis.

Gen. **Trochosa** (C. L. Koch), 1848.

232. **T. inops**, n., *cephalothorace nigro-fusco, fasciis tribus angustis longitudinalibus testaceo-fuscis notato, lateralibus supra-marginalibus et paullulo latioribus quam est media, quae tibias latitudine*

vix vel non aequat; serie oculorum media seriem anticam rectam longitudine modo aequanti; pedibus testaceo-fuscis, basi paullo clarioribus, praeterea unicoloribus; abdominis dorso nigro- vel olivaceo-fusco, antice fascia angusta postice abbreviata clariore nigro-marginata, et utrinque apud eam puncto albicanti notato, pone eam vero punctis nonnullis albicantibus in series duas longitudinales ordinatis; vulva ex fovea rotundata postice aperta constanti, cui postice utrinque adjacet tuberculum fuscum, et quae septo angusto postice in formam ⊥ *dilatato munita et postice clausa est.* — ♀ ad. *Long.* 7 - 8 $^1/_2$ *millim.*

Femina. — *Cephalothorax* formâ ordinariâ, aeque fere longus ac tibia cum patella 4.[i] paris, circa $^1/_3$ longior quam latior, fronte fortiter rotundata, clypeo dimidiam partem thoracicam latitudine paullo superanti; sat humilis est, dorso ante declivitatem posticam librato et modo levissime convexo, paene recto, inter oculos posteriores paullo proclivi; facies humilis, supra, inter oculos seriei 3.[iae] sive posticos, modo levissime convexa, lateribus convexis et declivibus, infra multo latior quam supra; altitudo clypei sive spatium inter marginem ejus verum et oculos medios anticos horum oculorum diametrum aequat. Area *oculorum* paullo latior postice est quam longior; series oculorum antica aeque longa est ac series media, certe eâ non longior; oculi medii seriei anticae (quae a fronte visa plane recta est, saltem non deorsum curvata) lateralibus circa dimidio majores sunt, spatio dimidiam diametrum suam vix aequanti sejuncti, et spatio etiam paullo minore a lateralibus separati. Oculi 2.[ae] seriei valde magni, posticis oculis, qui oculis mediis anticis saltem duplo majores sunt, circa dimidio majores. Trapezium, quod formant oculi posteriores, circa diametro oculi singuli postici latior est postice quam antice, et aeque longum ac latum antice. Spatium inter oculos duos 2.[ae] seriei diametro eorum fere dimidio minus est; spatia, quibus ab oculis posticis distant hi oculi, spatio illo non parum sunt majora.

Mandibulae fortes, duplo et dimidio longiores quam latiores, tibiis 1.[i] paris paullo longiores, femora hujus paris latitudine saltem aequantes, in dorso versus basin fortiter convexae; sulcus

unguicularis antice 2, postice 3 dentibus mediocribus armatus est. *Pedes* breviores, sat robusti; 4.^{i} paris cephalothorace circa 3 $^1/_5$ longiores sunt, 2.^{i} paris pedes pedibus 3.^ii paris paullo longiores. Tibiae anteriores subter 2. 2. 2., antice 1. 1. aculeos habent. *Abdomen* inverse ovatum; vulva ex fovea sat parva et sat profunda rotundata constat, quae postice latissime aperta est: postice utrinque ei adjacet tuberculum sat magnum rotundatum piceum; secundum medium septum longitudinale angustum ostendit, quod postice, pone foveam, ita est dilatatum, ut ⊥ formet, cujus rami transversi foveam postice apicibus claudant et tuberculis illis adjaceant.

Color. — *Cephalothorax* nigro-fuscus, fasciis longitudinalibus tribus angustis pallide fuscis notatus, quarum media, quae in medio inter oculos posteriores initium capit et paene usque ad marginem posticum pertinet, tibias posteriores vix vel non latitudine aequat, sulco ordinario centrali fusco notata; fasciae duae laterales fasciâ mediâ paullulo latiores sunt, a margine nigro spatio vel fascia nigro-fusca separati, quae iis paullo est angustior; spatia inter fascias tres pallidas interjecta lateralibus earum circa duplo latiora sunt. Oculi plerique colore nigro sunt uniti; clypeus sub iis pallide fuscus. *Sternum* cum coxis subter testaceo-fuscum, nigro-pilosum. *Mandibulae* obscure fuscae sive piceae, nigro-pilosae; *maxillae* pallide fuscae, *labium* sub-piceum. *Palpi* et *pedes* sordide testaceo-fusci, basi paullo pallidiores, praeterea unicolores, nigro-pilosi et -aculeati. *Abdomen* supra olivaceo-fuscum est, in lateribus paullo clarius et nigro-maculatum seu -marmoratum; antice in dorso fascia brevi angusta sub-lanceolata paullo clariore nigro-marginata, a medio apicem versus sensim angustata est notatum, quae fere ad medium dorsi pertinet; utrinque apud eam punctum sive maculam minutam albicantem ostendit, pone eam vero puncta nonnulla albicantia in series duas longitudinales versus anum sensim appropinquantes digesta. Venter pallidus pube olivaceo-testacea vestitus est. *Mamillae* testaceo-fuscae.

Lg. corp. 8 $^1/_2$ millim. Lg. cephaloth. 4, lat. ej. paene 3, lat. clyp paene 2; lg. ab. 5, lat. ej. 3 $^1/_4$ millim. Ped. I 10,

II 9 $1/_2$, III 9, IV 12 $3/_4$ millim. longi; pat. + tib. IV 4 millim.

Cel. Beccari feminas duas hujus speciei ad Ajer Mancior aliamque ad Sungei Bulu Sumatrae invenit.

233. **T. conspersa**, Thor.

Syn.: 1877. *Trochosa conspersa*, Thor., Studî, *cet.*, I, Ragni di Selebes, loc. cit., p. 529 (189).

Habitat in Celebes, ad Kandari inventa.

Gen. **Tarentula** (Sund.), 1833.

234. **T. fragilis**, n., *cephalothorace in fundo sub-ferrugineo, fasciis duabus longitudinalibus supra-marginalibus sat latis paullo inaequalibus nigricantibus notato; sterno fusco vel nigricanti; pedibus testaceo-fuscis, dense nigro-annulatis, pedibus* 3.ii *paris in* ♂ *pedes* 2.i *paris longitudine paullo superantibus; abdomine in fundo testaceo-fusco, fascia abbreviata lanceolata laete testaceo-ferruginea nigro-marginata antice in dorso ornato, posterius vero ordinibus duobus longitudinalibus macularum nigrarum valde inaequalium, lateribus praesertim anterius nigricantibus vel nigro-variatis; parte tibiali palporum in mare aeque longa ac lata, basi plaga vel quasi scuto nitidiore ferrugineo munita; vulva ex fovea magna rotundata sub-transversa postice latissime aperta constanti, quae septo anteriora versus sensim paullo dilatato et, utrinque apud id, tuberculo munita est.* — ♂ ♀ ad. *Long.* ♂ *circa* 6, ♀ *circa* 6 $1/_4$ *millim.*

Mas. — *Cephalothorax* circa $1/_3$ longior quam latior, parum brevior quam tibia cum patella 4.i paris, lateribus partis thoracicae ample et fortiter rotundatis, lateribus partis cephalicae primum rectis, denique rotundatis anteriora versus sensim sat fortiter angustatus, fronte rotundata, oculis mediis prominulis, clypeo dimidiam partem thoracicam latitudine vix vel non aequanti. Sat humilis est cephalothorax, dorso ante declivitatem posticam satis praeruptam et dimidium reliqui dorsi longitudine fere aequantem librato et recto vel potius paullulo concavato,

inter oculos posteriores paullo proclivi; facies directa est, immo paullo reclinata, a fronte visa paullo altior quam latior supra, lateribus praerupte declivibus et convexis, supra inter oculos posticos in medio leviter convexa. Spatium inter marginem clypei et oculos medios anticos eorum diametro majus est, spatium inter marginem illum et oculos laterales anticos horum diametro minus. Area *oculorum* paullo latior est postice quam longior; series eorum media evidentissime paullulo longior est quam antica, quae non parum deorsum est curvata. Oculi medii antici paullo minores sunt quam laterales antici, et paullo longius inter se (spatio oculi dimidiam diametrum superanti) quam ab iis remoti. Oculi magni seriei mediae spatio inter se sunt sejuncti, quod eorum diametrum paene aequat; ab oculis posticis vero spatio hanc diametrum paullo superanti separati sunt. Oculi 4 posteriores trapezium formant, quod postice non multo (vix diametro oculi singuli postici) latior est quam antice, et aeque longum ac latum antice.

Mandibulae paullo reclinatae, plus duplo et dimidio longiores quam latiores, patellis 1.[i] paris paullo longiores, femoribus hujus paris paullo angustiores, in dorso versus basin parum convexae. *Palpi* mediocres, clava femora antica latitudine parum superanti. Pars patellaris dimidio longior est quam latior, pars tibialis eà paullo brevior et, apice, paullo latior, aeque longa ac lata apice; pars tarsalis, priores duas conjunctas longitudine aequans et partis tibialis apice circa dimidio latior, saltem dimidio (non duplo) longior quam latior, a basi ad circa $^2/_3$ vel $^3/_4$ longitudinis lata et in lateribus fortiter rotundata est, dein utrinque sub-sinuata et lateribus paene rectis sensim angustata, apice obtusa. Bulbus magnus, latus et ad magnam partem niger est; subter valde est inaequalis, ibique magis intus oblique et profunde ad longitudinem impressus et albicans, apice intus uncum fortissimum sub-obtusum foras curvatum formans, magis extus vero ad longitudinem excavatus et albicans. *Pedes* mediocres, 3.[ii] paris ut videtur paullo longiores quam 2.[i] paris; 4.[i] paris pedes cephalothorace circa 4 $^2/_5$ longiores sunt. Tibiae anteriores subter 2. 2. 2., postice et, saltem in pedibus 2.[i] paris,

antice quoque 1. 1. aculeis sunt armatae. *Abdomen* inverse ovatum.

Color. — *Cephalothorax* in fundo obscure testaceo-fuscus vel ferrugineus est dicendus, fasciis duabus longitudinalibus nigricantibus et in marginibus paullo inaequalibus notatus, quae posterius paullo incurvae sunt, in declivitate postica spatio modo angusto separatae; spatium pallidum inter eas praeterea iis latius est, praesertim anterius, spatia inter marginem cephalothoracis nigrum et has fascias iis vero angustiora, fascias duas marginales pallidas albo-pubescentes formantia. *Sternum* cum *labio* fuscum, *mandibulae* sub-ferrugineae, *maxillae* testaceo-fuscae. *Palpi* testaceo-ferruginei sunt, paullo nigro-maculati, parte tarsali testaceo-fusca, plaga vel quasi scuto basali nitidiore ferrugineo. *Pedes* testaceo-fusci, dense nigro-annulati, coxis subter magis testaceis: femora 4, tibiae et metatarsi 3 annulos nigros habent, patellae apice nigrae sunt. *Abdomen* in fundo supra testaceo-fuscum, subter fuscum dici potest, hac pictura: dorsum ejus antice fasciam anguste lanceolatam laete testaceo-ferrugineam ostendit, quae lineis duabus nigris includitur et apice acuminato non usque ad medium ejus pertinet; in parte posteriore duas series longitudinales macularum nigrarum valde inaequalium habet, spatio interjecto paribus punctorum nigrorum paucis notato. Anterius in lateribus nigrum vel nigro-maculatum est abdomen. Pube sub-lutea et alba in partibus pallidis munitum est, pube alba ut videtur ad partem puncta vel maculas parvas in ordines longitudinales duos vel plures ordinatas formanti. Venter pube cinerascenti-lutea vestitus est, *mamillae* fuscae.

Femina parum nisi his rebus a mare differt: *Cephalothorax* paullo longior est quam tibia cum patella 4.[i] paris, ipso dorso recto, partis cephalicae lateribus parallelis, clypei latitudine dimidiam partis thoracicae latitudinem paullo superanti, facie parum altiore quam latiore supra, lateribus magis leniter declivibus. *Mandibulae* femora antica crassitie aequant; duplo et dimidio longiores sunt quam latiores, in dorso versus basin modice convexae. *Palporum* partes patellaris et tibialis aeque fere longae sunt, haec duplo, illa paene duplo longior quam latior; pars

tarsalis parte tibiali paullo angustior et non parum longior est, nigro-fusca, excepta basi, quae, ut palpi praeterea, pallide fusco-testacea est. *Pedes* 4.[i] paris cephalothorace vix triplo longiores sunt; pedes 2.[i] paris pedibus 3.[ii] paris paullo longiores. *Abdomen* ut in mare diximus, ventre et mamillis paullo pallidioribus. *Vulva* ex fovea magna cornea paullo transversa, antice et in lateribus fortiter rotundata, postice latissime aperta constat, apicibus laterum posticis paullulo incurvis; haec fovea septum medium sat crassum, nitidissimum, anteriora versus sensim paullo dilatatum et humilius ostendit, et utrinque apud id tuberculum parvum nitidum.

♂. — Lg. corp. 6 millim. Lg. cephaloth. 3 $^1/_4$, lat. ej. 2 $^1/_2$, lat. clyp. paene 1 $^1/_4$; lg abd. 3 $^1/_6$, lat. ej. 1 $^5/_6$ millim. Ped. I 9 $^1/_4$, II paene 8 $^1/_2$, III 8 $^1/_2$, IV 11 $^1/_2$ millim. longi; pat. + tib. IV 3 $^1/_3$ millim.

♀. — Lg. corp. 6 $^1/_4$ millim. Lg. cephaloth. 3 $^1/_2$, lat. ej. 2 $^1/_2$, lat. clyp. 1 $^1/_2$; lg. abd. 3, lat. ej. 2 $^1/_4$ millim. Ped. I 8, II 7 $^1/_3$, III paullo plus 7, IV 10 millim. longi; pat. + tib. IV paene 3 millim.

Marem et feminam detritos examinavi, in monte Singalang Sumatrae a Beccari captos.

Gen. **Lycosa** (Latr.), 1804.

235. **L. pusiola**, n., *cephalothorace circa* $^1/_3$ *longiore quam latiore, tibiam cum patella* 4.[i] *paris longitudine fere aequanti, in fundo fusco-testaceo, fasciis duabus longitudinalibus sat latis nigro-fuscis et linea nigro-fusca paullo supra margines laterales nigros ducta ornato, interstitio inter fascias illas fasciam pallidam sat latam et ante sulcum centralem dilatatam formanti; sterno fusco-testaceo, interdum (in ♂) plaga geminata nigra notato; palpis maris nigris, basi late testaceis; pedibus laete fusco- vel sub-olivaceo-testaceis; abdominis dorso secundum medium sat late testaceo- vel pallide olivaceo-fusco et antice fascia longitudinali brevi et angusta pallidiore ornato, in lateribus nigro vel nigricanti, et posterius ordinibus duobus versus anum appropinquantibus macularum par-*

varum albarum plerumque notato, ventre pallido, albo-pubescenti; vulva ex area parva cornea constanti, quae tuberculis duobus humilibus nigris postice munita est. — ♂ ♀ ad. *Long. circa* 6 *millim.*

Mas. — *Cephalothorax* circiter $^1/_3$ longior quam latior, tibiam cum patella 4.[i] paris longitudine aequans, utrinque anterius levissime sinuatus, partis thoracicae lateribus ample et fortiter rotundatis, parte cephalica lateribus paene rectis anteriora versus sensim sat fortiter angustata, fronte truncata, latitudine clypei $^1/_3$ latitudinis partis thoracicae paullo superanti. Modice altus est cephalothorax, dorso ante declivitatem posticam (quae modice praerupta est, primum, ad marginem posticum, recta, dein convexa) recto et parum proclivi, inter oculos posticos paullo magis proclivi paulloque convexo; facies directa, a fronte visa paene aeque alta ac lata, supra, inter oculos posticos, leviter convexa, lateribus directis et sat fortiter rotundatis, infra parum latior quam supra. Area *oculorum* paullo longior quam latior videtur; series eorum antica serie media non parum brevior est, levissime deorsum curvata; oculi medii antici lateralibus non parum majores sunt et spatio evidentissime, paene duplo, majore (oculi diametrum tamen non aequanti) inter se quam ab iis remoti. Spatium inter marginem clypei et oculos medios anticos horum diametro circa dimidio majus videtur; non parum minus est quam diameter oculi seriei mediae, et paullo majus quam spatium (oculi medii antici diametrum aequans), quo ab oculis seriei mediae remoti sunt medii antici. Trapezium oculorum 4 posteriorum paene dupla oculi postici diametro latior est postice quam antice et paullo longior quam latior antice; spatium inter oculos seriei mediae eorum diametro paullulo minus est; spatium, quo hi oculi ab oculis posticis — quibus paene dimidio majores sunt — distant, spatio illo dimidio est majus.

Mandibulae paullo reclinatae, patellis anticis evidenter breviores, femoribus anticis paullo angustiores, duplo et dimidio longiores quam latiores, in dorso paene rectae; sulcus unguicularis antice intus 2, postice 3 dentibus sat parvis est armatus. *Maxillae* breviter sub-ovatae, *labio* transverso et apice rotundato

circa triplo longiores, basi angustae, apice et extus sat fortiter rotundatae, apice tamen intus oblique truncato, praeterea intus paullo incurvae et leviter in labium inclinatae. *Palpi* mediocres, clava femoribus anticis non parum angustiore. Pars patellaris vix dimidio longior est quam latior, pars tibialis eâ paullo longior paulluloque crassior, a basi ad apicem vix vel parum dilatata, paene cylindrata, saltem dimidio longior quam latior; pars tarsalis prioribus duabus conjunctis parum brevior est, parte tibiali modo paullo latior, paullo plus duplo longior quam latior, ovato-lanceolata, in lateribus, apice excepto, sat leviter (in exteriore latere fortius) rotundata. Bulbus posterius e parte basali picea lata laevi et sub-triangula, apice anteriora versus directo, formari videtur, ante eam niger, humilior et inaequalis; a latere visus anterius humilis et subter paene rectus est, dein, in medio, abrupte altior et convexus; versus marginem exteriorem, fere in medio subter, uncum minutum incurvum nigrum ostendit. *Pedes* sat breves et graciles, 4.[i] paris cephalothorace paullo plus 3 $^1/_3$ longiores. Patellae omnes aculeo utrinque munitae sunt, posteriores patellae praeterea (saltem interdum) 1. 1. aculeis supra; tibiae anteriores subter 2. 2., antice et postice 1. 1. aculeis non longis sunt armatae, vel, si mavis, subter 2. 2. 2. aculeis, antice et postice versus basin aculeo 1 (aculeis apicalibus carent — num semper?); metatarsi subter 2. 2., antice et postice 1. 1. aculeis longioribus instructi sunt, et praeterea 4 aculeis minutis in apice. *Abdomen* angustius et inverse sub-ovatum, postice sub-acuminatum. *Mamillae* superiores parum longiores quam inferiores videntur, art. 2.° parvo sed distinctissimo.

Color. — *Cephalothorax* in fundo fusco-testaceus, secundum medium saltem ad partem testaceo-pubescens, in lateribus saltem ad partem albo-pubescens, area oculorum ad maximam partem nigra; fasciis duabus longitudinalibus latis nigro-fuscis anteriora versus (et in declivitate postica posteriora versus quoque) sensim paullo angustatis, usque ad oculos posticos pertinentibus notatus est, spatio interjecto pallido fasciam anteriora versus sensim dilatatam, inter oculos posticos angustato-

productam formanti, quae ante sulcum ordinarium centralem fuscum abrupte paullo latior evadit et hic fasciis illis nigris non parum latior est; paullo supra margines laterales nigros linea longitudinalis nigricans ducta est. *Sternum* testaceum, fasciis duabus longitudinalibus abbreviatis nigris vel plaga magna ob-longa sub-scutiformi anterius geminata nigra notatum. *Mandibulae* nigricanti- et testaceo-fusco-variatae, nigro- et albicanti-pilosae. *Maxillae* et *labium* testacea, hoc basi nigrum. *Palpi* nigri, nigro-pubescentes et -pilosi, basi late testacei: pars femoralis testacea est, subter nigra, pars patellaris testacea, apice utrinque nigra, pars tibialis nigra, fasciis duabus longitudinalibus testaceo-fuscis supra, pars tarsalis (cum bulbo) nigra, apice fusco. *Pedes* laete olivaceo- vel fusco-testacei sunt, nigro-pubescentes et -aculeati, subter, praesertim versus basin, clariores; coxae 1.ⁱ paris subter fasciis duabus longitudinalibus nigris notatae sunt. *Abdominis* dorsum olivaceo- vel fusco-testaceum est, pube sub-testacea ad maximam partem vestitum; in medio antice fascia angusta brevi sub-testacea et pube albicanti vestita est notatum, utrinque, secundum latera, fascia vel umbra longitudinali obscura, punctis nigris sparsa; latera abdominis et venter testaceo-cinereo-testaceus albicanti-pubescentia sunt. *Mamillae* testaceae.

Femina mari simillima est, parum nisi palporum formâ et pedibus sex anterioribus paullo brevioribus ab eo differens. Pars cephalica tamen, ut fere semper, anteriora versus minus fortiter est angustata quam in mare, latitudine clypei dimidiam partis thoracicae latitudinem paene aequanti. *Mandibulae*, quae faciei altitudinem longitudine parum superant, femoribus anticis parum angustiores sunt, circa 2 $^1/_4$ longiores quam latiores, in dorso modice convexae. *Palporum* pars patellaris dimidio longior est quam latior, pars tibialis duplo et dimidio longior quam latior. *Pedes* ut in mare aculeati, excepto quod tibiae anteriores subter 2. 2. 2., antice et postice 1. 1. aculeis sunt armatae. *Vulva* ex area parva pallide fusca constat, quae tubercula duo humilia ni-tidissima nigra, spatio eorum diametrum saltem aequanti disjuncta postice ostendit.

Color paene omnino est ut in mare, abdomine modo supra

distinctius picto. Dorsum ejus secundum medium testaceo- vel pallide olivaceo-fuscum est, et antice fascia abbreviata pallide fusco-testacea nigro-marginata notatum, utrinque vero paullo angustius et inaequaliter nigrum et hic posterius maculis parvis albicantibus sparsum, quarum nonnullae magis intus sitae series duas longitudinales versus anum appropinquantes formant. Latera abdominis albicantia superius, praesertim postice, nigro-variata sunt, venter sub-testaceus dense albicanti-pubescens, ut in mare. *Mandibulae* fusco-testaceae fasciam longitudinalem abbreviatam basalem nigram in dorso habent. *Palpi* laete testacei. *Pedes* et palpi interdum vestigia annulorum nigrorum ostendunt, praesertim in apice tibiarum et metatarsorum posticorum. Praeterea color est ut in mare diximus.

♂. — Lg. corp. paene 6; lg. cephaloth. 3 $^1/_4$, lat. ej. paene 2 $^1/_2$, lat. clyp. circa 1; lg. abd. 3, lat. ej. 2 millim. Ped. I 9, II 8 $^1/_2$, III paene 8 $^1/_2$, IV 11; pat. + tib. IV 3 $^1/_4$ millim.

♀. — Lg. corp. 6 millim. Lg. cephaloth. 3 $^1/_4$, lat. ej. paene 2 $^1/_2$, lat. clyp. paullo plus 1; lg. abd. paene 3, lat. ej. 2 millim. Ped. I 8 $^1/_2$, II paullo plus 8, III paullo plus 8, IV 11 millim. longi; pat. + tib. IV 3 $^1/_4$ millim.

Cel. Beccari tria specimina hujus speciei in Sumatra, ad Ajer Mancior et Kaju tanam, invenit; feminam praeterea in Borneo, ad Sarawak, ceperunt Doria et Beccari.

236. **L. Sumatrana**, n., *cephalothorace circa $^1/_4$ longiore quam latiore, breviore quam tibia cum patella 4.*[i] *paris, nigro, fasciis tribus longitudinalibus pallidis cinereo-albo-pubescentibus ornato: media latissima, aequali, lateralibus angustis, supra-marginalibus, inaequalibus vel in maculas divulsis; sterno nigro, saepe linea longitudinali testacea antice notato; palpis maris ad maximam partem nigris, dense nigro-pubescentibus; pedibus olivaceo-testaceis, nigro-annulatis; abdominis dorso saltem secundum medium pube densa cinerascenti tecto, in fundo antice pallido vel ∩ crassissimo pallido notato, paullo ante medium vero \/ gracili nigro, et pone id plerumque maculis pallidis in quattuor vel duas series longitudinales digestis, ventre pallido; vulva ex tuberculis duobus nitidis*

simis nigris constanti, inter quae septum angustum conspicitur, cum costa angusta procurva pone ea sita ⊥ pallidum fere formanti. — ♂ ♀ ad. *Long.* ♂ *circa* 5 $^1/_2$, ♀ 5 $^1/_2$ - 8 *millim.*

Mas. — *Cephalothorax* fere $^1/_4$ longior quam latior, tibiam cum $^1/_3$ patellae 4.[i] paris longitudine circiter aequans, anterius utrinque parum sinuatus, lateribus partis thoracicae ample et fortiter rotundatis, partis vero cephalicae lateribus paene rectis anteriora versus sensim sat fortiter angustatus, fronte truncata, dimidiam partem thoracicam latitudine non aequanti. Modice altus est cephalothorax, dorso ante declivitatem posticam recto et librato, inter oculos posteriores paullo convexo et proclivi, facie paene directa; a fronte visa facies parum altior est quam latior, non latior infra quam supra, ubi (inter oculos posticos) leviter est convexa, lateribus directis et convexis. Area *oculorum* aeque saltem longa ac lata videtur; series eorum antica multo (paene diametro oculi singuli seriei mediae) brevior est quam media, leviter deorsum curvata: oculi medii hujus seriei lateralibus paullo majores sunt et spatio evidenter majore (oculi diametrum paene aequanti) inter se quam ab iis remoti. Spatium inter oculos anticos et verum marginem clypei diametrum oculorum seriei mediae, et duplam diametrum oculorum mediorum anticorum aequare mihi videtur; non parum majus est hoc spatium quam intervalla (oculi seriei anticae diametro paullo majora), quibus oculi medii antici ab oculis seriei mediae distant. Trapezium, quod formant oculi 4 posteriores, paene dupla oculi postici diametro latior est postice quam antice, et aeque paene longum ac latum antice; spatium inter oculos duos seriei mediae eorum diametro paullo majus est; ab oculis posticis, quibus vix duplo majores sunt, spatio etiam paullo majore sunt sejuncti.

Mandibulae paullo reclinatae, altitudinem faciei longitudine paullo superantes, patellis anticis paullo longiores, femoribus anticis paullo angustiores, in dorso paene rectae; sulcus unguicularis antice 2, postice 3 dentibus armatus est. *Maxillae* et *labium* ut in specie priore, *L. pusiola*, diximus. *Palpi* mediocres, clava femoribus anticis paullo angustiore: pars patellaris paene

dimidio longior est quam latior, pars tibialis eâ non parum longior, in latere interiore a basi ad apicem sensim paullulo dilatata, saltem dimidio longior quam latior apice; pars tarsalis prioribus duabus conjunctis parum brevior, partis tibialis apice vix dimidio latior, sub-lanceolata, apice angusto, praeterea utrinque (in latere exteriore sat fortiter) rotundata. Bulbus non altus, a latere visus fere in medio fissurâ paullo obliquâ sub-bipartitus, margine partis anterioris bulbi tum dentem parvum deorsum directum in angulo ejus antico formanti: pars bulbi postica altior hoc modo visa antice angulum fortiorem deorsum et anteriora versus directum format. Ad ipsum apicem hujus anguli, extus, uncus parvus incurvus adest, qui, quum a latere inspicitur, speciem procursus minuti angusti apice dilatati et sub-emarginati prae se fert. *Pedes* graciles, 4.[i] paris cephalothorace 4 $^1/_3$ longiores. Patellae omnes utrinque aculeum ostendunt, patellae saltem posteriores praeterea supra 1. 1. aculeos (vel potius setam versus basin et aculeum in apice) habent, ut in formis sequentibus. Tibiae 4 anteriores subter aculeis 2. 2. 2. (apicalibus 2 brevibus), antice et postice 1. 1. sunt armatae, metatarsi antici subter 2. 2. et postice 1. 1., praeter 4 apicalibus brevissimis. *Abdomen* angustius et inverse ovatum, antice sub-truncatum, postice sub-acuminatum. *Mamillae* superiores inferioribus paullo longiores videntur.

Color. — *Cephalothorax* niger est, fasciis tribus pallidis dense cinereo-albicanti-pubescentibus notatus, quarum media, fere a margine postico ad oculos posticos ducta (interdum inter eos producta et hic angustata), latissima est, aeque circiter lata ac spatia inter eam et fascias laterales, in declivitate postica posteriora versus sensim angustata, marginibus praeterea usque ad oculos posticos paene parallelis et parum inaequalibus anteriora versus non vel modo paullo dilatata; pubescentia pallida hujus fasciae etiam aream oculorum posteriorum tegit, et usque ad oculos seriei anticae interdum continuatur. Fasciae laterales angustae sunt, supra-marginales, paullo inaequales vel in maculas divulsae. *Sternum* albicanti-pubescens aut totum nigrum, aut nigrum, fascia vel linea longitudinali testacea plus minus longa

a margine antico posteriora versus (non tamen usque ad marginem posticum) ducta notatum: summus ejus margo tum interdum testaceus quoque est. *Mandibulae* nigrae, in latere exteriore et apice plerumque paullo pallidiores. *Maxillae* et *labium* testacea, basi plus minus late nigra vel fusca. *Palpi*, dense nigro-pilosi et -pubescentes, in fundo nigri sunt, parte femorali plus minus evidenter testaceo-lineata vel -maculata, parte patellari saltem basi, parte tarsali apice fusco-testacea (parte tibiali nonnunquam clariore quoque); bulbus ad maximam partem nigro-fuscus. *Pedes* olivaceo-testacei, nigricanti-annulati, pube pallida et nigra vestiti, aculeis nigris; coxae subter testaceae sunt; femora 4 annulos nigricantes in maculas divulsos habent (1.[i] paris femora interdum basi late nigra sunt); interdum in tibiis et metatarsis vestigia annulorum adsunt. *Abdominis* dorsum in fundo saltem antice testaceo-fuscum est, punctis duobus nigris versus basin et dein, paullo ante medium, \/ gracili nigro notatum: pone hanc lituram colore nigro et fusco-testaceo est variatum (vel nigrum, maculis majoribus pallidis in paria transversa ordinatis) et ordinibus duobus macularum parvarum pallidarum secundum latera abdominis extensis notatum. Totum dorsum pube fusco-cinerea sat late tectum est, remanentibus plerumque manifestis ordinibus illis duobus macularum fundi. Latera abdominis nigra et plus minus pallido-variata sunt, venter pallidus, interdum dense nigro-maculatus. *Mamillae* testaceo-fuscae vel testaceae.

Femina his rebus a mare differt. *Cephalothorax* tibia cum patella 4.[i] paris paullo brevior est, paullo plus $^1/_4$ longior quam latior, utrinque anterius evidentius sinuatus, parte cephalica anteriora versus sensim minus fortiter angustata, fronte sat leviter rotundata, clypeo dimidiam partem thoracicam latitudine circiter aequanti; facies a fronte visa infra, in clypeo, evidenter latior est quam supra, et vix ita alta ac lata infra, longitudinem mandibularum vix altitudine aequans, lateribus praerupte declivibus et convexis. *Mandibulae* patellis anticis parum longiores sunt, femoribus anticis parum angustiores, in dorso versus basin modice convexae. *Palporum* pars patellaris saltem dimidio lon-

gior est quam latior, pars tibialis saltem duplo et dimidio longior quam latior, pars tarsalis eâ paullo angustior et non parum longior. *Pedes* paullo breviores quam in mare, 4.^{i} paris cephalothorace 4.plo longiores; ut in mare aculeati sunt pedes, aculeis tamen brevioribus, praesertim in lateribus metatarsorum anteriorum. *Abdomen* inverse sub-ovatum. *Vulva* ex tuberculis duobus nitidissimis nigris constat, inter quae septum angustum pallidum longitudinale conspicitur, quod postice ad costam transversam angustam procurvam vel bis anteriora versus fractam, qua tubercula illa postice conjuncta sunt, pertinet: hoc septum cum costa ⊥ pallidum fere format. Praeterea descriptio formae maris etiam in feminam cadit.

Color. — *Cephalothorax, sternum, maxillae* et *labium* ut in mare ad colorem plane sunt; *mandibulae* piceae, nigro- et albo-pubescentes et -pilosae. *Palpi* testaceo-fusci, nigro-sub-annulati, nigro- et albo-pubescentes, nigro-aculeati, parte tarsali obscuriore. *Pedes* testaceo-fusci; femora 4, tibiae et metatarsi 3 annulos distinctissimos nigros habent. *Abdomen* in fundo ut in mare diximus est, pictura tamen saepe minus distincta: plerumque tamen dorsum antice fere in formam literae ∩ crassissimae, vel saltem utrinque, pallidum (albicans) est, et paullo ante medium V gracili nigro signatum; pone id maculis rotundatis pallidis, puncto nigro notatis et in series duas longitudinales ordinatis binisque inter se transversim conjunctis vel saltem paria transversa formantibus plerumque ornatum est, secundum utrumque latus vero serie macularum pallidarum minorum, ut in mare. Pube fusco-cinerascenti supra vestitum videtur abdomen feminae; subter et in lateribus ad colorem est ut in mare scripsimus.

♂. — Lg. corp. 5 $^3/_4$ millim. Lg. cephaloth. 3, lat. ej. 2 $^1/_2$, lat. clyp. paullo plus 1; lg. abd. 2 $^5/_6$, lat. ej. paene 1 $^2/_3$ millim. Ped. I 10 $^1/_3$, II 9 $^3/_4$, III 9 $^1/_2$, IV paene 13 millim. longi; pat. + tib. IV 3 $^2/_3$ millim.

♀. — Lg. corp. 5 $^1/_2$ millim. Lg. cephaloth. 3, lat. ej. 2 $^1/_4$, lat. clyp. paene 1 $^1/_2$; lg. abd. paullo plus 2 $^1/_2$, lat. ej. 1 $^3/_4$ millim. Ped. I 8 $^4/_5$, II 8 $^1/_2$, III paene 8 $^1/_2$, IV 12 millim. longi; pat. + tib. IV 3 $^1/_3$ millim.

Exempla nonnulla, pleraque feminea, in Sumatra in monte Singalang, ad Sungei Bulu et ad Ajer Mancior collegit Cel. Beccari. Ad hanc speciem nescio an referenda sit aranea illa (ex Bua et Lebong Sumatrae), quam Cel. Van Hasselt [1] « *Lycosam* (*Trochosam*) *manicatam*, Thor. » appellavit. Vera *Trochosa manicata*, Thor., ex Algeria, species plane alia est.

L. Sumatrana, et species omnes (n.is 238-241) infra descriptae, clypeo ut in hoc genere solito altiori transitum a *Lycosa* ad *Anoteropsin*, L. Koch, formant; cui generi subjungi vix possunt hae araneae, quum clypei altitudo in iis diametrum oculorum seriei mediae vix vel non superet, et mamillae superiores modo paullo longiores sint quam mamillae inferiores, art. 2.º plerumque quidem distincto, sed parvo, interdum vix prominulo (tum, ut videtur, retracto). Si ad *Anoteropsin* referuntur species, de quibus hic loquimur, *L. pusilla* nostra (n.º 236) transitum ab *Anoteropsi* ad *Lycosam* fortasse praeberet.

237. **L. Pinangensis**, n., *cephalothorace circa* $^1/_4$ *longiore quam latiore, breviore quam tibia cum patella* 4.i *paris, nigro, fasciis tribus longitudinalibus latis pallidis cinereo-albo-pubescentibus notato, quarum media posteriora versus sensim paullo angustior evadit, laterales duae, paene marginales, linea nigricanti in maculas divulsa inferius geminatae sunt; sterno testaceo, fascia longitudinali nigra; pedibus sub-olivaceo-testaceis, dense nigro-annulatis -maculatisque; abdomine in fundo superius nigricanti, antice fascia abbreviata sub-hastata postice truncata fusca, quae fasciis vel maculis inaequalibus sub-testaceis limitatur, signato, et pone eam vittis transversis paullo retro fractis sub-testaceis, dorso ejus pube nigra, sub-fusca et alba vestito, hac pube series duas macularum parvarum albarum posterius formanti.* — ♀ ad. *Long. circa* 7 $^1/_4$ *millim.*

Femina. — Priori, *L. Sumatranae*, similis, sed forma fasciarum cephalothoracis et praesertim colore sterni facile dignoscenda. — *Cephalothorax* $^1/_4$ longior est quam latior, tibiam cum dimidia patella 4.i paris longitudine aequans; antice utrinque leviter sinua-

[1] Midden Sumatra, *cet.*, Araneae, p. 46, Pl. V, fig. 14.

tus est, lateribus partis thoracicae ample et sat fortiter rotundatis et partis cephalicae lateribus paene rectis anteriora versus sensim paullo angustatus, fronte truncata vel modo levissime rotundata, dimidiam partem thoracicam latitudine aequanti. Modice altus est cephalothorax, dorso ante declivitatem posticam recto et librato, inter oculos posteriores recto et modice proclivi, facie paene directa. A fronte visa facies aeque alta est ac lata superius, lateribus sub oculis seriei posticae valde praeruptis, paene directis, et satis convexis: paullo latior est infra quam supra, ubi (inter oculos posticos) levissime est convexa. Area *oculorum* aeque saltem lata ac longa; series oculorum antica multo (paene diametro oculi seriei mediae) brevior est quam series media, levissime deorsum curvata; oculi medii hujus seriei lateralibus non parum majores sunt et spatio evidenter majore (oculi diametrum paene aequanti) inter se quam ab iis remoti. Spatium inter oculos anticos et marginem clypei diametrum oculi seriei mediae, et duplam diametrum oculi medii antici aequare videtur; spatia inter oculos medios anticos et oculos seriei mediae illorum diametro paullo majora sunt. Trapezium, quod formant oculi 4 posteriores, dupla oculi postici diametro latior est postice quam antice, et parum longius quam latius antice. Spatium inter oculos duos seriei mediae eorum diametrum aequat, vix superat; ab oculis posticis, quibus circa $^1/_4$ majores sunt, spatiis etiam paullo majoribus sunt separati.

Mandibulae paullo reclinatae, altitudinem faciei longitudine parum superantes, patellis anticis paullo longiores, femoribus anticis paullo angustiores, in dorso sat leviter convexae; sulcus unguicularis antice saltem 2, postice 3 dentibus armatus est. *Palporum* pars patellaris plus dimidio (sed non duplo) longior est quam latior; pars tibialis saltem duplo et dimidio longior quam latior, pars tarsalis eâ non parum angustior et longior. *Pedes* 4.ⁱ paris cephalothorace paullo plus 4.plo longiores sunt. Patellae utrinque aculeum habent, et posteriores patellae praeterea aculeum saltem apice; tibiae 4 anteriores subter 2. 2. 2. aculeis longis (praeter 2 minoribus in apice), antice et postice saltem 1 aculeo sunt armati, metatarsi antici subter 2. 2. 2.,

antice et postice 1. 1. 1. (aculeis 4 apicalibus brevibus). *Abdomen* inverse ovatum fere. *Vulva* ex area sat magna cornea picea pallido-pubescenti constat, quae anterius transversim striata est, postice ample et aequaliter rotundata; in medio posterius ad longitudinem excavata vel late sulcata est, margine postico tamen in medio tuberculum formanti; utrinque apud hoc tuberculum, prope marginem posticum, foveam incurvam vel sublunatam ostendit area vulvae. (Quum in spiritu vini immersa est aranea, area vulvae sub-ferruginea videtur, postice maculis duabus nigris notata, quae linea transversa leviter procurva fusca postice unitae sunt). *Mamillae* superiores inferioribus paullo longiores videntur.

Color. — *Cephalothorax* niger, fasciis tribus pallidis dense cinereo-albicanti-pubescentibus notatus, quarum media lata est (saltem anterius aeque circiter lata ac spatia inter eam et fascias laterales), fere a margine postico usque ad oculos ducta et sensim paullo dilatata, inter oculos posteriores producta et hic sensim angustata, in parte thoracica lineà longitudinali nigrà (sulcum centralem includenti) antice et postice paullo dilatatà quasi geminata; fasciae laterales eae quoque latae, paene marginales (summus margo cephalothoracis niger est), et fascia nigricanti in maculas abrupta inferius geminatae. paullo supra has fascias seriem longitudinalem macularum parvarum cinereo-albicantium ostendunt latera cephalothoracis. Clypeus testaceus, in medio, utrinque, niger; oculi posteriores inferius pube ferruginea cincti sunt, interstitia inter fascias pallidas nigro- et sub-ferrugineo-pubescentia. *Sternum* testaceum, pallido-pubescens, fascia vel linea media longitudinali nigra. *Mandibulae* sub-testaceae, pallido-pilosae et -pubescentes, secundum medium dorsi late nigrae. *Maxillae* et *labium* testacea, hoc basi nigricans. *Palpi* testacei, parte femorali apice nigra vel nigro-maculata, parte patellari in utroque latere nigro-maculata, parte tibiali basi (et apice?) utrinque macula nigra notata. *Pedes* olivaceo-testacei, dense nigro-annulati -maculatique, pube pallida et, ad partem, nigra vestiti; femora tres vittas transversas valde inaequales et plus minus in maculas abruptas superius habent (basin et apicem

praeterea hic plus minus evidenter nigro-maculata), et fasciam longitudinalem inaequalem nigram antice; versus apicem subter nigra vel nigro-maculata sunt. Patellae plus minus nigro-maculatae, tibiae annulis tribus nigris latis inaequalibus plus minus confluentibus et subter abruptis praeditae, metatarsi annulis tribus angustis nigris cincti. *Abdomen* in fundo supra et praesertim in lateribus nigrum est; dorsum ejus antice fasciam longitudinalem abbreviatam sub-hastatam, apice postico truncatam, fuscam ostendit, quae utrinque fascia lata sub-testacea valde inaequali (quasi in tres maculas divulsa) limitatur; pone eam sequitur series longitudinalis vittarum nonnullarum transversarum, quae latae, inaequales, retro fractae, sub-testaceae et nigro-punctatae sunt. Pube nigra, sub-fusca et alba vestitum est dorsum abdominis, pube alba maculas minutas formanti, quarum pleraeque posterius in dorso in series duas longitudinales dispositae sunt: pubes alba praeterea seriem mediam longitudinalem lineolarum parvarum transversarum inter has series format. Venter sordide testaceus, cinereo-albicanti-pubescens, inter vulvam et petiolum infuscatus; *mamillae* sub-testaceae quoque.

Lg. corp. 7 $^1/_4$; lg. cephaloth. 3 $^3/_4$, lat. ej. 3, lat. clyp. circa 1 $^1/_2$; lg. abd. 3 $^1/_2$, lat. ej. paene 2 $^1/_2$ millim. Ped. I 11 $^2/_3$, II 11 $^1/_2$, III 10 $^1/_2$, IV paullo plus 15 $^1/_2$ millim. longi; pat. + tib. IV 4 $^3/_4$ millim.

Feminam singulam mutilatam examinavi, a Cel. Beccari in ins. Pinang captam. Fortasse ad hanc speciem referenda est *L. vagabunda*, Van Hass. (1) (non Luc.), in Sumatra ad Sungei Abu et Limun inventa.

238. **L. vagula**, n., *cephalothorace circa $^1/_4$ longiore quam latiore, breviore quam tibia cum patella 4.i paris, nigro, fasciis tribus longitudinalibus ornato, quarum media lata et valde inaequalis est, paullo ante sulcum ordinarium centralem fortiter constricta, apud hunc sulcum utrinque crasse bidentata, apicibus angustata, apice antico in area oculorum producta, laterales vero angustae,*

(1) Midden Sumatra, *cet.*, Aran., p. 46.

inaequales et paullo supra-marginales; sterno fusco- vel nigricanti-testaceo; palpis maris fusco-testaceis, clava nigricanti; pedibus fusco- vel olivaceo-testaceis, nigro-annulatis; abdominis dorso nigricanti, antice fascia abbreviata sub-hastata nigra, utrinque maculis pallidis limitata signato, et pone eam maculis pallidis in series longitudinales digestis et ad partem pube albicanti vestitis plerumque notato, ventre pallido; vulva ex fovea angusta constanti, quae costis duabus parallelis postice dilatatis et nigris limitatur, et septo pallido angusto fere ⊥-formi munita est. — ♂ ♀ ad. Long. ♂ circa 7, ♀ 7 - 8 ¼ *millim.*

Mas. — *L. Sumatranae* haec quoque species ad formam valde similis est, pictura alia cephalothoracis (et abdominis quoque), cet., tamen facile internoscenda. — *Cephalothorax* circa ¼ longior est quam latior, tibiâ 4.[i] paris paullo longior, anterius utrinque non evidenter sinuatus, lateribus partis thoracicae ample et fortiter rotundatis et partis cephalicae lateribus primum rectis, denique (superius) paullo rotundatis anteriora versus sensim sat fortiter angustatus, fronte rotundata, clypeo dimidiam partem thoracicam latitudine non aequanti. Modice altus est cephalothorax, dorso ante declivitatem posticam, quae modice declivis, paullo convexa et reliquo dorso paene duplo brevior est, recto et paene librato, modo inter oculos posteriores, anterius, paullo proclivi; facies directa, a fronte visa aeque paene alta ac lata, vix latior infra quam supra, ubi (inter oculos posticos) leviter est convexa, lateribus directis et convexis. Area *oculorum* aeque fere longa ac lata est; series eorum antica evidentissime (paene diametro oculi singuli seriei mediae) brevior est quam series media, et leviter deorsum curvata; oculi medii hujus seriei lateralibus paullo majores sunt et spatio paene duplo majore (oculi diametrum paene aequanti) inter se quam ab iis remoti. Spatium inter marginem clypei verum et oculos medios anticos horum diametro vix dimidio majus est (diametro oculi seriei mediae evidenter minus) et vix vel parum majus quam spatia (oculi medii antici diametrum vix aequantia), quibus hi oculi ab oculis seriei mediae distant. Trapezium oculorum posteriorum circa dupla oculi postici diametro latius est postice quam antice, et aeque longum

ac latum antice. Spatium inter oculos seriei mediae diametro eorum paullulo majus est: ab oculis posticis, quibus circiter $^1/_4$ sunt majores, spatio etiam paullo majore distant.

Mandibulae paullo reclinatae, patellis 1.ⁱ paris parum longiores, femoribus anticis non parum angustiores, paene duplo et dimidio longiores quam latiores, in dorso levissime convexae; sulcus unguicularis antice 2, postice 3 dentibus armatus est. *Palpi* mediocres, clava femoribus anticis paullo angustiore; pars patellaris saltem dimidio longior est quam latior, pars tibialis eâ non parum longior paulluloque latior, a basi ad apicem sensim vix vel parum dilatata, paene duplo longior quam latior apice; pars tarsalis prioribus duabus conjunctis vix vel parum brevior est, partis tibialis apice dimidio latior, sub-lanceolata, apice angusto, praeterea utrinque (in latere exteriore sat fortiter) rotundata. Bulbus non altus, a latere visus paullo ante medium fissurâ paullo obliquâ sub-bipartitus, margine partis anterioris postice dentem deorsum directum formanti, quum a latere inspicitur bulbus: pars ejus postica altior tum antice angulum fortiorem deorsum et anteriora versus directum formare videtur. Antice apud hanc partem lamella transversa adest, quae extus uncum incurvum format (facilem visu si a fronte inspicitur bulbus): haec lamella speciem procursus minuti angusti, apice sub-dilatati et sub-emarginati, deorsum directi praebet, si a latere inspicitur bulbus — omnia ut in *L. Sumatrana*. *Pedes* graciles, ut in *L. Sumatrana* aculeati; pedes 4.ⁱ paris cephalothorace paene 4 $^1/_2$ longiores sunt. *Mamillae* superiores inferioribus paullulo (longitudine art. 2.ⁱ brevissimi et sub-conici) longiores videntur.

Color alius atque in *L. Sumatrana*. *Cephalothorax* in fundo nigricans est, fasciis tribus longitudinalibus fusco-testaceis et sub-testaceo-pubescentibus ornatus, quarum media pone sulcum ordinarium centralem fuscum angusta est, tum vero, circum hunc sulcum, fortiter dilatata et utrinque crasse et inaequaliter bidentata, dein subito fortissime constricta, apud oculos posticos vero in plagam transversam sub-cordiformem dilatata (hic plerumque maculis duabus nigris notata), denique denuo angustata et inter oculos producta. Fasciae laterales angustiores sunt, in

marginibus inaequales, paullo supra-marginales. *Sternum, maxillae* et *labium* fusco-testacea. *Mandibulae* ferrugineo-testaceae. *Palpi* fusco-testacei, pallido-pubescentes, parte femorali paullo nigricanti-maculata, parte tarsali nigricanti. *Pedes* olivaceo- vel fusco-testacei, basi praesertim subter pallidiores, femoribus annulis 3 vel 4 nigris notatis, tibiis et metatarsis annulis 3 minus distinctis, interdum obsoletis. *Abdomen* in fundo supra nigrum est, maculis inaequalibus tribus vel quattuor pallidis in seriem longitudinalem ordinatis utrinque, antice, notatum, quae maculae fasciam mediam abbreviatam, apice acuminatam, non usque ad medium dorsi pertinentem, nigram, stria pallida longitudinali antice notatam limitant; pone eam ad utrumque latus series macularum parvarum pallidarum conspicitur, spatio interjecto paribus macularum et inter ea lineolis transversis pallidis repleto, vel minus aequaliter pallido- et nigro-variato. Pube nigra in partibus nigris et praeterea pube sub-fusca vel -olivacea vestitum est dorsum, ut et pube albicanti munitum, quae pone fasciam illam sub-hastatam nigram series duas macularum parvarum secundum latera format et inter eas plerumque seriem striarum transversarum vel macularum parvarum. Latera abdominis nigro- et pallido-variata sunt, venter pallidus et pallido-pubescens. *Mamillae* fusco-testaceae.

Femina non multum a mare differt. *Cephalothorax* tibiâ cum patella 4.[i] paris paullo brevior est, utrinque anterius evidenter paullo sinuatus, parte cephalica anteriora versus minus fortiter angustata, fronte fortius rotundata, clypeo dimidiam partem thoracicam latitudine fere aequanti; facies a fronte visa infra paullo latior est quam supra, evidentissime latior infra quam altior; altitudo ejus evidenter minor est quam longitudo mandibularum. *Mandibulae* in dorso modice convexae sunt, 2 $^1/_4$ longiores quam latiores fere. *Palporum* pars patellaris dimidio longior est quam latior, pars tibialis paullo plus duplo longior quam latior, pars tarsalis eâ non parum angustior et longior. *Pedes* breviores quam in mare, 4.[i] paris cephalothorace circa 3 $^1/_2$ longiores; ut in mare aculeati sunt pedes, excepto quod patellae anteriores modo postice aculeum habent — num ita semper? *Vulva* ex costis duabus longitudinalibus parallelis po-

stice extus rotundato-dilatatis et saltem hic nigricantibus constat, quae antice inter se conjunctae sunt et ita foveam oblongam angustam antice rotundatam limitant; haec fovea septo longo angusto pallido, postice (pone et apud costas illas) utrinque in ramum transversum sub-procurvum producto, ⊥-formi igitur, est munita. Ceterum ut in mare diximus est femina ad structuram.

Color idem atque in mare, excepto quod obscurior est, *sterno* fuligineo-testaceo, *pedibus* evidentius et latius nigro-annulatis. *Palpi* ut pedes obscure fusco-testacei sunt, partibus femorali, patellari et tibiali evidenter nigro-annulatis vel -maculatis. *Abdominis* color ut in mare videtur, pictura tamen plerumque minus expressa.

♂. — Lg. corp. 7; lg. cephaloth. 3 $^{5}/_{6}$, lat. ej. 3, lat. clyp. circa 1 $^{1}/_{3}$; lg. abd. 2 $^{1}/_{2}$, lat. ej. 1 $^{5}/_{6}$ millim. Ped. I 14, II 12 $^{1}/_{2}$, III 12 $^{1}/_{2}$, IV 17 millim. longi; pat. + tib. IV 5 millim.

♀. — Lg. corp. 7; lg. cephaloth. 3 $^{3}/_{4}$, lat. ej. paullo plus 2 $^{3}/_{4}$, lat. clyp. 1 $^{1}/_{2}$; lg. abd. 3 $^{3}/_{4}$, lat. ej. 2 $^{1}/_{4}$ millim. Ped. I 10 $^{1}/_{2}$, II 10 $^{1}/_{3}$, III 10 $^{1}/_{3}$, IV 13 $^{1}/_{2}$ millim. longi; pat. + tib. IV 4 $^{1}/_{3}$ millim.

Exempla pauca, quorum duo feminea sunt, in Sumatra ad Ajer Mancior collegit Beccari; idem feminam ad Tcibodas ins. Java cepit quoque.

239. **L. rabulana**, n., *cephalothorace breviore quam tibia cum patella 4.*[i] *paris, in fundo nigricanti, fasciis tribus longitudinalibus fusco-testaceis notato, media earum tibiis parum latiore sed pone oculos posticos dilatata, lateralibus latioribus, paene marginalibus, et linea nigricanti geminatis; sterno fusco- vel nigricanti-testaceo; pedibus fusco- vel olivaceo-testaceis, saltem in femoribus supra obsoletius nigricanti-annulatis; abdomine in fundo supra nigricanti, fascia longitudinali brevi sub-lanceolata pallidiore nigro-marginata antice notato, pone eam vero maculis pallidis in series longitudinales ordinatis; ventre pallido; vulva ex area sat magna cornea nitida postice truncata et inaequali constanti, quae in medio postice foveam oblongam postice apertam ostendit, hac fovea septo brevi crasso repleta. —* ♀ ad. *Long. circa* 7 *millim.*

Femina. — *Cephalothorax* circa $^1/_4$ longior est quam latior, tibiam cum dimidia patella 1.[i] paris longitudine aequans, utrinque anterius leviter sinuatus, lateribus partis thoracicae ample et fortiter rotundatis, parte cephalica lateribus rectis anteriora versus sensim modice angustata, fronte sub-truncata, clypeo dimidiam partem thoracicam latitudine fere aequanti. Modice altus est cephalothorax, dorso ante declivitatem posticam (quae sat praerupta et paene recta est et reliquo dorso plus dimidio, paene duplo brevior) recto et librato, inter oculos posticos paullo proclivi; facies directa, a fronte visa quadrata fere, aeque alta ac lata, parum latior infra quam supra, ubi (inter oculos posticos) leviter convexa est, lateribus paene directis et sat leviter convexis. Series *oculorum* antica serie media non parum brevior est, leviter deorsum curvata; oculi ejus medii lateralibus non parum majores sunt et inter se spatio fere duplo majore (oculi diametrum paene aequanti) remoti, quam quo ab iis distant. Oculi medii antici a margine clypei spatio distant, quod eorum diametro circa dimidio majus est et diametro oculi seriei mediae paullo minus; ab oculis seriei mediae spatio paullulo minore distant. Trapezium oculorum posticorum paene dupla oculi postici diametro latior est postice quam antice, et aeque saltem longum ac latum antice; oculi seriei mediae spatio diametrum suam paullo superanti disjuncti sunt; a posticis oculis, quibus vix $^1/_4$ majores sunt, spatio etiam paullo majore sunt remoti.

Mandibulae directae, patellis 1.[i] paris multo longiores, tibiis 3.[ii] paris paullo breviores, femoribus anticis paullo angustiores, circa 2 $^1/_4$ longiores quam latiores, in dorso modice convexae. *Palporum* pars patellaris paullo plus dimidio longior est quam latior, pars tibialis duplo et dimidio longior quam latior. *Pedes* mediocres, pedes 4.[i] paris reliquis non multo inaequalibus paene dimidio longiores, cephalothorace saltem 4.plo longiores. Patellae omnes aculeum in utroque latere habent, patellae saltem posteriores praeterea supra 1. vel 1. 1. aculeis; tibiae anteriores subter 2. 2. 2., antice et postice 1. 1. aculeis armatae sunt; metatarsi anteriores subter 2. 2., antice et postice 1. 1., praeter apicalibus 4 minutis. *Abdomen* inverse ovatum fere. *Vulva* ex

area cornea sat magna sub-transversa et paullo elevata nitida constat, quae postice late truncata et inaequalis est et in medio postice foveam oblongam antice rotundatam, postice apertam ostendit; haec fovea septo crasso paullo longiore quam latiore repleta est, apice postico septi paullo pone foveam pertinenti: apud hunc apicem utrinque (in ipso margine postico vulvae) tuberculum humile nigrum conspicitur; anguli duo postici vulvae quasi dentes duos obtusos retro directos formant, qui tamen vix vel non pone apicem septi pertinent. *Mamillae* superiores inferioribus paullo longiores videntur.

Color. — *Cephalothorax* in fundo nigricans, fasciis tribus longitudinalibus fusco-testaceis notatus, quarum media angusta est, tibias latitudine vix vel parum superans, sub-luteo-pubescens, sulco ordinario centrali longo nigro geminata, ante hunc sulcum, inter eum et oculos posticos, tamen sat fortiter dilatata, pone eum sensim angustata; etiam inter oculos posticos angustato-producta videtur. Fasciae laterales latiores sunt, linea nigricanti geminatae, saltem ad partem albicanti-pubescentes, paullo supra margines cephalothoracis nigros ductae. Clypeus et genae sub-testacea. *Sternum* (cum pedibus versus basin subter) fusco-testaceum est, nigro-pilosum et albicanti-pubescens: in ipso margine laterali punctis ternis notatur; in medio anterius vestigia maculae fuscae ostendit (?). *Mandibulae* testaceo-fuscae, nigro-pilosae et pallido-pubescentes, *maxillae* et *labium* pallidiora, fusco-testacea. *Palpi* fusco-testacei. *Pedes* quoque sordide fusco- vel sub-olivaceo-testacei, obsoletissime nigro-annulati: saltem in femoribus supra vestigia annulorum 4 nigricantium video, interstitiis pallidis angustis hic illic albicanti-pubescentibus; praeterea pedes ut palpi nigro-pubescentes, -pilosi et -aculeati sunt. Metatarsi 4.ⁱ paris apice anguste sed distinctissime nigri. *Abdomen* (cujus color in nostro exemplo paene deperditus est) superius nigricans videtur, in lateribus anterius maculis parvis albis sparsum; venter pallidus, pube cinerascenti-testacea vestitus. Quum in fluido immersa est aranea, dorsum abdominis in fundo vestigia fasciae longitudinalis brevis sub-lanceolatae paullo pallidioris et nigro-marginatae antice ostendit, et pone eam, secundum medium,

series duas macularum rotundatarum pallidarum, quae suo quaeque puncto nigro notatae sunt.

Lg. corp. 7; lg. cephaloth. paene 4, lat. ej. 3, lat. clyp. circa 1 $^1/_2$; lg. abd. 3 $^1/_2$, lat. ej. 2 $^1/_3$ millim. Ped. I 11, II paene 11, III 10 $^1/_2$, IV 15 $^3/_4$ millim. longi; pat. + tib. paullo plus 4 $^1/_2$ millim.

Cel. Beccari unicam feminam detritam ad Padang Pandjang Sumatrae invenit.

240. **L. ipnochoera**, n., *cephalothorace circa $^1/_4$ longiore quam latiore, paullo breviore quam tibia cum patella 4.ⁱ paris, plaga media fere stelli-formi pallidiore notato, pube cinerascenti vestito; sterno nigro; pedibus olivaceo-testaceis, dense nigro-annulatis; abdomine superius in fundo nigricanti, ipsa basi dorsi transversim pallida, dorso praeterea paullo pallido-variato, cinerascenti-pubescenti, ventre pallido; vulva ex area magna sub-fornicata obscura constanti, quae antice rotundata est, postice truncata, angulis posticis dentes duos fortes retro directos formantibus, et quae ad ipsum marginem posticum foveam parvam septo longitudinali divisam ostendit.* — ♀ ad. *Long. circa* 6 *millim.*

Femina. — *Cephalothorax* circa $^1/_4$ longior quam latior, paullo brevior quam tibia cum patella 4.ⁱ paris, anterius utrinque sat leviter sinuatus, parte cephalica anteriora versus sensim paullo angustata, fronte leviter rotundata, clypeo dimidiam partem thoracicam latitudine paene aequanti. Dorsum ante declivitatem posticam, quae reliquo dorso fere duplo brevior est, rectum est et paene libratum, inter oculos posteriores proclive. Facies paene directa, a fronte visa quadrata et in lateribus paullo convexa, supra inter oculos posticos paullo convexa quoque. Series *oculorum* antica levissime deorsum curvata, non parum brevior quam media. Oculi medii antici lateralibus paullo majores sunt et spatio paullo majore (oculi diametrum non aequanti) inter se quam ab iis remoti. Spatium inter marginem clypei et oculos medios anticos (diametro oculi seriei mediae paullo minus) horum diametro circa dimidio majus videtur et paullo majus quam spatium, quo ab oculis seriei mediae distant. Oculi seriei mediae,

inter se spatio diametro sua evidenter majore disjuncti, et oculis posticis vix dimidio majores, spatio etiam paullo majore ab iis remoti sunt; trapezium, quod formant oculi 4 posteriores, aeque paene longum est ac latum antice, vix dupla oculi postici diametro latior postice quam antice.

Mandibulae patellas anticas longitudine saltem aequant, altitudinem faciei longitudine fere aequantes; femoribus anticis paullo angustiores sunt, circa duplo et dimidio longiores quam latiores, in dorso versus basin modice convexae. *Palporum* pars patellaris plus dimidio longior est quam latior, pars tibialis duplo et dimidio longior quam latior. *Pedes* mediocres, 4.[i] paris cephalothorace paene 4.plo longiores. Patellae omnes utrinque aculeum habent, patellae saltem posteriores praeterea 1 vel 1. 1. aculeos supra; tibiae anteriores subter 2. 2. 2. (apicalibus brevibus), antice et postice 1. 1. aculeis sunt praeditae. Metatarsi anteriores subter 2. 2. 2. (apicalibus brevibus), antice et postice aculeis 1. 1. (et apicali minuto?) armati sunt. *Vulva* ex area magna (femora postica diametro paene aequanti) cornea paullo fornicata aequali nigro-fusca constat, quae aeque fere longa et lata est, antice rotundata, postice vero truncata et inaequalis, angulis posticis retro productis dentes duos fortes formantibus; ad ipsum marginem posticum foveam minutam rotundatam ostendit area vulvae, quae fovea septo angusto longitudinali bipartita est. *Mamillae* superiores parum angustiores et paullo longiores quam inferiores, art. 2.° brevi et sub-conico.

Color. — *Cephalothorax* pube cinerascenti saltem ad maximam partem vestitus fuisse videtur; in fundo niger est, plaga media pallidiore praeditus, quae formam stellae fere habet et utrinque in radios tres profunde est incisa, antice saltem ad oculos posticos, postice saltem ad declivitatem posticam pertinens, in medio sulco ordinario centrali longo fusco geminata; vestigia fasciae angustae supra-marginalis pallidae in maculas divulsae utrinque ostendit fundus quoque. *Sternum* nigrum, albicanti-pubescens. *Mandibulae* obscure fuscae. *Maxillae* et *labium* cum coxis subter testacea, labium basi nigrum. *Palpi* flavo-testacei, paullo nigro-annulati vel -maculati. *Pedes* olivaceo-testacei, dense nigro-annu-

lati: femora 3 vel 4, tibiae 2 vel 3, metatarsi 3 annulos inaequales nigros habent; interstitia pallida dense albicanti-pubescentia sunt. *Abdomen* supra et in lateribus in fundo nigricans est, dorso ad ipsam basin transversim pallido, praeterea ut videtur paullo pallido-variato, pube densa sub-cinerascenti vestito: venter cinereo-testaceus, *mamillae* testaceae.

Lg. corp. 6; lg. cephaloth. 3, lat. ej. $2\frac{1}{2}$, lat. clyp. circa $1\frac{1}{4}$; lg. abd. $2\frac{4}{5}$, lat. ej. $1\frac{2}{3}$ millim. Ped. I $8\frac{1}{2}$, II $7\frac{1}{2}$, III $7\frac{1}{2}$, IV $11\frac{2}{3}$ millim. longi; pat. + tib. IV $3\frac{1}{4}$ millim.

Feminam unicam mutilatam vidi, quam ad Ajer Mancior Sumatrae cepit Cel. Beccari. Ova nuper deposuerat hoc exemplum, quare abdomen ejus sub-corrugatum est.

Gen. **Lycosella** (1), n.

Cephalothorax longior, modice altus, dorso inter declivitatem posticam et oculos posticos paene librato et recto, facie alta, partis cephalicae lateribus directis; sulcus ordinarius centralis brevis.

Oculi in tres series ordinati, valde inaequales; oculi 4 seriei anticae parvi, haec series fortiter deorsum curvata et multo brevior quam series media, cujus oculi valde magni sunt et cum oculis seriei posticae aream postice non vel parum latiorem quam antice formant. Oculi medii antici a lateralibus anticis spatio paullo minore distant, quam quo inter se remoti sunt; spatium, quo distant oculi laterales antici a margine clypei eorum diametrum circiter aequat: ab oculis seriei mediae spatio etiam paullo minore disjuncti sunt.

Mandibulae mediocres, directae.

Maxillae porrectae, oblongae, apicem versus latiores, labio sub-quadrato duplo longiores.

Pedes mediocres, sat graciles, ita: IV, I, II, III [III, II], vel IV, III, I, II longitudine se excipientes; unguiculi tarsorum superiores dentibus longis dense pectinati, unguiculus inferior saltem

(1) Diminut. a *Lycosa*.

interdum dente singulo gracili munitus; aculei subter in tibiis anterioribus 2. 2. 2. (vel 2. 2.).

Abdomen inverse sub-ovatum.

Mamillae breves, superiores angustiores sed non longiores quam inferiores.

Typus: *L. tenera*, n.

Generibus *Lycosae* (Latr.) Thor., et *Artoriae*, Thor., hoc genus valde affine est, a *Lycosa* serie oculorum antica fortiter deorsum curvata et area oculorum 4 posteriorum postice non vel parum latiore quam antice sine negotio distinguendum; ab *Artoria* praesertim discrepat oculis lateralibus anticis spatio modo parvo ab oculis seriei mediae sejunctis. A *Trabea*, Sim., cui hac in re, ut et serie oculorum antica fortiter deorsum curvata similis videtur, eo facile dignosci potest *Lycosella*, quod in ea oculi laterales antici *non* longius a mediis anticis quam hi inter se distant.

241. **L. tenera**, n., *cephalothorace in fundo nigricanti, fasciis tribus longitudinalibus testaceo-fuscis notato, quarum media lata est, postice tamen angusta, tum usque ad oculos posticos in formam trianguli sensim dilatata, laterales satis angustae, paullo supra-marginales; pedibus testaceo-fuscis, nigro-annulatis, metatarsis et tarsis* 1.[i] *paris in* ♂ (*sed non in* ♀) *supra pube albissima tectis; abdomine supra sub-fusco, maculis et striis crassis nigris variato, et fascia vel linea longitudinali abbreviata nigra vel pallida in dorso antice et pone eam maculis parvis albicantibus in series longitudinales digestis notato; vulva ex area rotundata paullo elevata sub-transversa constanti, quae in medio postice* (*apice*) *profunde impressa est, hac impressione utrinque costa foras curvata fusca limitata.* — ♂ ♀ ad. *Long.* ♂ *circa* $3\,^2/_3$, ♀ $5\,^1/_2$-$6\,^1/_2$ *millim.*

Var. β, bisulcata, *apice areae vulvae sulcis duobus longitudinalibus brevibus parallelis fuscis tripartito; praeterea ut in* ♀ *formae principalis diximus.* — ♀ ad. *Long. circa* 5 *millim.*

Mas. — *Cephalothorax* dimidio longior quam latior, paullo longior quam tibia cum patella 4.[i] paris, utrinque anterius sat fortiter sinuatus, postice in medio truncatus, lateribus partis

thoracicae ample et fortiter rotundatis, parte cephalica lateribus primum paene rectis, dein rotundatis anteriora versus non parum angustata, fronte truncata, latitudine ejus et clypei dimidiam partis thoracicae latitudinem non aequanti. Modice altus est cephalothorax, dorso ante declivitatem posticam (quae non multo praerupta est, recta, et dimidium reliqui dorsi longitudine saltem aequat) recto et parum proclivi, inter oculos posteriores paullo magis proclivi, facie directa, clypeo paullulo reclinato; a fronte visa facies aeque alta ac lata est, supra, inter oculos duos posticos, parum convexa, lateribus directis et paullo convexis, vix latior infra quam supra, fere quadrata igitur. Spatium inter marginem clypei et oculos anticos laterales horum diametrum fere aequat, non superat; oculi vero antici medii spatio paene duplo majore a margine clypei remoti sunt. Area *oculorum* aeque saltem longa ac lata; oculi seriei anticae minuti sunt, oculi seriei mediae valde magni, oculis posticis sive seriei 3.[iae] (qui anticis lateralibus saltem triplo majores sunt) fere duplo majores. Trapezium, quod formant oculi 4 posteriores, modo paullulo latius est postice quam antice, aeque longum ac latum antice. Series oculorum antica fortiter deorsum est curvata et serie media circa dimidio brevior; oculi medii seriei anticae lateralibus paullo minores videntur, spatio paullo majore (oculi diametrum vix aequanti) inter se quam ab iis remoti: ab oculis seriei mediae spatio diametro sua paullo majore distant. Spatium inter oculos laterales anticos et oculos seriei mediae illorum diametrum vix aequat. Spatium inter oculos duos seriei mediae eorum diametrum paullo superat; ab oculis posticis spatio etiam, et non parum, majore distant hi oculi. *Sternum* paullo longius quam latius, antice late truncatum, in lateribus anterius leviter, posterius fortius rotundatum.

Mandibulae faciei altitudinem longitudine modo paullo superant; paullo reclinatae sunt, sat longae et angustae, patellis anticis non parum longiores, femoribus anticis multo angustiores, circa duplo et dimidio longiores quam latiores, in dorso paene rectae. Sulcus unguicularis antice et postice tribus dentibus parvis armatus est; unguis mediocris. *Palpi* mediocres, clava

femoribus 1.^{i} paris paullo angustiore. Pars patellaris fere dimidio longior est quam latior, pars tibialis eâ paullo brevior et paullulo latior, aeque longa ac lata; pars tarsalis priores duas conjunctim longitudine circiter aequat, parte tibiali dimidio latior, plus dimidio longior quam latior, triangulo-lanceolata fere, in utroque latere magis versus basin modice rotundata. Bulbus latus est, postice altus, rotundatus, nitidus et pallidus, hac parte postica a latere inferiore visa quasi fortiter anteriora versus et intus curvata, et magis extus aream parvam albicantem includenti; ante eam, apice, nigro-fuscus et inaequalis est bulbus, hic a latere visus extus laminam paene quadratam (angulo apicis postico paullo retro producto) deorsum directam formanti, et magis intus, fere in medio apicis, procursum brevem crassum porrectum paullo deorsum curvatum. *Pedes* graciles, mediocri longitudine, 4.^{i} paris cephalothorace paullo plus triplo longiores; pedes 3.^{ii} paris pedibus 2.^{i} paris paullulo longiores visi sunt. Tibiae et metatarsi anteriores subter 2. 2. 2. aculeos sat longos habent, antice et postice 1. 1. aculeis armati sunt — an ita semper? Unguiculi tarsorum superiores dentibus longis densis (circa 9 in pedibus 1.^{i} paris) pectinati sunt, unguiculus inferior parvus dente singulo sat brevi et gracili est instructus. *Abdomen* inverse ovatum fere.

Color. — *Cephalothorax* nigricans (area oculorum antice et in lateribus nigra), fascia media longitudinali testaceo-fusca et crasse sub-luteo-pubescenti a margine postico paene usque ad oculos seriei mediae ducta notatus, quae fascia in declivitate postica angusta est, dein vero anteriora versus sensim fortiter et in formam trianguli usque ad oculos posticos dilatata, inter oculos 4 posteriores rursus angustata, paullo pone oculos posticos maculis duabus nigricantibus notata; praeterea fasciam angustam paullo supra-marginalem testaceo-fuscam utrinque ostendit cephalothorax, secundum ipsum marginem nigrum et albo-pubescentem anguste nigricans igitur. *Sternum* cum *maxillis*, *labio* et *coxis* subter pallide fusco-testaceum est. *Mandibulae* sub-fuscae, apice pallidiores. *Palpi* testaceo-fusci, parte tarsali saltem utrinque versus basin nigricanti. *Pedes* testaceo-fusci, minus distincte nigro-

annulati: femora ternos, tibiae binos annulos habent, patellae in lateribus nigricantes sunt, in metatarsis 6 posterioribus vestigia annulorum nigrorum adsunt quoque; metatarsi vero 1.[i] paris toti et tarsi hujus paris saltem ad basin pallide testacei sunt et pube densa albissima tecti. *Abdomen,* pube densa vestitum, supra et in lateribus castaneo-fuscum est, maculis striisque crassis nigris variatum, et linea media longitudinali postice abbreviata cinereo-albicanti-pubescenti antice in dorso notatum; posterius vestigia punctorum albicantium in duas series longitudinales dispositorum ostendit dorsum. Venter pallidior et sub-testaceo-pubescens videtur. *Mamillae* testaceo-fuscae.

Femina (formae principalis?) ad structuram parum nisi palpis a mare differt. Pars cephalica ut in mare sat longa est, sed anteriora versus parum angustata, latitudine clypei et frontis partis thoracicae dimidiam latitudinem aequanti. *Mandibulae* femora antica crassitie aequant, patellis 1.[i] paris paullo longiores, plus duplo longiores quam latiores, in dorso versus basin sat fortiter convexae. *Palporum* pars patellaris dimidio longior est quam latior, pars tibialis duplo longior quam latior, pars tarsalis eâ paullulo angustior et non parum longior; unguiculus sat longus et gracilis, dentibus 4 nec longis nec densis pectinatus. *Pedes* paullo breviores et minus graciles quam in mare, ut in eo aculeati, eo excepto quod tibiae anteriores postice aculeis interdum carere videntur. *Vulva* ex area sub-transversa rotundata paullo elevata, paene laevi et nitida, pallide fusca constat, quae in et ad marginem posticum satis anguste sed profunde impressa est, hac impressione utrinque costa sat tenui fusca foras curvata vel sinuata limitata. — In *Var.* β, *bisulcata,* area vulvae ad apicem posticum sulcis duobus parallelis fuscis notatur, ita ut hic tripartita evadat, parte media truncata apicem partium lateralium latitudine saltem aequanti.

Color feminae in eo a maris colore differt, quod *pedes* evidentius annulati sunt, annulis binis nigris etiam in metatarsis, praesertim posterioribus, distinctis, et quod color metatarsorum et tarsorum 1.[i] paris *non* a colore reliquorum metatarsorum et tarsorum nigro-pubescentium discrepat. *Palpi* testaceo-fusci, versus

basin paullo nigro-annulati. *Cephalothorax* et *abdomen* ut in mare quoad colorem sunt, excepto quod abdominis linea media antica pallido-pubescens minus est manifesta; latera abdominis pallido- et nigro-variata sunt. Fasciae cephalothoracis laterales vestigia pubescentiae albae ostendunt, et paullo supra has fascias vestigia seriei longitudinalis macularum parvarum albicantium interdum conspiciuntur.

♂. — Lg. corp. 3 $^2/_3$; lg. cephaloth. 2 $^1/_4$, lat. ej. 1 $^1/_2$, lat. front. vel clyp. circa $^2/_3$; lg. abd. 2, lat. ej. 1 $^1/_3$ millim. Ped. I 5 $^1/_2$, II 5, III saltem 5, IV 7 millim. longi; pat. + tib. IV 2 millim.

♀. — Lg. corp. paene 6 $^1/_2$; lg. cephaloth. 3, lat. ej. 2, lat. front. vel clyp. paene 1; lg. abd. paullo plus 3, lat. ej. 2 $^1/_4$ millim. Ped. I 7 $^1/_5$, II paene 6 $^3/_4$, III 6 $^3/_4$, IV 9 $^1/_2$ millim. longi; pat. + tib. IV 2 $^3/_4$ millim.

Marem unum et feminas paucas in monte Singalang Sumatrae collegit Cel. Beccari. — Inter feminas, quas ad marem illum retuli (« formae principalis » et « Var. β, bisulcatae »), nullam diversitatem video, nisi quod Var. β paullo minor est, vulvâ paullo aliter conformatâ — an propria species?

242. **L. minuta**, n., *cephalothorace in fundo nigricanti, fasciis tribus longitudinalibus angustis testaceo-fuscis notato, quarum media in parte cephalica, pone oculos posticos, transversim dilatata est, laterales paene marginales; pedibus olivaceo-testaceis, femoribus nigro-annulatis; abdomine (quod testaceo-olivaceo-pubescens est et maculis parvis albis e pube formatis sparsum videtur) in fundo supra nigricanti-fusco, linea longitudinali abbreviata antice, macula utrinque apud eam, pone eam vero serie macularum paucarum gradatim decrescentium, retro fractarum vel triangularum (prima earum Λ antice apertum formanti) notato et in lateribus maculis sparso, tota hac pictura testaceo-fusca; vulva ex maculis* 4 *minutis obscuris in trapezium postice paullo latius quam antice dispositis constanti.* — ♀ ad. *Long.* 4 $^1/_2$ *millim.*

Femina. — Praecedentis, *L. tenerae*, feminâ paullo minor videtur haec aranea, praeterea ei simillima, vix nisi forma vulvae

alia, abdominis pictura paullo diversa et *fortasse* pedibus anterioribus paullo aliter aculeatis ab ea certo dignoscenda. — *Cephalothorax* tibiam cum patella 4.[i] paris longitudine modo aequat, et paene dimidio longior est quam latior; latera partis cephalicae paene parallela et recta sunt, frons et clypeus dimidiam partem thoracicam latitudine fere aequant; pars thoracica in medio postice (paullo evidentius quam in priore) emarginata videtur. Declivitas postica reliquo dorso non duplo brevior est. Facies paullo altior quam latior, infra paullulo angustior quam supra, lateribus modo levissime convexis. Area *oculorum* posticorum quadrata est, vix latior postice quam antice; oculi medii antici lateralibus anticis evidenter majores sunt. Praeterea oculi sunt ut in priore specie diximus.

Mandibulae minus robustae quam in femina *L. tenerae*, longitudine altitudinem faciei paene aequantes, femoribus anticis evidenter angustiores, in dorso versus basin modice convexae; sulcus unguicularis antice et postice modo binis dentibus parvis munitus est. *Palpi* ut in priore. *Pedes* 1.[i] paris parum longiores sunt quam 2.[i] paris pedes, quibus 3.[ii] paris paullulo longiores videntur. Tibiae anteriores subter modo 2. 2. aculeis armatae sunt (carent aculeis binis apicalibus — an semper?); tibiae 1.[i] paris praeterea antice 1. 1., 2.[i] paris et antice et postice 1. 1. aculeis sunt munitae. Metatarsi 1.[i] paris modo 2. 2. 2. aculeos habere videntur, subter sitos, 2.[i] paris praeterea 1. 1. antice. Unguiculus tarsorum inferior muticus est visus (?). *Vulva* ex lineolis duabus brevissimis paene parallelis obscuris, vel potius ex maculis 4 minutis in trapezium sub-transversum et postice paullo latius quam antice dispositis constat, quarum anteriores nigrae sunt, posteriores, in ipso margine antico rimae genitalis sitae, minimae et magis piceae.

Color. — *Cephalothorax* in fundo nigricans, area oculorum posticorum utrinque nigra; fasciis tribus longitudinalibus angustis testaceo-fuscis notatus est, quarum media, a margine postico inter oculos 4 posteriores ducta, in parte cephalica pone oculos posticos transversim non parum dilatata est, reliquae duae paene marginales. Saltem anterius in parte cephalica pube crassa luteo-

testacea munitus est cephalothorax, qui etiam vestigia lineae mediae e pube alba formatae ostendit et apud summum marginem lateralem paullo albo-pubescens est. *Sternum* cum *maxillis*, *labio* et coxis subter pallide testaceum. *Mandibulae* sordide testaceo-fuscae. *Palpi* flavo-testacei. *Pedes* olivaceo-testacei, metatarsis et tarsis anterioribus pallidioribus; femora ternos annulos distinctos supra ostendunt: praeterea vix evidenter nigro-annulati sunt pedes. *Abdomen* in fundo nigricanti-fuscum est, hac pictura testaceo-fusca: antice in dorso adest fascia angusta sive linea longitudinalis media, quae a basi fere ad $^1/_3$ longitudinis pertinet; utrinque apud eam macula mediocris conspicitur, pone eam vero series duae inter se valde appropinquantes macularum obliquarum 6 vel 8, quae maculae anum versus gradatim magnitudine decrescunt: duae primae harum macularum, quae sat magnae et magis obliquae sunt, apud apicem lineae illius basalis locum tenent, angulum inter se formantes, reliquae plus minus evidenter binae inter se unitae sunt, seriem singulam mediam macularum triangularum vel retro fractarum formantes. Praeterea maculis testaceo-fuscis conspersa sunt latera dorsi et abdominis. Pube testaceo-olivacea superius vestitum est abdomen et pube alba munitum, quae maculas parvas in dorso et in lateribus formare videtur. Venter cinerascenti-testaceus est; *mamillae* ejusdem coloris.

Lg. corp. 4 $^1/_2$; lg. cephaloth. 2, lat. ej. paene 1 $^1/_2$, lat. front. sive clyp. paene $^3/_4$; lg. abd. 2 $^1/_2$, lat. ej. 1 $^2/_3$ millim. Ped. I paullo plus 4 $^1/_2$, II 4 $^1/_2$, III paullulo plus 4 $^1/_2$, IV 6 $^1/_2$ millim. longi; pat. + tib. IV 2 millim.

Cel. Beccari feminam singulam in monte Singalang Sumatrae cepit.

Gen. **Artoria**, Thor., 1877.

243. **A. parvula**, Thor.

Syn.: 1877. *Artoria parvula*, Thor., Studî, *cet.*, I, Ragni di Selebes, loc. cit., p. 531 (191).

In ins. Celebes, ad Kandari, capta est haec aranea.

Gen. **Passiena** (1), n.

Cephalothorax formâ in Lycosoidis genuinis ordinariâ, parte cephalica longa, fronte angusta ante clypeum prominenti; facies aeque fere alta ac lata, lateribus directis vel reclinatis.

Area oculorum latior est quam longior; oculi 4 posteriores trapezium non parum latius postice quam antice formant. Series oculorum antica serie media multo brevior est, deorsum curvata, a margine clypei spatio remota, quod diametro oculi seriei mediae multo minus est; oculi medii antici lateralibus anticis paullo majores, et paullo longius inter se quam ab iis remoti.

Mandibulae reclinatae, longiores, conico-cylindratae, in dorso modo leviter convexae.

Maxillae parallelae, breviter sub-ovatae, labio transverso saltem duplo longiores.

Pedes graciles, sat longi, ita: IV, I, II, III longitudine se excipientes, aculeis crebris muniti; tibiae et metatarsi anteriores subter paribus compluribus aculeorum longissimorum appressorum armati. Unguiculi tarsorum superiores sub-pectinato-dentati sunt, unguiculus inferior inermis (vel interdum dente parvo armatus?).

Abdomen sub-ovatum; mamillae superiores inferioribus paullo longiores, art. 2.° brevissimo.

Typus: *P. spinicrus*, n.

Hoc genus *Auloniae*, C. L. Koch, quam maxime affine videtur, armatura tibiarum metatarsorumque anteriorum insolita ab ea et a reliquis mihi cognitis Lycosinis distinctum.

244. **P. spinicrus**, n., *cephalothorace nigro, fascia media longitudinali anteriora versus sensim dilatata pallida; pedibus fusco-testaceis, saltem femoribus et patellis nigro-annulatis, tibiis anterioribus subter sex paribus aculeorum armatis; abdomine nigro, supra fascia media longitudinali latissima pallida albo-pubescenti notato,*

(1) *Passienus* est nom. pers. latinum.

quae in fundo antice fasciam abbreviatam sub-lanceolatam obscuriorem albo-limbatam includit; ventre pallido. — ♀ ad. *Long. circa* 4 *millim.*

Femina. — *Cephalothorax* circa $^1/_3$ longior quam latior, vix longior quam tibia 4.ⁱ paris, postice truncato-emarginatus, in lateribus partis thoracicae praesertim posterius fortiter rotundatus, utrinque apud ipsam basin palporum sat fortiter sinuatus; desuper vero visus utrinque modo parum (et magis postice) sinuatus videtur, lateribus partis cephalicae rectis anteriora versus sensim sat fortiter angustatus, hac parte longa, lateribus directis, immo antice paullo reclinatis. Frons, inter oculos medios prominulos sub-emarginata, dimidiam partem thoracicam latitudine vix vel non aequat. Modice altus est cephalothorax, postice modice declivis, hac declivitate a latere visa parum convexa et dimidium reliqui dorsi longitudine circiter aequanti, dorso ante eam usque ad oculos posticos recto et librato, inter hos ipsos oculos paullo assurgenti, inter eos et oculos seriei mediae paullo proclivi paulluloque convexo, facie supra clypeum directa, ipso clypeo paullo reclinato. Facies paullo latior supra (inter oculos posticos) est quam infra, aeque fere alta ac lata infra, et supra modo ad latera paullo convexa; latera ejus igitur paullo reclinata sunt, fronte clypeum latitudine paullo superanti et ante eum prominenti. Area *oculorum* paullo latior quam longior est, postice latissima; series eorum antica saltem diametro oculi seriei mediae brevior est quam series media, et modice deorsum curvata: linea recta oculos laterales anticos supra tangens medios circiter in centro secat. Oculi medii antici, spatio diametrum suam vix vel non aequanti separati, paullo majores sunt quam laterales antici, et paullo longius inter se quam ab iis sejuncti; ab oculis seriei mediae spatio diametro sua plus duplo majore distant, a margine clypei fortiter emarginati spatio diametro sua dimidio majore remoti. Oculi seriei mediae, valde magni, spatio diametro sua paene dimidio majore inter se remoti sunt, ab oculis seriei posticae etiam longius, spatio diametro sua plus dimidio majore, distantes. Oculi postici sive seriei 3.ᵃᵉ, quae serie media circiter dupla oculorum posticorum diametro longior

est, his oculis fere duplo sunt minores, sed circa triplo majores quam oculi medii antici. *Sternum* paullulo longius quam latius, sub-orbiculatum, antice satis anguste emarginato-truncatum, in lateribus anterius fortiter, posterius levius rotundatum, postice breviter sub-acuminatum.

Mandibulae reclinatae, a basi ad apicem sensim angustatae, conico-cylindratae fere, faciei altitudinem longitudine paene aequantes, circa duplo longiores quam latiores, femoribus anticis paullo angustiores, in dorso versus basin modo levissime convexae; unguis mediocris. *Maxillae* parallelae, breviter ovatae, fere dimidio longiores quam latiores, labio paullo plus duplo longiores, apice rotundato intus oblique truncato; *labium* paullo transversum, apice rotundatum. *Palpi* graciles, aculeati, parte patellari paene duplo, parte tibiali paene triplo longiore quam latiore; pars tarsalis parte tibiali angustior sed vix vel parum longior est, cylindrata; unguiculus ejus debilis, modo leviter curvatus, et dentibus duobus armatus, quorum anterior, fere e medio unguiculi exiens, longus et sub-porrectus est. *Pedes* sat longi, praesertim apicem versus graciles, minus dense pubescentes et pilosi, aculeis crebris et longis armati; femora omnia supra 1. 1. 1. aculeos habent, femora saltem sex anteriora antice 1. 1., postice 1. Patellae anteriores aculeum parvum saltem antice habuisse videntur, et posteriores patellae praeterea 1 longum apice. Tibiae anteriores subter 6 paribus aculeorum longissimorum sub-appressorum instructae sunt, antice et postice 1 aculeo parvo; metatarsi anteriores subter paribus 4 aculeorum longissimorum sub-appressorum sunt armati, et praeterea aculeis minoribus antice 1. 1., postice 1 (vel subter 5 paribus aculeorum et antice 1 aculeo muniti). Supra in tibiis posterioribus 1. 1. aculeos video. Unguiculi tarsorum superiores longi et sat graciles, apice sat longo; a basi ultra medium modo leviter curvati sunt et hic dentibus paucis (circa 5) gradatim longioribus et plus minus divaricantibus pectinati; unguiculus inferior sat magnus, satis aequaliter deorsum curvatus, ut videtur inermis. *Abdomen* inverse ovatum, antice sub-truncatum. *Vulva* ex area cornea mediocri sub-elevata, postice latissime truncata, paene

triangula, ferruginea constat, quae sulco medio longitudinali quasi bipartita est et utrinque in apice, postice, foveam transversam et incurvam habere videtur. *Mamillae* breves, superiores angustiores et paullo longiores quam inferiores, art. 2.° brevissimo.

Color. — *Cephalothorax* niger, fascia media lata fusco-testacea notatus, quae, fere in medio declivitatis posticae initium capiens ibique angusta, ad oculos posticos sensim dilatata procurrit, etiam inter oculos 4 posteriores producta ibique denuo angustata; pube crassa vestitus est cephalothorax, quae in fascia illa sub-lutea vel -testacea est, in lateribus inferius magis cinerascens, superius vero sub-ferruginea; facies pube ferrugineo-rubra tegitur. *Sternum* cum coxis pallide testaceum, albicanti-pilosum. *Mandibulae* obscure testaceae, fascia longitudinali lata nigra secundum dorsum. *Maxillae* et *labium* testacea. *Palpi* testacei, parte femorali apice et parte patellari versus basin nigro-maculatis; pars tibialis paullo nigro-maculata videtur quoque. *Pedes* fusco-testacei, femoribus testaceis, praesertim supra annulis 3-4 nigris in maculas divulsis praeditis, patellis paullo nigro-maculatis, tibiis posterioribus vestigiis annulorum notatis quoque; aculei longi tibiarum et metatarsorum anteriorum fusci sunt, reliqui aculei plerique nigri. *Abdominis* dorsum secundum medium late sub-testaceum et hic albo-pubescens est; latera dorsi (et abdominis) nigra, ferrugineo- et nigro-pubescentia; fascia illa lata dorsi in fundo anterius fasciam abbreviatam sub-lanceolatam paullo obscuriorem includit, quae utrinque inaequaliter albo-limbata est: hi limbi pone eam ut fascia media latior inaequalis alba versus anum continuantur. Venter testaceus, versus latera paullo nigro-maculatus et -striatus. *Mamillae* testaceae.

Lg. corp. 4; lg. cephaloth. 2, lat. ej. parum plus 1 $^1/_2$, lat. front. $^3/_4$; lg. abd. 2, lat. ej. 1 $^1/_4$ millim. Ped. I 6 $^3/_4$, II 5 $^4/_5$, III 5, IV 8 millim. longi; pat. + tib. IV 2 $^1/_3$ millim.

Feminam unam vidi, quam in Pulo (insula) Pinang ceperunt Cel. Beccari et E. D'Albertis.

Fam. **OXYOPOIDAE.**

Gen. **Oxyopes**, LATR., 1804.

245. **O. taeniatus**, Thor.

Syn.: 1877. *Oxyopes taeniatus*, Thor., Studî, *cet.*, I, Ragni di Selebes, loc. cit., p. 534 (194).

Hujus speciei, quae in insula Celebes (saltem ad Kandari) sat frequens occurrit, feminas paucas in Java collegit Cel. Kinberg. Etiam in Sumatra vitam degit *O. taeniatus:* Beccari feminam ejus ad Ajer Mancior cepit, et mas ejus ad Supajang inventus est, secundum Van Hasselt (¹).

246. **O. lineatipes** (C. L. Koch), *rufescenti- vel virescenti-testaceus, lineis duabus nigris ab oculis anticis per clypeum et dorsum mandibularum ductis; cephalothorace saltem in femina lineis* 4 *longitudinalibus nigris e pube formatis notato, interstitiis pallido-pubescentibus; pedibus nigro-lineatis; abdomine supra fasciis duabus longitudinalibus pallidis argenteo- vel sub-aureo-squamulosis ornato, quae antice fasciam brevem sub-lanceolatam obscuriorem, interdum rubram, interdum argenteo-marginatam, interdum usque ad anum ductam includit, lateribus aut argenteis, serie lineolarum longitudinalium sub-obliquarum nigrarum signatis, aut nigris, serie lineolarum ejusmodi argentearum, ventre fascia lata nigra interdum in lineas duas vel tres divisa notato; vulva ex callo transverso procurvo obscuro formata, qui antice excavatus est, margine in tres lobos inciso, lobo medio parvo dentiformi; parte tibiali palporum maris in latere exteriore, prope apicem, sulco magno profundo sub-lanceolato deorsum directo pallido instructo, hoc sulco quasi labiis duobus obscuris incluso et undique clauso.* — ♂ ♀ ad. *Long.* ♂ *circa* 7 ¹/₄, ♀ *circa* 9 *millim.*

(¹) Midden Sumatra, *cet.*, Araneae, p. 47.

Syn.: 1848. *Sphasus lineatipes*, C. L. Koch, Die Arachn., XV, p. 55, Tab. DXVIII, fig. 1455.

Mas. — *Cephalothorax* parum plus $^1/_3$ longior est quam latior, tibia 4.ⁱ paris parum longior, lateribus posterius fortiter, anterius parum rotundatis anteriora versus sensim fortiter angustatus sed non sinuatus, fronte sat fortiter rotundata, dimidiam partem thoracicam latitudine non aequanti; parum altus est, dorso a latere viso ante declivitatem posticam (quae praerupta est et dimidium reliqui dorsi longitudine vix aequat) usque ad oculos paene recto et librato, area oculorum sex posticorum fortiter proclivi, parum convexa. Facies longitudinem mandibularum non parum altitudine superat; clypei altitudo mandibularum longitudine paullo minor est. Area oculorum paullo latior est quam longior; oculi 1.ⁱ paris spatio oculi diametrum paullulo superanti inter se, ab oculis 2.ⁱ paris vero spatio hac diametro paullo minore sunt sejuncti; intervallum inter oculos 2.ⁱ paris, qui oculis 3.ⁱⁱ paris non parum (non tamen dimidio) majores sunt, diametro oculi maximi modo paullulo est majus, et saltem dimidio majus quam spatium inter oculos 1.ⁱ paris; oculi 3.ⁱⁱ paris, ab oculis 2.ⁱ paris spatio diametrum suam parum superanti remoti, ab oculis 4.ⁱ paris spatio multo (paene duplo) majore separati sunt; oculi 4.ⁱ paris, 3.ⁱⁱ paris oculis vix vel parum majores, spatio sunt disjuncti, quod eorum diametro paullo plus dimidio majus est.

Mandibulae patellis 1.ⁱ paris paullulo longiores sunt, basi femora 1.ⁱ paris latitudine aequantes. *Palpi* mediocres, clava magna, femoribus anticis saltem dimidio latiore. Pars patellaris parum latior quam longior est; pars tibialis eâ paullo est latior et saltem dimidio longior, parum longior quam latior, apice extus oblique et latissime truncato; a latere exteriore visa a basi ad apicem sensim sat fortiter dilatata est et non parum latior (apice) quam longior. In hoc latere prope apicem sulcum profundum longum et latum sub-lanceolatum pallidum deorsum directum ostendit pars tibialis, quasi labris duobus obscuris undique inclusum, quorum anterius sub-recurvum ab ipso apice incrassato (et infra inaequali vel dentem parvum formanti) partis

tibialis formatur, alterum ex area cornea plana sub-lunata (postice rotundata) nigra. Pars tarsalis duabus prioribus conjunctis circa duplo longior est, parte tibiali duplo latior; basi oblique et late emarginato-truncata est, angulis rotundatis, in latere exteriore sat leviter, in interiore latere fortissime rotundata; apex ejus angustus reliqua parte tarsali non parum, fere dimidio, brevior est. Bulbus subter procursum pallidum anteriora versus directum ostendit, cujus apex dentem parvum et sub eo uncum gracilem deorsum curvatum format, ante (apud) quem spina gracilis deorsum directa conspicitur. *Pedes* sat longi, ita: I, II, IV, III longitudine se excipientes, 1.[i] paris cephalothorace circa 4 $^1/_2$ longiores; ut in affinibus graciles sunt pedes et aculeis crebris et valde longis armati. *Abdomen* longum et angustum, sub-lanceolatum.

Color. — *Cephalothorax* in fundo rufescenti-testaceus est, oculis sex posterioribus intus (i. e. versus centrum areae oculorum) macula nigra limbatis; in exemplis nostris detritis remanent hic illic in dorso vestigia pubescentiae pallidae, inter oculos vero vestigia pubis et squamularum albarum et rufescentium; ab oculis 1.[i] paris lineae duae nigrae usque ad apicem *mandibularum* rufescenti-testacearum ductae sunt. *Sternum*, *maxillae* et *labium* rufescenti-testacea quoque, illud albicanti-pubescens et pilis nigris sparsum. *Palpi* albicanti-pubescentes, setis et aculeis nigris: partes femoralis et patellaris testaceae sunt, pars tibialis paullo obscurior; pars tarsalis nigra et nigro-pubescens est, basi anguste testacea et albo-pubescenti; apex quoque hujus partis in fundo sub-testaceus est. *Pedes* pallide rufescenti- vel virescenti-testacei, femoribus subter linea vel lineis duabus longitudinalibus nigris, patellis et tibiis supra linea ejusmodi notatis; aculei nigri. Squamulis sub-argenteis saltem ad partem vestiti fuisse videntur pedes. *Abdomen*, in fundo sub-virescens vel -testaceum, supra et in lateribus squamulis argenteis dense tectum est: antice fascia angusta media longitudinali sub-lanceolata e squamulis rubris formata et anguste nigro-marginata est ornatum, et utrinque, secundum tota latera, superius, extensam, seriem lineolarum paucarum nigrarum longitudina-

lium et paullo obliquarum ostendit. Venter secundum medium fasciam latam nigram, anterius paullo aeneo-squamulosam habet; praeterea argenteo-albo-squamulosus est. *Mamillae* sordide testaceae.

Femina (haud dubie hujus speciei) his rebus a mare differt. *Cephalothorax*, qui paene $^{1}/_{3}$ longior est quam latior, et paullulo longior quam tibia 4.^{i} paris, lateribus anterius evidentius rotundatis anteriora versus paullo minus fortiter est angustata, fronte dimidiam partem thoracicam latitudine fere aequanti. Spatium inter oculos 1.^{i} paris eorum diametro plus dimidio majus videtur, et modo paullulo minus quam spatium inter oculos 2.^{i} paris. *Palporum* pars patellaris paene dimidio longior est quam latior, pars tibialis circa triplo et dimidio longior quam latior; pars tarsalis priores duas longitudine aequat. *Pedes* 1.^{i} paris cephalothorace circa 4 $^{1}/_{3}$ longiores sunt. *Vulva* ex callo forti transverso procurvo piceo constat, qui antice excavatus et hic utrinque inaequaliter incisus est, ita ut pars ejus media dentem parvum triangulum porrectum postice inter partes laterales obliquas et impressas vel sub-excavatas formet: quum in aqua immersa est aranea, vulva ex maculis duabus sat parvis rotundatis nigris (partibus calli lateralibus), spatio sat magno disjunctis, et e triangulo minuto fusco in medio inter eas, posterius, sito constare videtur: paullo ante eas maculae duae minores et minus distinctae sub cute tum conspiciuntur quoque.

Color feminae non multum a maris colore differt. *Cephalothorax* in fundo rufescenti- vel fusco-testaceus est, lineis duabus paene parallelis ab oculis 4.^{i} paris retro ductis et e pube nigra formatis ut et linea ejusmodi in medio utriusque lateris versus basin mandibularum oblique ducta et plus minus distincta notatus; interstitia inter has lineas pallido-pubescentia sunt. Area oculorum pube et squamulis albis et ad partem sub-ferrugineis vestita est. Lineae duae nigrae ab oculis 1.^{i} paris ad apicem mandibularum ductae adsunt, ut in mare; *sternum* et *partis oris* ut in eo sunt. *Palpi* testacei, nigro- et albicanti-pubescentes, aculeis nigris. *Pedes* rufescenti- vel virescenti-testacei, ut in mare nigro-lineati, nigro-pubescentes, aculeis nigris. *Abdomen* supra

in fundo virescenti- vel albicanti-testaceum videtur, fasciis duabus longitudinalibus rectis latis sub-luteis vel albicantibus, quae usque ad anum pertinent, posteriora versus sensim paullo appropinquantes vel postice inter se unitae, et squamulis argenteis vel sub-aureis vestitae: hae duae fasciae antice fasciam obscuriorem sub-lanceolatam brevem (saepe tamen usque ad anum productam) et lineâ sub-argenteo-squamulosâ marginatam includunt. Latera abdominis nigra sunt, serie longitudinali lineolarum argentearum longitudinalium paullo obliquarum superius ornata: venter fasciam mediam longitudinalem latam nigram ostendit, interdum lineâ vel lineis duabus longitudinalibus pallidis plus minus evidenter in duas vel tres fascias divisam. *Mamillae* sub-testaceae, superiorum art. 1.^s niger.

♂. — Lg. corp. 7 $^1/_4$; lg. cephaloth. paene 3 $^1/_2$, lat. ej. 2 $^1/_2$, lat. front. 1 $^1/_6$; lg. abd. 3 $^2/_3$, lat. ej. 1 $^1/_2$ millim. Ped. I 16, II 15, III 12, IV 14 $^1/_2$ millim. longi; pat. + tib. IV 5 millim.

♀. — Lg. corp. 9; lg. cephaloth. 3 $^5/_6$, lat. ej. 3, lat. front. 1 $^1/_2$; lg. abd. 5, lat. ej. paene 2 millim. Ped. I paullo plus 16 $^1/_2$, II 15 $^1/_2$, III paene 13, IV 15 millim. longi; pat. + tib. IV 5 millim.

Exempla pauca utriusque sexus vidi, ad Sungei Bulu, Ajer Mancior et Kaju tanam Sumatrae, ut et in monte Singalang ejusdem insulae a Beccari inventa, et marem in Java a Kinberg captum. Feminam, quae ejusdem speciei videtur, in Borneo ad Sarawak ceperunt Doria et Beccari. — Vix dubium mihi videtur, quin sit species supra descripta eadem ac *Sphasus lineatipes*, C. L. Koch, ex Singapore, quum descriptio palporum maris hujus bene in nostram araneam quadret. Nescio an ad eam referendus sit « *O. striatus* ♂ et ♀ jun. » Van Hass. (¹), ex Boven Rawas et Silago Sumatrae: exempla veri *O. striati* (Dol.) vix nisi in Amboina capta fuerunt. — *O. lineatipes* et *O. Javanus* (species insequens) quum sibi inter se, tum *O. taeniato, O. striato, O. Papuano,* cet., adeo similes sunt, ut vix nisi formâ partium sexualium plus minus diversâ certo dignosci possint.

(¹) Midden Sumatra, *cet.*, Araneae, p. 47.

247. **O. Javanus**, n., *sub-testaceus, lineis duabus nigris ab oculis anticis per clypeum et dorsum mandibularum ductis; cephalothorace saltem interdum lineis 4 longitudinalibus nigris e pube formatis notato; pedibus nigro-lineatis; abdomine, quod squamulis albicantibus et pallide ferrugineus munitum est, in fundo supra fasciis duabus longitudinalibus pallidis ornato, fasciam obscuriorem aut brevem et sub-lanceolatam, aut usque ad anum productam includentibus, lateribus abdominis obscuris serie lineolarum longitudinalium sub-obliquarum albicantium signatis; ventre fascia lata nigra, interdum in lineas duas vel tres divisa, notato; vulva ex tuberculo sub-triangulo nigro formata, cujus apex rotundatus sulco transverso sub-bipartitus est; parte tibiali palporum maris in latere exteriore procursu longo sat gracili foras directo nigro armata, cujus apex testaceus et obtusus paullo anteriora versus dirigitur.* — ♂ ♀ ad. *Long.* ♂ 6 $^1/_2$ - 7, ♀ 6 $^1/_2$ - 10 *millim.*

Mas. — Praecedentis mari simillimus, pedibus paullo brevioribus et palporum structura plane alia facile dignoscendus. *Cephalothorax* vix plus $^1/_4$ longior est quam latior, paullo brevior quam tibia cum patella 4.[i] paris, ad formam ut in specie priore diximus, modo lateribus anterius evidentius rotundatis, et fronte dimidiam partem thoracicam latitudine aequanti. Ut in eo faciei altitudo longitudine mandibularum major est, et haec longitudo altitudinem clypei superat. *Oculi* 1.[i] paris spatio diametro sua circa dimidio majore disjuncti sunt: hoc spatium modo paullo (non dimidio) minus mihi videtur quam spatium inter oculos 2.[i] paris. Praeterea oculi ut in priore sunt.

Mandibulae ut in eo diximus. *Palpi* mediocres, clava magna, femoribus anticis circa dimidio latiore. Pars patellaris aeque fere longa et lata est; pars tibialis parte patellari paullo est longior et latior, aeque longa ac lata, in latere exteriore sat fortiter rotundata (desuper visa); fere e medio lateris ejus exterioris, magis subter, exit procursus sat gracilis, qui ipsam partem tibialem longitudine aequat: hic procursus basi latus et fortis est, a basi usque ad circa $^2/_3$ longitudinis sensim angustatus, niger et foras directus, dein apicem obtusum versus sensim paullulo incrassatus, testaceus et paullo anteriora versus et deorsum

directus. Ad basin hujus procursus, antice, dentem minutum video. Subter, magis intus, pars tibialis in laminam sat magnam longitudinalem deorsum directam, apice latissime truncatam et paullo emarginatam, a latere visam sub-rectangulam, et circa dimidio longiorem quam latiorem producta est: apex crassus hujus laminae niger est, et a latere inferiore visus sub-planus sed inaequalis, anguste sub-triangulus, angulo postico dentiformi. Inter procursum illum et hanc laminam pars tibialis ad longitudinem excavata est. Pars tarsalis prioribus duabus partibus conjunctis circa duplo longior est et parte tibiali saltem duplo latior; basis ejus in medio emarginata est, angulus basalis exterior oblique truncatus; in latere exteriore paene recta est pars tarsalis, in latere interiore fortissime rotundata; apex ejus angustus reliqua parte tarsali saltem duplo brevior est. Bulbus subter ut in affinibus procursum testaceum oblique anteriora versus directum habet, apice vero non ita gracili deorsum curvato; ante (apud) eum spina gracilis deorsum directa conspicitur. *Pedes* paullo breviores quam in *O. lineatipede* sunt, 1.ⁱ paris cephalothorace vix 4 $^1/_3$ longiores: praeterea in eo differunt, quod pedes 4.ⁱ paris paullulo longiores quam pedes 2.ⁱ paris videntur. *Abdomen* anguste lanceolatum.

Color. — In exemplis detritis *cephalothorax* rufescenti-testaceus est, maculis ocularibus ordinariis nigris: hic illic vestigia pubescentiae pallidae adsunt, et inter oculos pubes et squamulae albae et (paucae) rufescentes. Lineae duae nigrae ab oculis 1.ⁱ paris versus apicem mandibularum ductae adsunt. *Sternum* et *partes oris* sub-testacea. *Palpi* testacei, parte tarsali excepta: haec pars nigra est, apice sub-testaceo et basi anguste pallida et albido-pubescenti exceptis. *Pedes* testacei, linea nigra subter in femoribus, et supra in patellis et tibiis. *Abdomen* in fundo supra fascias duas rectas testaceas vel albicantes posteriora versus sensim paullo appropinquantes vel postice inter se conjunctas ostendit, quae fasciam includunt paullo obscuriorem, aut postice abbreviatam et sub-lanceolatam, aut usque ad anum continuatam: latera abdominis nigra vel saltem obscuriora sunt, serie longitudinali lineolarum ternarum longitudinalium obliquarum albicantium

notata. Venter fasciam latam nigram (interdum in duas vel tres fascias divisa) secundum longitudinem ostendit; latera ventris pallida squamulis albicantibus vestita sunt.

FEMINA. — *Cephalothorax* paullo brevior est quam tibia cum patella 4.ⁱ paris, et frons dimidiam latitudinem partis thoracicae aequat, ut in mare. *Oculi* quoque ut in eo ad situm et magnitudinem. *Palporum* pars patellaris paene dimidio longior est quam latior, pars tibialis circa triplo longior quam latior; pars tarsalis duas priores conjunctas longitudine aequat. *Pedes* 1.ⁱ paris pedibus 4.ⁱ paris vix vel non longiores sunt, cephalothorace vix quadruplo longiores. *Vulva* ex tuberculo transverso nitidissimo nigro constat, quod a fronte et ab ano visum triangulum est, apice (deorsum directo) rotundato et sulco transverso munito vel quasi bipartito, qui sulcus, in latera tuberculi productus, hic, utrinque, in foveam oblongam transversam desinit; antice hoc tuberculum excavatum videtur. Quum in aqua vel spiritu vini immersa est aranea, vulva \/ latum nigrum format, ante quod maculae duae parvae rotundae piceae conspiciuntur.

Color feminae ut in mare diximus plane est, excepto quod palpi toti sub-testacei sunt. In cephalothorace vestigia squamularum albicantium (et rufescentium?) vidisse videor; abdomen supra petiolum squamulis albicantibus vestitum est et vestigia ejusmodi squamularum praeterea hic illic ostendit. — In exemplo minus detrito (ex Sumatra) vestigia fasciarum 4 longitudinalium e pube nigra formatarum in cephalothorace adsunt: totum dorsum et latera abdominis squamulis albicantibus et, ad partem, pallide ferrugineis vestita fuisse videntur. In hoc exemplo pars posterior tuberculi vulvae testacea est, non ut anterior nigra.

♂. — Lg. corp. 7; lg. cephaloth. paene 3, lat. ej. paullo plus 2, lat. front. circa 1 $^1/_6$; lg. abd. 4, lat. ej. 1 $^2/_3$ millim. Ped. I 12 $^1/_2$, II 11, III 9 $^1/_2$, IV 11 $^1/_2$ millim. longi; pat. + tib. IV 3 $^1/_4$ millim.

♀. — Lg. corp. 10; lg. cephaloth. 3 $^3/_4$, lat. ej. paene 3, lat. front. circa 1 $^1/_2$; lg. abd. 6 $^1/_4$, lat. ej. 2 $^2/_3$ millim. Ped. I 14 $^1/_2$, II 14, III 12, IV circa 14 $^1/_2$ millim. longi; pat. + tib. IV 4 millim.

Exempla pauca detrita examinavi, a Cel. Prof. Kinberg in Java collecta, quorum duo mascula sunt: praeterea feminas tres vidi, unam ad Padang Pandjang Sumatrae a Beccari, alteram in ins. Pinang ab eodem et ab E. D'Albertis captam; tertiam, cujus patriam ignoro, dono mihi dedit Cel. Van Hasselt. — Quoad formam partis tibialis in mare haec species satis cum *O. elegante*, L. Koch [1], convenire videtur, attamen ab illa specie multis rebus certe differens.

†. **O. longinquus**, n., *fusco-testaceus, lineis duabus nigris ab oculis anticis per clypeum et dorsum mandibularum ductis; femoribus subter nigro-lineatis; abdomine in fundo sub-testaceo-cinerascenti, in dorso fasciis tribus longitudinalibus e squamulis ferrugineis formatis vel saltem fascia ejusmodi una ornato, dorso et lateribus praeterea squamulis sub-argenteis vestitis; parte tibiali palporum multo longiore quam latiore, in latere exteriore amplissime, ab apice paene usque ad basin, excavata, hac excavatione postice margine longo elevato deorsum directo procurvo nigro limitata, antice inferius vero callo brevi nigro in duos dentes diviso, et pone superiorem horum dentium alio dente munita quoque, apice angusto partis tarsalis reliquam hanc partem longitudine fere aequanti.* — ♂ ad. *Long. circa* 6 $^1/_2$ *millim.*

Mas. — *Cephalothorax* circiter $^1/_4$ longior quam latior, paullo brevior quam tibia 4.ᶦ paris, ad formam paene ut in prioribus duobus, lateribus anterius parum rotundatis, fronte sat fortiter rotundata dimidiam partem thoracicam latitudine non aequanti, declivitate postica valde praerupta, paene directa. *Oculi* plane ut in *O. Javano* videntur.

Mandibulae paullo angustiores quam in eo, plus duplo longiores quam latiores, clypei altitudinem longitudine multo superantes, patellis anticis paullulo longiores, femora antica crassitie basi aequantes. *Palpi* graciles, clava femoribus 1.ᶦ paris circa dimidio latiore. Pars patellaris paullo longior est quam latior; pars tibialis eà plus dimidio longior est et basi (ubi extus,

(1) Die Arachn. Austral., p. 1000, Tab. LXXXVIII, fig. 5-6.

in parte longitudinis circiter tertia, paullo dilatato-marginata est) paullo latior, paene duplo longior quam latior in medio; in latere interiore sat leviter convexo-arcuata est, in latere exteriore anterius recta, apice sub-acuminata, angulo apicis exteriore valde oblique truncato. Latus partis tibialis interius laeve est, exterius vero (quod a basi ad apicem sensim paullo latius evadit) paene a basi usque ad apicem late excavatum, hac excavatione postice a margine nigro elevato, deorsum directo et procurvo, paullo ante basin partis tibialis sito limitata, antice infra vero alio margine nigro, brevi, antice incrassato et recurvo (ab ipso margine antico partis tibialis formato), qui, quum a latere exteriore inspicitur, apice in duos dentes acuminatos (dente inferiore *non* ut in *O. macilento*, L. Koch [1], quadrato) divisus videtur; paullo pone superiorem horum dentium alius dens niger conspicitur. Pars tarsalis prioribus duabus partibus conjunctim circa duplo longior est; basi satis anguste (non oblique) est truncata, latere exteriore versus basin fortiter, praeterea parum ad longitudinem rotundato, latere interiore etiam fortius rotundato; apex angustus reliqua parte tarsali parum brevior est. Bulbus procursibus deorsum directis carere videtur. *Pedes* valde graciles et longi, aculeis crebris et longissimis armati; pedes 2.ⁱ et 4.ⁱ parium eadem sunt longitudine et paullo longiores quam pedes 1.ⁱ paris, qui cephalothorace paene 5.plo longiores sunt. *Abdomen* angustum, sub-lanceolatum.

Color. — *Cephalothorax*, *partes oris* et *pedes* (nigro-aculeati) in fundo fusco-testacei sunt, *sternum* paullo clarius testaceum; ab oculis 1.ⁱ paris lineae duae nigrae versus apicem mandibularum ductae sunt. Femora lineam longitudinalem nigram subter ostendunt, reliqua internodia vix vel non nigro-lineata sunt. *Palpi* fusco-testacei quoque, parte tarsali excepta, quae nigra est, apice longo testaceo-fusco. *Abdomen* supra in fundo testaceo-cinerascens videtur, squamulis sub-argenteis vestitum et fascia media longitudinali sat lata, e squamulis ferrugineis formata secundum totum dorsum extensa ornatum; vestigia fasciarum

(1) Conf. haec Stud., III, Ragni dell'Austro-Malesia, *cet.* loc. cit., pp. 393 et 394.

duarum ejusmodi lateralium angustiorum in dorso adsunt quoque. In utroque latere lineas duas longitudinales tenues nigras ostendit fundus abdominis. Venter in lateribus rubro-testaceus est; secundum medium fasciam latam fuligineo-testaceam habet. *Mamillae* testaceo-fuscae.

Lg. corp. 6 $^1/_2$; lg. cephaloth. 2 $^1/_2$, lat. ej. 2, lat. front. paene 1; lg. abd. paullo plus 3 $^1/_2$, lat. ej. 1 $^1/_4$ millim. Ped. I 12, II 12 $^1/_2$, III paene 10, IV 12 $^1/_2$ millim. longi; pat. + tib. IV 3 $^2/_3$ millim.

Marem singulum detritum vidi, a Cel. Van Hasselt mihi datum, cujus patria incerta est; haud scio an in Indo-Malesia (Java?) captus fuerit. — Pedibus 2.[i] et 4.[i] parium aeque longis et pedes 1.[i] paris longitudine superantibus haec aranea, quae *O. macilento*, L. Koch, *O. Papuano*, Thor. (1), *O. lauto*, L. Koch (2), et *O. amoeno*, id. (3), ad structuram palporum maris sat similis est, notabilis videtur.

248. **O. annulipes**, n., *cephalothorace paullo breviore quam tibia 4.[i] paris, luteo-testaceo, clypeo lineis duabus nigris ab oculis anticis versus apicem mandibularum ductis notato, fronte $^1/_3$ partis thoracicae latitudine circiter aequanti; pedibus virescenti-testaceis, sat dense nigro-annulatis, annulis in maculas vel strias divulsis; abdominis dorso pallide olivaceo vel virescenti, maculis albicantibus in series longitudinales digestis signato, majoribus harum macularum seriem utrinque ad latus abdominis formantibus, reliquis, minutis, series duas secundum medium dorsi; lateribus abdominis fascia longitudinali albicanti notatis, ventre sub-olivaceo-testaceo.* — ♀ jun. *Long. saltem 6 millim.*

Femina *jun.* — *Cephalothorax* sat humilis, circa $^1/_4$ longior quam latior, paullo brevior quam tibia 4.[i] paris, utrinque anterius vix sinuatus, lateribus partis thoracicae sub-orbiculatae ample et fortissime rotundatis, parte cephalica lateribus rectis anteriora versus sensim fortiter angustata; frons truncata, la-

(1) Ibid., p. 395.
(2) Die Arachn. Austral., p. 1015, Tab. LXXXIX, fig. 3, 3a
bid., p. 1017, Tab. LXXXIX, fig. 4-5a.

titudine circiter $^1/_3$ partis thoracicae aequans. Altitudo faciei longitudinem mandibularum saltem aequat; altitudo clypei (spatium inter oculos anticos et marginem clypei) dimidia mandibularum longitudine minor est, et diametro oculorum 2.i paris parum major. *Oculi* 1.i paris sive antici minuti spatio inter se distant, quod eorum diametro circa dimidio majus est, ab oculis 2.i paris spatio diametrum suam aequanti remoti. Spatium inter oculos 2.i paris, qui oculis 3.ii paris duplo majores sunt, eorum diametro paullo est minus, sed paullo majus quam spatium inter oculos 1.i paris; ab oculis 3.ii paris, qui oculis 4.i paris (posticis) evidenter sunt minores, aeque longe atque inter se distant 2.i paris oculi. Spatia inter oculos 4 posteriores (qui trapezium duplo latius antice quam postice et paullo brevius quam latius postice formant) paullo majora et sub-aequalia sunt, duplam diametrum oculi 3.ii paris fere aequantia. Aream, quam occupant oculi 4 antici et postici, vix longior est quam latior antice, et paullulo latior antice quam postice.

Mandibulae paene duplo et dimidio longiores quam latiores. *Palpi* graciles valde, parte patellari vix vel non dimidio longiore quam latiore, parte tibiali circa triplo et dimidio longiore quam latiore. *Pedes* longi et graciles, aculeis longissimis et crebris armati, ut videtur ita: I, II, III, IV, longitudine se excipientes. *Abdomen* longius et angustum, fere quadruplo longius quam latius, antice truncatum et sub-retusum, a basi ad apicem sensim paullo angustatum, apice postico dorsi in medio procursum parvum sub-triangulum formanti. *Mamillae* superiores multo angustiores sed non longiores quam inferiores, art. 2.o sub-conico, aeque longo ac lato.

Color. — *Cephalothorax* luteo-testaceus, oculis sex posterioribus macula nigra intus (versus centrum areae, quam occupant) limbatis; vestigia limbi nigricantis sat lati in lateribus partis thoracicae vidisse videor. *Sternum* pallide flavo- vel sub-virescenti-testaceum. *Mandibulae, maxillae* et *labium* pallide luteo-testacea; ab oculis anticis per clypeum et dorsum mandibularum lineae duae nigrae paullo divaricantes paene usque ad earum apicem ductae sunt. *Palpi* testaceo-albicantes; pars femoralis extus striam

nigricantem ostendit, et partes tibialis et tarsalis basi paullo nigro-maculatae sunt. *Pedes* pallide virescenti-testacei, nigro-sub-annulati vel -maculati (non -lineati), ut palpi nigro-aculeati; femora ternos annulos nigricantes minus distinctos vel in maculas divulsos ostendunt; tibiae annulos ternos nigros, medium, basalem et apicalem, habent, qui in maculas vel strias abrupti sunt, annulo apicali tamen fusco vel minus distincto; metatarsi ternos annulos nigros supra et subter abruptos habent, et praeterea apice fusci sunt: etiam patellae maculam unam alteramve parvam nigram ostendunt. *Abdomen* in fundo superius pallide olivaceum vel sordide virescens est, maculis albicantibus sparsum, quarum 4 vel 5, ad partem reliquis majores et oblongae, seriem secundum totum latus dorsi utrinque formant: reliquae, minutae, secundum medium dorsi in series duas versus anum appropinquantes ordinatae sunt. Secundum medium utriusque lateris abdomen fasciam longam sat latam albicantem ostendit. Venter sub-olivaceo-testaceus; *mamillae* pallide testaceae.

♀ *jun.* — Lg. corp. paene 6; lg. cephaloth. 2, lat. ej. 1 $^3/_4$, lat. clypei paullo plus $^1/_2$; lg. abd. paene 4, lat. ej. paullo plus 1 millim. Ped. I 12 $^1/_3$, II paene 12, III 10, IV 9 $^1/_2$; pat. + tib. IV paullo plus 2 $^3/_4$ millim.

Rev. Cambridge exemplum supra descriptum, in Sumatra a Cel. Forbes inventum, benigne mecum communicavit.

249. **O. providens**, n., *cephalothorace parum longiore quam tibia 4.*[1] *paris, sat alto, testaceo- vel ferrugineo-fusco, squamulis parvis aureis munito (vestito?), clypeo lineis duabus nigris ab oculis anticis versus apicem mandibularum ductis notato; pedibus testaceis, (femoribus interdum rufescentibus), nigro-lineatis; abdomine in fundo nigricanti vel sub-olivaceo, et tum in lateribus vittis paucis obliquis nigris, in ventre vero fascia media latissima nigra notato, squamulis sub-argenteis undique munito (vestito?); partibus palporum patellari et tibiali fere aeque magnis, hac in medio apicis subter procursu parvo sub-dentiformi fusco munita.* — ♂ ad. *Long. circa* 5 $^1/_3$ *millim.*

Mas. — *Cephalothorax* circa $^1/_3$ longior quam latior, parum longior quam tibia 4.i paris, lateribus posterius fortiter, anterius leviter rotundatis anteriora versus modice angustatus, fronte leviter rotundata (oculis 2.i paris fortiter prominulis) dimidium partis thoracicae latitudine paullo superanti. Satis altus est cephalothorax, dorso ante declivitatem posticam (quae postice paene directa et recta est, praeterea convexa, et $^2/_3$ reliqui dorsi longitudine paene aequat) recto et librato, area oculorum 6 posteriorum fortiter proclivi, parum convexa; faciei altitudo longitudine mandibularum fere duplo major est, altitudo clypei hanc longitudinem paene aequat. Area *oculorum* evidenter latior quam longior; area oblonga, quam occupant oculi 2.i et 4.i parium, paullulo (evidentius quam in prioribus) latior est antice quam postice. Spatium inter oculos 1.i paris eorum diametro paullo majus videtur: ab oculis 2.i paris spatio diametro sua paullo minore disjuncti sunt. Spatium inter 2.i paris oculos horum diametrum modo aequat, et paullo majus est quam spatium inter oculos 1.i paris; ab oculis 3.ii paris sat magnis, quibus non parum (non dimidio tamen) majores sunt, intervallo sunt remoti, quod oculi maximi diametro paullo majus est. Oculi 4.i paris, oculis 3.ii paris evidenter minores, spatio diametro sua circa dimidio majore sunt disjuncti et ab oculis 3.ii paris spatio hac diametro duplo majore separati.

Mandibulae reclinatae, parvae, patellas 1.i paris longitudine fere aequantes, basi femora 1.i paris latitudine aequantes, vix duplo longiores quam latiores. *Palpi* breves, clava femoribus anticis saltem dimidio latiore. Pars patellaris paullulo latior quam longior est, pars tibialis eâ vix longior et vix vel parum latior, apice late et oblique truncata: in apice subter, fere in medio ejus, procursum vel dentem parvum corneum fuscum, deorsum et anteriora versus directum ostendit, cujus apex a latere visus in dentem minutum triangulum desinit. Pars tarsalis prioribus duabus conjunctis fere triplo longior est, basi valde oblique et inaequaliter truncata, angulo exteriore rotundato paullo retro producto; in toto latere exteriore parum rotundata, paene recta est, in latere vero interiore, usque ad partem api-

calem angustam (quae reliqua parte tarsali circa dimidio brevior est), fortissime rotundato-dilatata. Bulbus sat humilis, a latere visus rectus et parum inaequalis. *Pedes* graciles et longi, aculeis crebris valde longis armati, ita: I, II, IV, III longitudine se excipientes; 1.[i] paris pedes cephalothorace 4 $^2/_5$ longiores sunt. *Abdomen* lanceolatum.

Color. — *Cephalothorax* in fundo testaceo- vel ferrugineo-fuscus, maculis ocularibus ordinariis nigris, et squamulis minutis angustis aureo-micantibus sparsus (vestitus?); inter oculos saltem anteriores squamulis argenteis tectus est. Ab oculis 1.[i] paris lineae duae nigrae per clypeum et dorsum *mandibularum* testacearum vel ferrugineo-fuscarum ductae sunt, ut in prioribus. *Sternum* pallidius, testaceum. *Palpi* testacei vel ferrugineo-testacei, parte tarsali, apice longo pallido excepto, nigra. *Pedes* testacei, coxis et trochanteribus paullo pallidioribus, femoribus interdum rufescentibus; femora subter, patellae et tibiae supra linea longitudinali nigra notata sunt; aculei nigri. *Abdomen* in fundo superius aut totum nigrum est (modo procursu parvo supra-anali testaceo), aut obscure olivaceum, vittis duabus tribusve obliquis nigris in lateribus notatum; venter nigricans vel obscure olivaceus, fascia longitudinali latissima nigra notatus. Squamulis sub-argenteis tectum fuisse videtur abdomen, quae in dorso latae et tenuissimae sunt, in ventre minores et colorem aeneum paullo sentientes. *Mamillae* testaceae vel sub-fuscae, superiores supra nigrae.

Lg. corp. 5 $^1/_3$; lg. cephaloth. 2 $^1/_2$, lat. ej. paene 2, lat. front. paullo plus 1; lg. abd. 3, lat. ej. 1 $^1/_3$ millim. Ped. I 11, II paene 10 $^1/_2$, III 8, IV 10 millim. longi; pat. + tib. IV 2 $^4/_5$ millim.

Mares duos hujus speciei ad Sungei Bulu Sumatrae invenit Cel. Beccari.

250. **O. setipes**, n., *cephalothorace parum breviore quam tibia cum patella* 4.[i] *paris, in fundo testaceo-ferrugineo, pube ferrugineo-rubra et (saltem inter oculos, anterius) flava munito (vestito?), et lineis duabus nigris, ab oculis* 1.[i] *paris saltem ad marginem clypei ductis, notato; pedibus rufo-testaceis,* non *nigro-lineatis, femoribus*

subter setis longis directis praeditis; abdomine in fundo sub-testaceo, squamulis ferrugineo-rubris et flavis superius munito (vestito?), lateribus abdominis fascia nigra signatis, ventre ordinibus duobus longitudinalibus macularum inaequalium nigrarum inter se plus minus confluentium notato. — ♀ ad. *Long. circa* 5 $^1/_3$ *millim.*

Femina. — *Cephalothorax* paene $^1/_3$ longior quam latior, parum brevior quam tibia cum patella 4.ⁱ paris, lateribus posterius fortiter, antice parum rotundatis anteriora versus modice angustatus; frons paene truncata, parum rotundata (oculis 2.ⁱ paris fortiter prominulis) dimidium partis thoracicae latitudine non parum superat. Altus est cephalothorax, dorso ante declivitatem posticam (quae valde praerupta et paene recta est et $^3/_4$ reliqui dorsi longitudine circiter aequat) primum, ad hanc declivitatem, convexo, dorso partis thoracicae dein, antice, paene recto et librato vel paullulo proclivi, dorso partis cephalicae recto et paullulo assurgenti: dorso igitur a latere viso in medio paullo impresso. Area oculorum sex posteriorum valde proclivis, vix convexa. Faciei altitudo longitudine mandibularum paene duplo major est, altitudo clypei circa $^2/_3$ longitudinis mandibularum aequat. Area *oculorum* paullo longior quam latior est; area, quam occupant oculi 2.ⁱ et 4.ⁱ parium, circa dimidio longior est quam latior, rectangula, vix latior antice quam postice. Spatium inter oculos 1.ⁱ paris eorum diametro paullo majus est; ab oculis 2.ⁱ paris spatio diametro sua paullo minore sejuncti sunt hi oculi. Intervallum inter 2.ⁱ paris oculos eorum diametrum paene aequat et non parum majus est quam spatium inter oculos 1.ⁱ paris; ab oculis 3.ⁱⁱ paris, quibus fere dimidio majores sunt, spatio distant oculi 2.ⁱ paris, quod eorum diametrum non parum superat. Oculi 4.ⁱ paris, oculis 3.ⁱⁱ paris evidenter majores, spatio diametro sua vix vel parum majore sunt disjuncti, et ab oculis 3.ⁱⁱ paris spatio hac diametro saltem dimidio majore separati.

Mandibulae sub-reclinatae, patellis 1.ⁱ paris paullo longiores, femoribus 1.ⁱ paris basi paullo latiores, vix duplo longiores quam latiores basi, spatium inter marginem clypei et oculos 2.ⁱ paris longitudine saltem aequantes. *Palporum* pars patellaris $^1/_4$-$^1/_3$ longior quam latior, pars tibialis eà paene duplo longior. *Pedes*

graciles, longitudine mediocri, aculeis longis sat crebris armati; femora, quorum 1.[i] paris supra 1. 1 (1. 1. 1?), antice 1. 1., postice 1. 1. (?) aculeos habuisse videntur, subter setis nonnullis longissimis directis munita sunt. *Abdomen* sub-lanceolatum. *Vulva* ex tuberculo magno satis alto, deplanato, sub-transverso, antice amplissime rotundato, posteriora versus sensim angustato, piloso, ad partem nigro-fusco constat, quod in medio posterius in foveam postice apertam impressum vel excavatum videtur, apice postico vulvae hic utrinque in tuberculum minutum nitidum elevato; quum in fluido immersa est aranea, vulva ex maculis 4 nigro-fuscis constare videtur, quae trapezium multo latius antice quam postice et multo latius quam longius designant, duabus posticis harum macularum spatio modo parvo disjunctis; ante hoc trapezium puncta duo nigra inter se valde approximantia video.

Color. — *Cephalothorax* in fundo rufo-ferrugineus est, maculis ocularibus ordinariis nigris; pube appressa ferrugineo-rubra saltem ad partem (superius in parte thoracica) vestitus fuisse videtur, area inter-oculari saltem antice pube densa pallide flava tecta. Ab oculis 1.[i] paris lineae duae nigrae ad marginem clypei ductae sunt, his lineis secundum dorsum *mandibularum* rufo-ferruginearum verisimiliter continuatis, in nostro exemplo tamen ibi obsoletis. *Sternum*, ut pedes subter versus basin, pallidius testaceum; praeterea *pedes* et *palpi* rufo-testacei sunt, *non* nigro-lineati, aculeis fuscis. *Abdomen* in fundo sub-testaceum, in utroque latere fascia longitudinali nigra anteriora versus sensim dilatata, antice abbreviata notatum, in ventre vero ordinibus duobus macularum inaequalium nigricantium (paene in fascias duas longitudinales confluentium); dorsum ejus et latera superius squamulis ferrugineo-rubris et flavis munita (vestita?) sunt. *Mamillae* fusco-testaceae.

Lg. corp. 5 $^1/_3$; lg. cephaloth. 2 $^1/_5$, lat. ej. 1 $^3/_4$, lat. front. circa 1; lg. abd. 2 $^5/_6$, lat. ej. 1 $^1/_4$ millim. Ped. I 7 $^5/_6$, II 7 $^3/_4$, III 6 $^3/_4$, IV paullo plus 8 millim. longi; pat. + tib. IV 2 $^1/_4$ millim.

Feminam, quam singulam detritam et mutilatam vidi, ad Sarawak in ins. Borneo ceperunt Cel. Doria et Beccari.

251. **O. obtusus**, n., *cephalothorace tibiam cum patella 4.i paris longitudine superanti, sat alto, in fundo testaceo-ferrugineo, pube alba et sub-aurea munito; pedibus fusco-testaceis, dense nigro-pubescentibus et sub-cupreo-squamulosis, 1.i paris reliquos longitudine superantibus, 3.ii et 4.i parium brevibus et aeque longis; abdomine in fundo supra sub-testaceo-olivaceo et hic saltem ad maximam partem squamulis argenteis nitidissimis vestito, in lateribus squamulis rufo- et obscure fuscis tecto et argenteo-variato, ventre fere unicolore; parte tibiali palporum vix longiore quam latiore, latere exteriore antice ample et profunde emarginato, ipso apice ejus hic, magis intus, in dentem brevem fortem nigrum anteriora versus et foras directum producto.* — ♂ ad. *Long. circa* 5 $^1/_2$ *millim.*

Mas. — *Cephalothorax* circa $^1/_3$ longior quam latior, multo longior quam tibia cum patella 4.i paris, lateribus posterius fortiter, anterius parum rotundatis anteriora versus modice angustatus, fronte modice rotundata, dimidiam partem thoracicam latitudine paullo superanti; sulcus ordinarius brevior et latior quam in prioribus. Altus est cephalothorax, dorso ante declivitatem posticam (quae recta et valde praerupta, paene directa est et $^2/_3$ reliqui dorsi longitudine saltem aequat) recto et parum proclivi, area oculorum sex posteriorum fortiter proclivi, paene plana. Faciei altitudo mandibularum longitudinem non parum superat, clypei altitudo hac longitudine paene duplo minor est. Area *oculorum* evidenter latior est quam longior. Oculi minuti 1.i paris spatio sunt disjuncti, quod oculi diametrum saltem dimidio majus est, spatio hanc diametrum aequanti ab oculis 2.i paris remoti. Spatium inter oculos 2.i paris, qui oculis 4 posterioribus sub-aequalibus paene duplo majores sunt, illorum diametro evidenter paullo majus est, et saltem duplo majus quam spatium inter oculos 1.i paris. Intervallum inter oculos 2.i et 3.ii parium horum diametro saltem dimidio majus est. Oculi 4.i paris spatio sunt disjuncti, quod oculi diametro circa duplo est majus: ab oculis 3.ii paris etiam paullo longius remoti sunt. Area oblonga, quam formant oculi 2.i et 4.i parium, parum latior est antice quam postice.

Mandibulae paullo reclinatae, patellas 1.[i] paris longitudine aequantes, femoribus anticis paullo latiores basi, paene duplo longiores quam latiores. *Palpi* sat breves, clava femoribus anticis plus dimidio latiore; pars patellaris parum longior est quam latior, pars tibialis eâ modo paullo latior et longior, a latere visa vero non parum latior apice quam longior, apice lateris exterioris amplissime et profunde emarginato-excavato, hac emarginatione antice magis intus dentem magnum latum sub-triangulum nigrum, anteriora versus et foras directum includenti, cujus angulus superior truncatus est, angulus vero inferior longe deorsum productus: remanenti inter hunc dentem et marginem emarginationis quasi sulco pallido deorsum directo. Pars tarsalis prioribus duabus partibus conjunctis plus duplo longior est, basi paullo oblique truncata, angulo exteriore rotundato *non* retro producto; in latere exteriore modo leviter rotundata est, in interiore latere vero usque ad basin partis apicalis fortissime dilatato-rotundata; pars apicalis brevis et sub-conica est, reliqua parte tarsali fere quadruplo brevior. Bulbus subter satis inaequalis; a latere visus ante medium dentem latum deorsum directum ostendit. *Pedes* sat breves, non ita graciles, aculeis crebris et longis armati, 1.[i] paris reliquis longiores et cephalothorace circa 3 $^1/_2$ longiores; pedes anteriores non parum sunt longiores quam pedes posteriores, qui eadem longitudine inter se fere sunt. *Abdomen* sub-lanceolatum.

Color. — *Cephalothorax* in fundo testaceo-ferrugineus, maculis ordinariis ocularibus nigris; in exemplo nostro detrito remanet in declivitate postica pubescentia densa appressa sub-aurea, et in lateribus versus margines vestigia pubescentiae albae, pube ferruginea paullo intermixta; facies sub oculis pube sub-cupreo-et aureo-alba vestita fuisse videtur. Clypeus et *mandibulae* ferrugineo-rufescentes sunt, lineis nigris carentes, mandibulae sub-cupreo-squamulosae. *Sternum* pallide testaceum, *maxillae* et *labium* obscure testacea. *Palpi* testacei, parte tibiali praesertim extus paullo obscuriore, parte tarsali fusca, intus magis nigricanti, basi late sub-cupreo-, praeterea nigro-pubescenti, nigro-pilosa. *Pedes* fusco-testacei, dense nigro-pubescentes et

sub-cupreo- et albo-squamulosi, aculeis nigris. *Abdomen* in fundo supra testaceo-olivaceum est, in lateribus et subter obscurius; in dorso squamulis angustis argenteis nitidissimis (et hic illic ferrugineis quoque) vestitum fuisse videtur; declivitas antica et latera abdominis antice squamulis ferrugineo-argenteis tecta sunt, praeterea vero latera pube vel squamulis rubro- et obscure fuscis dense sunt vestita et transversim paullo argenteo-vittata vel -maculata. Venter obscurus saltem hic illic sub-cupreo-squamulosus fuisse videtur, fascia media nigra carens. *Mamillae* testaceo-fuscae.

Lg. corp. 5 $^1/_2$; lg. cephaloth. 2 $^3/_4$, lat. ej. paullo plus 2, lat. clypei paullo plus 1; lg. abd. 3, lat ej. 1 $^2/_3$ millim. Ped. I 9 $^1/_2$, II 8 $^3/_4$, III 6 $^1/_2$, IV 6 $^1/_2$ millim. longi; pat. + tib. IV circa 2 millim.

Marem singulum vidi, ad Ajer Mancior Sumatrae a Beccari lectum. — Ut species insequens, *O. fronto*, n., haec aranea eo insignis est, quod pedes 3.ii et 4.i parium aeque longos habet.

252. **O. fronto**, n., *cephalothorace tibiam cum patella* 4.i *paris longitudine superanti, alto et lato, in fundo ferrugineo-testaceo, albo-pubescenti, et squamulis nigro-fuscis saltem secundum latera superius vestito; pedibus testaceo-fuscis, squamulis obscure fuscis et pube alba vestitis,* 1.i *paris reliquos longitudine superantibus,* 3.ii *et* 4.i *parium brevibus et aeque fere longis; abdomine in fundo sub-olivaceo, fasciis duabus longitudinalibus pallidioribus, fasciam abbreviatam obscuriorem antice includentibus supra ornato, pube alba (et squamulis fuscis) vestito, ventre unicolore; vulva ex fovea sat magna rotundata sub-transversa nigricanti constanti.* — ♀ ad. *Long. circa* 8 $^1/_2$ *millim.*

Femina. — *Cephalothorax* circa $^1/_4$ longior quam latior, paullo longior quam tibia cum patella 4.i paris, lateribus posterius fortiter, anterius parum rotundatis anteriora versus non multo angustatus, latitudine clypei $^2/_3$ latitudinis partis thoracicae circiter aequanti. Altus est cephalothorax, dorso a latere viso ante declivitatem posticam — quae valde praerupta est et $^2/_3$ reliqui dorsi longitudine saltem aequat — recto et paullo proclivi. Alti-

tudo faciei mandibularum longitudinem superat, altitudo clypei hac longitudine saltem duplo minor est. Area *oculorum* paullo latior quam longior videtur; oculi 1.i paris minuti sunt, spatio diametro sua saltem dimidio majore disjuncti, ab oculis 2.i paris spatio hanc diametrum aequanti remoti; oculi 2.i paris, oculis 4 posterioribus sub-aequalibus multo sed vix duplo majores, spatio sunt sejuncti, quod eorum diametro saltem dimidio majus est, et multo majus quam spatium inter oculos anticos, vix vel parum minus quam spatium inter oculos 2.i et 3.ii parium. Oculi 4.i paris spatio eorum diametro plus dimidio majore disjuncti sunt, ab oculis 3.ii paris etiam paullo (non dimidio) longius remoti.

Mandibulae fortes, patellis 1.i paullo longiores, femoribus 1.i paris basi non parum latiores, plus dimidio sed non duplo longiores quam latiores basi, in dorso ad longitudinem paullo convexae. *Palporum* pars patellaris paullo longior est quam latior, pars tibialis vix vel parum plus duplo longior quam latior; pars tarsalis priores duas conjunctim longitudine paene aequat. *Pedes* breves et graciles, ut palpi aculeis crebris sed non valde longis armati; pedes 1.i paris, qui reliquos longitudine superant, cephalothorace circa $3\,^2/_3$ longiores sunt. Pedes 4.i paris vix vel non longiores quam pedes 3.ii paris; pedes 2.i paris, ut 1.i paris pedes, pedibus posterioribus non parum longiores sunt. *Abdomen* (ante partum) lanceolato-ovatum est. *Vulva* ex fovea magna profunda rotundata sub-transversa nigricanti constat, quae margine tenui saltem postice elevato limitata est, et ante quam, si in aqua immersa est aranea, maculae duae minutae rotundae nigrae conspiciuntur: diameter hujus foveae latitudinem tibiae pedum posteriorum vix aequat. *Mamillarum* superiorum art. 2.s saltem dimidio longior est quam latior, conico-cylindratus, apice obtusus; art. 2.s inferiorum multo brevior est quam latior, apice late et oblique truncatus.

Color. — *Cephalothorax* in fundo ferrugineo-testaceus est, maculis ordinariis nigris apud oculos; pube et squamulis angustis albidis est vestitus, ut et squamulis obscure fuscis, quae (in exemplo sub-detrito) fasciam longitudinalem latam obscuram in

utroque latere, superius, formasse videntur; clypeus et *mandibulae* unicoloria, luteo-testacea sunt, linea nigra carentia, pube sat densa alba vestita. In area oculorum vestigia pubis rubrae et flaventis adsunt quoque. *Sternum*, *maxillae* et *labium* pallide testacea, illud albo-pubescens et fusco-pilosum. *Palpi* testacei, supra albo-, subter magis testaceo-pubescentes, summo apice nigro-pubescenti. *Pedes* testaceo-fusci, femoribus versus basin subter cum coxis et trochanteribus pallidioribus, testaceis; squamulis obscure fuscis et pube alba vestiti fuisse videntur. Aculei nigri. *Abdomen* in fundo sub-olivaceum est, fasciis duabus longitudinalibus pallidis non ita latis, quae antice fasciam abbreviatam lanceolatam obscuriorem includunt, pone eam in unam conjunctae; in declivitate antica remanet pubescentia albicans (in lateribus pube ferruginea et obscure fusca mixta), qua abdomen vestitum fuisse videtur. Venter fascia nigra caret, unicolor, pallido-pubescens. *Mamillae* ferrugineo-fuscae.

Lg. corp. 8 $^1/_2$; lg. cephaloth. paene 3, lat. ej. 2 $^1/_4$, lat. front. (clypei) 1 $^1/_2$; lg. abd. 5 $^1/_2$, lat. ej. 3 $^1/_2$ millim. Ped. I 10 $^3/_4$, II 10, III et IV paene 8 millim. longi; pat. + tib. IV 2 $^1/_2$ millim.

Feminam singulam detritam in monte Singalang Sumatrae invenit Cel. Beccari. An femina prioris, *O. obtusi*, est haec aranea? — *Sphasus signifer*, Dol. (¹), ex Java, ei valde affinis videtur.

253. **O. latifrons**, n., *cephalothorace tibiam cum patella* 4.ⁱ *paris longitudine superanti, alto et lato, in fundo luteo-testaceo, area oculorum nigra, saltem ad maximam partem pube alba vestito; pedibus sub-fusco- vel olivaceo-testaceis, basi clarioribus,* 1.ⁱ *paris reliquos longitudine superantibus, pedibus* 4 *posterioribus reliquis non parum brevioribus; abdomine breviore, in fundo ferrugineo-fusco, plaga magna albicanti in dorso antice, quae linea longitudinali sub-ramosa ferrugineo-fusca notata vel sub-geminata est; ventre in lateribus sub-testaceo et albo-pubescenti, secundum me-*

(¹) Tweede Bijdrage, *cet.*, loc. cit., p. 12, Tab. XIV, fig. 3.

dium late infuscato; vulva e fovea maxima nigra, antice truncata, postice costâ procurvâ limitata constanti, cui antice adjacent maculae duae sat magnae nigrae. — ♀ ad. *Long. circa* 6 *millim.*

Femina. — Speciei priori, *O. frontoni*, n., haec aranea simillima est, sed minor, vulva majore et paullo aliter formata, mandibulis minus robustis, et colore paullo alio fere unice ab ea differens. — *Cephalothorax* paene $^1/_3$ longior est quam latior, paullo longior quam tibia cum patella 4.ⁱ paris, lateribus posterius sat fortiter rotundatis, anterius paene rectis anteriora versus sensim non multo angustatus, latitudine clypei plus dimidium, paene $^2/_3$ latitudinis partis thoracicae aequanti. Valde altus est cephalothorax, dorso a latere viso ante declivitatem posticam (quae recta et adeo praerupta est, ut potius directa dici debeat, et quae dimidium reliqui dorsi longitudine saltem aequat) paene librato (parum proclivi) et recto vel potius paullulo concavato, area oculorum posteriorum sat fortiter proclivi, facie praeterea praerupte proclivi, paene directa. Altitudo faciei longitudinem mandibularum paullo superat; altitudo clypei hac longitudine saltem duplo minor est, et minor quoque quam longitudo areae ab oculis 2.ⁱ et 3.ⁱⁱ parium formata. Area *oculorum* paullo latior quam longior videtur; oculi 1.ⁱ paris sive antici, spatio paene duplam diametrum suam aequanti disjuncti, ab oculis 2.ⁱ paris spatio hanc diametrum aequanti remoti sunt; oculi 2.ⁱ paris, oculis 3.ⁱⁱ paris (qui oculis 4.ⁱ paris paullo minores sunt) circa dimidio majores, spatio sunt sejuncti, quod eorum diametro non parum (non vero dimidio) est majus, et multo majus quam spatium inter oculos duos anticos, parumque minus quam spatium inter oculos 2.ⁱ et 3.ⁱⁱ parium. Oculi 4.ⁱ paris sive postici spatio eorum diametro circa dimidio majore sunt disjuncti, ab oculis 3.ⁱⁱ paris spatio hac diametro circa duplo majore.

Mandibulae patellis 1.ⁱ paris parum longiores videntur, femora hujus paris latitudine aequantes, paene duplo longiores quam latiores basi, in dorso ad longitudinem parum convexae, paene rectae. Pars patellaris *palporum* fere dimidio longior est quam latior, pars tibialis paullo plus duplo longior quam latior; pars tarsalis duas priores conjunctas longitudine aequat. *Pedes* breves,

sat graciles; ut palpi aculeis crebris longis et sub-appressis armati sunt. Pedes 1.[i] paris, reliquis longiores, cephalothorace vix 4.plo sunt longiores; pedes posteriores, anterioribus non parum breviores, ad longitudinem non multo differre videntur. *Abdomen* lanceolato-ovatum, postice acuminatum. *Vulva* ex fovea magna, antice truncata, postice costa forti procurva nitida picea limitata constat, cui antice maculae duae sat magnae rotundae nigrae arcte adjacent: haec fovea, quae diametro latitudinem tibiarum posticarum superat, in fundo inaequalis et nigra est, et saltem ad partem pilis albis retro directis obtecta.

Color. — *Cephalothorax* luteo-testaceus, area oculorum nigra; pube alba vestitus fuisse videtur, cujus vestigia in nostro exemplo remanent in lateribus, in declivitate postica, in clypeo et inter oculos. *Sternum, maxillae* et *labium* testacea. *Mandibulae* luteo- vel ferrugineo-testaceae. *Palpi* flavo-testacei. *Pedes* fusco- vel sub-olivaceo-testacei, apice paullo obscuriores, basi late clariores, sub-luteo-testacei; albo-pubescentes sunt et aculeis nigris armati. *Abdomen* in fundo ferrugineo-fuscum est, densissime sed parum distincte pallido-reticulatum; dorsum ejus antice plagam maximam, saltem ad medium longitudinis ejus pertinentem, albicantem, fusco-reticulatam sive e maculis parvis densissimis albicantibus formatam ostendit, quae linea vel fascia media longitunali, utrinque ramum obliquum (vel ramos duos?) emittenti persecta est. Hic illic, ut in declivitate antica, in dorso et in lateribus anterius, remanent vestigia pubescentiae et squamularum albarum, quibus saltem versus apicem dorsi et laterum admixtae sunt squamulae pallide fuscae, quae maculas formavisse videntur (?). Venter in lateribus pallidus, sub-testaceus, est, et hic albo-pubescens, secundum medium late nigro-fuscus et pube obscuriore munitus; *vulva* nigerrima; *mamillae* fuscae.

Lg. corp. 6; lg. cephaloth. $2\,^1/_2$, lat. ej. $1\,^5/_6$, lat. clypei paullo plus 1; lg. abd. $3\,^2/_3$, lat. ej. paene 2 millim. Ped. I $9\,^3/_4$, II 9, III paene 7, IV plus 6 (?) millim. longi; pat. + tib. IV 2 millim.

Feminam, quam unam mutilatam et detritam vidi, in Sumatra a Cel. Forbes captam, Rev. Cambridge mecum communicavit.

SALTIGRADAE.

Fam. **ATTOIDAE** ([1]) SIVE **SALTICOIDAE.**

In generibus hujus familiae disponendis ordinem, quam in prioribus hujus operis Partibus secutus sum, hic ita mutavi, ut primum illa genera tractaverim, quae tibiam cum patella 4.^{i} paris longiorem quam tibiam cum patella 3.^{ii} paris habent, his generibus ita ordinatis: *Synemosyna*, *Toxeus*, *Janigena*, *Salticus*, *Harmochirus*, *Bianor*, *Homalattus*, *Ciris*, *Marptusa*, *Tapinattus*, *Epocilla*, *Chrysilla*, *Maevia*, *Gelotia*, *Linus*, *Cocalus*, *Euophrys*, *Orcevia*, *Plexippus* (*Menemerus* (Sim.) nob., ante), *Bootes*, *Hyllus*; tum sequuntur genera, in quibus tibia cum patella 3.^{ii} paris longior quam (vel saltem aeque longa ac) tibia cum patella 4.^{i} paris est: (*Bootes*, *Hyllus*) *Thyene*, *Viciria*, *Bathippus*, *Carrhotus*, *Bindax*, *Hasarius*, *Nicylla*. — Pauca nova genera proponere utile mihi visum est, inter ea genus *Tapinattum* ad araneam (*Attum melanognathum*, Luc., sive *Marpissam dissimilem*, C. L. Koch) recipiendam, quam antea perperam ad *Icium*, Sim., retuli; rationibus impulsus, quas infra exponam, araneas plerasque antea a me gen. *Plexippo* adscriptas nunc ad *Hasarium* (Sim.) et *Bathippum*, nov. gen., refero.

Gen. **Synemosyna** (HENTZ), 1832.

254. **S. clavigera**, Thor.

Syn.: 1877. *Synemosyna clavigera*, Thor., Stud., *cet.*, I. Ragni di Selebes, loc. cit., p. 548 (208).

Species in Celebes, ad Kandari, a Cel. Beccari detecta.

([1]) *Attoides* Brongn. 1877 (sec. Scudder, Nomencl. Zool.) est nomen *generis* hujus familiae.

†. **S. capito**, n., *brevior, cephalothorace piceo, albo-pubescenti, macula marginali cuneata alba utrinque, in impressionibus cephalicis; parte cephalica partem thoracicam altitudine multo superanti, supra proclivi et modo levissime convexa; pedibus anterioribus testaceis, nigro-lineatis,* 1.[i] *paris apice infuscatis, pedibus posterioribus fuscis, trochanteribus, coxis et tarsis saltem* 4.[i] *paris testaceis; tibiis* 1.[i] *paris aculeis* 2. 2. 2. 2., *tibiis* 2.[i] *paris circiter* 1. 2. 2. *aculeis debilibus subter munitis, metatarsis anterioribus* 2. 2. *aculeis armatis; abdomine inverse ovato, sub-cinereo-fusco, in fundo versus basin vitta transversa angusta fusca postice albo-marginata, pone medium vero lineis transversis duabus fuscis plus minus distinctis notato, pube vittam transversam latam aliamque basalem albicantes ut et plagam apicalem ejusdem coloris formanti.* — ♀ ad. *Long. circa* 5 $^1/_4$ *millim.*

Femina. — *Cephalothorax* paullo plus duplo longior quam latior, in medio, non parum pone oculos posticos, fortiter constrictus, parte cephalica, quae multo altior est quam pars thoracica, desuper visa lateribus anterius paene rectis anteriora versus sensim paullulo angustata, antice leviter rotundata, pone oculos posticos ample et, in lateribus, fortiter rotundata; pars thoracica parte cephalica non parum angustior et eâ saltem non longior est, $^1/_4$-$^1/_3$ longior quam latior, antice (spatio breviore) lateribus rectis vel sub-concavatis anteriora versus sensim paullo angustata, praeterea lateribus paene rectis posteriora versus sensim paullo fortius angustata, postice truncata, margine tenui cincta. A latere visa pars cephalica supra sat fortiter proclivis est et modo levissime convexa, postice praerupte declivis, hac declivitate levissime convexa et dimidiam partem cephalicam longitudine circiter aequanti; pars thoracica antice fortiter convexa, quasi gibba est, primum et brevi spatio fortiter proclivis, praeterea sensim declivis et modice convexa. Quadrangulus *oculorum* non parum, paene $^1/_4$, latior quam longior est, paullo latior postice quam antice. Oculi medii antici sub-contingentes inter se, a lateralibus anticis, quibus triplo majores sunt, spatio sat magno separati; linea oculos anticos supra tangens recta est vel potius paullulo deorsum curvata. Oculi 2.[ae] seriei

paullo longius a posticis oculis quam a lateralibus anticis remoti sunt; oculi postici, lateralibus anticis saltem non minores, inter se spatio paullo majore quam a margine cephalothoracis distant: quum desuper inspicitur cephalothorax, ad ipsum marginem ejus siti videntur hi oculi. *Sternum* angustissimum, tibiis vix latius; spatium inter coxas 1.[i] paris dimidiam labii latitudinem modo aequat.

Mandibulae paene directae, modo paullo porrectae, paene duplo longiores quam latiores, apice intus latissime et oblique rotundato-truncatae, triangulo-ovatae fere, nitidae, in dorso versus basin sub-deplanatae et subtiliter coriaceae; unguis sat longus. *Maxillae* paene parallelae, labio dimidio longiores; *labium* non parum longius quam latius, apice rotundatum. *Palpi* latissimi et deplanati sunt, basi angusti et cylindrati, ut in reliquis hujus generis formis; pars tibialis paullo longior est quam latior apice, pars tarsalis eâ paullo longior. *Pedes* graciles, coxis, 2.[i] paris exceptis, longioribus quam latioribus; femora, praesertim 1.[i] paris, basi paullo dilatata et supra convexo-arcuata. In tibiis 1.[i] paris subter aculeos 2. 2. 2. 2. appressos gracillimos et inaequales video, subter in metatarsis ejusdem paris aculei 2. 2. longiores adsunt; tibiae 2.[i] paris subter 1. 2. 2, metatarsi hujus paris saltem 2. 2. aculeos parvos et debiles habere videntur; praeterea pedes aculeis carent. *Abdomen* inverse ovatum, impressione vel sulco transverso plus minus evidenti versus basin, supra, munitum. *Vulva* ex fovea rotundata constat, quae costa tenui longitudinali media in duas dividitur, et quae in area cornea sub-triangula locum tenet. *Petiolus* sat brevis, articulatione prope abdomen sita.

Color. — *Cephalothorax* in fundo piceus (area inter-oculari interdum pallidiore), linea longitudinali nigra utrinque in parte cephalica notatus, quae linea oculos utriusque lateris inter se conjungit; pube sat densa albicanti vestitus est, pube densiore alba ad marginem utrinque, in impressione cephalica, maculam sub-triangulam vel cuneatam formanti; clypeus pilis testaceo-fuscis, ut videtur, vestitus. *Sternum* nigro-piceum; *mandibulae* nigro-piceae, *maxillae* et *labium* picea, hoc apice et illae intus pallidiora. *Palpi* nigro-picei, albicanti-pubescentes, basi latissime

sub-testacei. *Pedes* anteriores testacei, posteriores fusci dicendi; in anterioribus pedibus femora, patellae et tibiae fasciam longitudinalem utrinque (2.ⁱ paris femora tamen modo antice) ostendunt, et 1.ⁱ paris metatarsi et tarsi saltem ad partem picei vel nigricantes sunt, 2.ⁱ paris coxae postice nigrae; pedes 3.ⁱⁱ paris apice pallidi sunt, pedes 4.ⁱ paris praeterea patellas et trochanteres testaceos habent. *Abdomen* in fundo sub-fusco-testaceum, paullo pone basin vitta angusta transversa fusca postice albo-marginata notatum, et pone medium lineis duabus transversis inter se appropinquantibus fuscis, his lineis plus minus evidentibus; pube albicanti tenui ita vestitum est dorsum, ut plaga vel vitta basalis albicans ante vittam illam fuscam, vitta lata transversa albicans (antice fusco-marginata) ante medium, et plaga magna apicalis albicans paullo pone lineas illas duas fuscas formentur; in altero exemplorum, quae vidi, venter cinereo-fuscus maculas duas oblongas sub-triangulas obscuras anterius, ad rimam genitalem, ostendit. *Mamillae* fusco-testaceae.

Lg. corp. 5 $^1/_4$; lg. cephaloth. 2 $^1/_2$, lat. ej. parum plus 1 millim.; lg. abd. 2 $^1/_2$, lat. ej. 1 $^3/_4$ millim. Ped. I 4 $^1/_2$ (pat. + tib. 1 $^2/_3$, tib. paullo plus 1, metat. + tars. paullo plus 1), II paullo plus 3, III 4, IV 6 $^1/_4$ (pat. + tib. 2, tib. 1 $^1/_2$, metat. + tars. 1 $^3/_4$) millim. longi.

Hujus speciei, formicae simillimae, duo exempla feminea possideo, a Cel. Van Hasselt mihi data. Patria eorum non mihi satis constat: verisimiliter ex India Neërlandica (Java?) sunt. — Statura brevi, et praesertim petiolo brevi et prope abdomen (non in medio) articulato, a plerisque hujus generis formis mihi cognitis differt haec species, *cephalothorace* tamen *usque ad margines laterales constricto et utrinque, in impressionibus cephalicis, vitta vel macula e pube densa alba formata notato* cum reliquis *Synemosynis* conveniens.

Mandibulae in feminis hujus generis fortasse semper breves et plus minus deorsum directae sunt, in maribus contra plerumque (non semper — vid. descriptionem *S. rufescentis,* Thor., in his Stud., I, Ragni di Selebes, loc. cit., p. 552 (212) —) longae sunt et porrectae, parallelae vel paullo divaricantes.

255. **S. debilis**, n., *angustior, cephalothorace ferrugineo-fusco, albicanti-pubescenti, macula marginali cuneata alba utrinque, in impressionibus cephalicis, notato; parte cephalica paullo altiore quam est pars thoracica, supra proclivi et modo levissime convexa; pedibus omnibus clarius fusco-testaceis,* 1.[i] *paris nigro-lineatis, metatarsis anterioribus et tibiis* 1.[i] *paris subter aculeis* 2. 2. *munitis, tibiis* 2.[i] *paris inermibus; abdomine duplo longiore quam latiore, inverse ovato fere, in fundo fuligineo-fusco, albo-pubescenti, hac pube in dorso, ut videtur, tres vittas transversas plagasve formanti.* — ♀ ad. *Long. circa* 4 *millim.*

Femina. — *Cephalothorax* paullo plus duplo longior quam latior, ad formam ut in specie priore, excepto quod latera partis thoracicae desuper visae anterius ad plus dimidium longitudinis parallela et recta sunt, portione ejus posteriora versus sensim angustata igitur breviore quam in *S. capitone;* postice magis quam in ea rotundata est pars thoracica. A latere visa pars cephalica modo paullo altior est quam pars thoracica, supra, ante oculos posticos, parum convexa, dein vero fortius convexa et satis aequaliter in declivitatem suam posticam breviorem et paullulo convexam, non multo praeruptam transiens, hac declivitate dimidiam partem cephalicam longitudine non aequanti; pars thoracica antice brevi spatio proclivis est, praeterea sensim declivis et hic levissime convexa, ut in priore igitur, modo minus gibba. *Oculi* medii antici a lateralibus anticis spatio minore, dimidiam eorum diametrum vix aequanti, distare videntur; oculi postici evidentius quam in priore specie eminent, quum desuper inspicitur cephalothorax; praeterea oculi plane sunt ut in ea diximus. *Sternum* paullo latius quam in ea, tibiis non parum latius; spatium inter coxas 1.[i] paris dimidiam latitudinem labii superat.

Mandibulae paene directae, parum porrectae, plus dimidio longiores quam latiores, sub-cylindratae sed in dorso paene planae, nitidae et subtiliter coriaceae, apice minus late et oblique rotundato-truncatae. *Maxillae* et *labium*, ut *palpi*, ut in specie priore sunt. *Pedes* ad formam ut in illa; at in tibiis 1.[i] paris modo 2. 2. aculeos graciles video, ut in metatarsis hujus paris, ubi tamen longiores et paullo fortiores sunt; pedes 2.[i] paris modo

subter in metatarsis aculeos 2. 2. minutissimos habere videntur. *Abdomen* duplo longius quam latius, inverse et anguste sub-ovatum; *vulva* ex fovea parva rotundata constare videtur. *Petiolus* longior, articulatione non longe ab abdomine sita.

Color. — *Cephalothorax* ferrugineo-fuscus, fascia longitudinali nigra utrinque in parte cephalica, oculos utriusque lateris conjungenti; pube albicanti vestitus est et macula sub-triangula vel cuneiformi albissima e pube densa formata utrinque ad margines, in impressione cephalica, notatus; pili clypei (quorum saltem duo sat longi, porrecti et sursum curvati sunt) albicantes quoque. *Sternum* et *partes oris* ferrugineo-fusca. *Palpi* fusco-testacei, albicanti-pubescentes. *Pedes* clarius fusco-testacei paene toti: in pedibus 1.[i] paris tamen saltem patellae, tibiae et metatarsi lineam tenuem nigram antice habent, et femora et metatarsi lineam ejusmodi postice quoque, in femoribus abbreviatam; in pedibus 2.[i] paris modo metatarsi linea nigra minus distincta antice notati videntur. Aculei, praesertim metatarsorum 1.[i] paris, nigri sunt. *Abdomen* in fundo fuligineo-fuscum fuisse videtur (fortasse vitta una alterave transversa magis obscura in dorso?); pube albicanti et supra et subter munitum est, hac pube, ut videtur, in dorso vittam transversam basalem aliamque latiorem paullo ante medium, ut et plagam magnam apicalem formanti (?). *Mamillae* superiores fuligineae, inferiores pallidiores.

Lg. corp. 4; lg. cephaloth. 1 $^3/_4$, lat. ej. circa $^7/_8$; lg. abd. parum plus 2, lat. ej. 1 millim. Ped. I circa 2 $^3/_4$ (pat. + tib. circa 1, tib. circa $^2/_3$, metat. + tars. circa $^3/_4$), II paullo plus 2, III 2 $^1/_2$, IV 4 (pat. + tib. 1 $^1/_3$, tib. circa $^5/_6$, metat. + tars. 1 $^1/_4$) millim. longi.

Singulam feminam vidi, in Java inventam et a Cel. Van Hasselt dono mihi datam. A specie priore corpore angustiore, statura minore et pedibus sub-testaceis paene unicoloribus praesertim facile dignoscatur.

256. **S. rufescens**, Thor.

Syn.: 1877. *Synemosyna rufescens*, Thor., Studî, *cet.*, I, Ragni di Selebes, loc. cit., p. 552 (212).

Species ad Macassar in ins. Celebes capta.

257. **S. nitidissima**, Thor.

Syn.: 1877. *Synemosyna nitidissima*, Thor., loc. cit., p. 546 (206).

Haec species ad Kandari in Celebes inventa est.

258. **S. nigra**, Thor.

Syn.: 1877. *Synemosyna nigra*, Thor., loc. cit., p. 544 (204).

Eodem loco ins. Celebes ac *S. nitidissima* lecta.

259. **S. moesta**, Thor.

Syn.: 1877. *Synemosyna moesta*, Thor., loc. cit., p. 541 (201)

Ut priores haec aranea ad Kandari in ins. Celebès capta fuit.

Gen. **Toxeus**, C. L. Koch, 1846.

260. **T. procerus** (Thor.).

Syn.: 1877. *Synemosyna procera*, Thor., Studi, *cet.*, I, Ragni di Selebes, loc. cit., p. 538 (198).

Habitat in Celebes, ad Kandari inventus.

Tibia cum patella 1.^i paris in mare hujus speciei 6 $^2/_3$ millim. longa est (tibia 4 $^3/_4$ millim.), metatarsus cum tarso ejusdem paris 3 millim.; tibia cum patella 4.^i paris 4 $^3/_4$ (tibia 3 $^2/_3$), metatarsus cum tarso hujus paris 4 millim. Femora 1.^i paris porrecta apice paullo ultra apicem mandibularum pertinent.

†. **T.** (?) **mandibularis**, n., *fusco-niger, palpis testaceis, apice latissime piceis, pedibus, 2.^i paris exceptis, ad maximam partem piceis, coxis 4.^i paris et tarsis saltem sex anterioribus flavo-testaceis; parte cephalica a latere visa supra librata et leviter convexa; pedibus 1.^i paris longis et gracillimis, saltem 4 paribus aculeorum gracillimorum subter in tibiis, 2 paribus aculeorum subter in metatarsis instructis; mandibulis porrectis, cephalothorace paullo brevioribus, 4.plo longioribus quam latioribus, supra intus transversim sub-planis, margine interiore-superiore recto, latere exteriore-superiore desuper viso, praesertim apicem versus, leviter arcuato*

(*marginem sub-compressum non formanti*), *dente apicali sat forti et pone eum ordinibus duobus rectis dentium subter intus armatis, ordine interiore ex saltem* 4 *dentibus parvis, exteriore ex circa* 9 *dentibus minutis constanti; ungui mandibulam longitudine aequanti, gracili, bis incurvo.* — ♂ ad. *Long. circa* 4 $^3/_4$ (*cum mandib. circa* 6) *millim.*

Mas. — *Cephalothorax* duplo longior quam latior, parum pone medium sed non parum pone oculos posticos fortiter constrictus; pars cephalica parte thoracica multo altior, desuper visa paene quadrata, antice et in lateribus anterius tamen leviter rotundata, angulis posticis fortius et late rotundatis. Pars thoracica parte cephalica paullulo brevior et non parum angustior est, desuper visa paullo longior quam latior, posteriora versus lateribus anterius paene rectis, dein leviter rotundatis sensim angustata, postice satis anguste truncato-rotundata, tenuiter elevato-marginata. A latere visa pars cephalica supra leviter et aequaliter convexa est, librata, postice praerupte declivis et parum convexa; dorsum partis thoracicae antice brevi spatio paullo proclive est, dein posteriora versus sensim declive, et primum convexo-arcuatum, dein rectum vel, postice, sub-concavatum. Nitidus est cephalothorax, saltem in lateribus subtiliter rugoso-striatus, impressione vel fovea in utroque latere partis thoracicae, antice; clypeus humillimus, vix $^1/_4$ diametri oculi maximi altitudine aequans. *Oculi* medii antici maximi, contingentes inter se, a lateralibus anticis, quibus circa 3.plo majores sunt, spatio parvo sed distincto separati; linea margines superiores oculorum anticorum tangens recta est. Quadrangulus oculorum paullo latior quam longior, parum latior postice quam antice; oculi 2.^{ae} seriei paullo longius ab oculis posticis quam a lateralibus anticis distant; oculi postici, his paullo majores, magis extus directi sunt et paullulo prominentes videntur, quum desuper inspicitur cephalothorax; aeque saltem longe inter se atque a margine hujus distant. *Sternum* multis partibus longius quam latius, coxis angustius; spatium inter coxas 1.^{i} paris labio non parum angustius.

Mandibulae porrectae, parallelae, cephalothorace paullo breviores, circa 4.plo longiores quam latiores; nitidae sunt, supra

intus transversim planae et hic transversim paullo rugoso-striatae, praesertim versus basin, magis extus vero transversim convexae et laeves, in latere exteriore transversim convexo (non in carinam vel marginem longitudinalem compresso) sub-rugosae. Desuper visae in latere interiore rectae sunt, latere superiore intus margine sive costa tenui recta limitato; in latere vero exteriore paene a basi (angustiore) ad circiter $^3/_4$ longitudinis modo levissime rotundatae sive convexo-arcuatae et sensim paullulo dilatatae sunt, dein paullo fortius rotundatae et sensim paullo angustatae, apice truncato. A latere visae primum, ad circa $^2/_3$ longitudinis, aequali altitudine et supra rectae et libratae sunt, dein supra paullo convexo-proclives. In ipso apice lateris interioris, magis supra, dentem sat fortem anteriora versus, deorsum et intus directum ostendunt, et pone eum, in margine inferiore lateris interioris, dentes saltem quattuor parvos gradatim magnitudine decrescentes, fere eodem modo directos et spatiis aequalibus disjunctos, quorum primus paullo longius a dente apicali remotus est quam a dente proxime sequenti, qui paullo ante medium mandibulae locum tenet. Subter, magis extus, seriem rectam dentium minutorum dentium saltem novem ostendit mandibula, quorum primus, paullo pone apicem ejus locatus, spatio paullo majore a proxime sequenti distat, quam quo distant reliqui septem inter se. Unguis, retro directus et inter series duas dentium mandibulae receptus, mandibulam longitudine aequat, gracilis et sub-sinuatus: prope basin geniculato-incurvus est, apice quoque sat fortiter incurvus, praeterea paene rectus, modo in medio levissime recurvus. *Maxillae* longae, angustae, labio duplo longiores, modo paullo divaricantes, parte ante labium sub-quadrata; *labium* paene dimidio longius quam latius, apice rotundatum, lateribus parallelis. *Palpi* graciles, mandibulis paullo longiores. Pars trochanteralis paullo longior est quam latior, pars femoralis saltem duplo longior quam pars patellaris, quae dimidio longior est quam latior; pars tibialis parte patellari non parum longior est, basi ejus latitudine, a basi ad apicem sensim paullo dilatata, duplo longior quam latior apice; in apice lateris exterioris dente gracili vel potius spina intus et deorsum

curvata armata est, cujus longitudo dimidiam latitudinem apicalem partis tibialis circiter aequat. Pars tarsalis ovato-elliptica, parte tibiali paullo latior et longior. *Pedes* gracillimi, praesertim $2.^{i}$ paris; pedes posteriores reliquis paullo crassiores videntur. Femora $1.^{i}$ paris, quae apice suo paullulo ante apicem mandibularum pertinent, basi sub-incrassata, compressa et supra convexo-arcuata sunt; metatarsus et tarsus $1.^{i}$ paris conjunctim tibiâ paullo sunt breviores, metatarsus tarso duplo longior. Coxae $4.^{i}$ paris paullo longiores quam latiores sunt. Metatarsi $1.^{i}$ paris subter 2. 2. aculeos graciles longos ostendunt, tibiae ejusdem paris 2. 2. 2. 2. (?) aculeos breviores et omnium gracillimos; pedes $2.^{i}$ paris saltem in metatarsis subter aculeati fuisse videntur. Praeterea pedes, ut saltem magna pars reliqui corporis, pube tenui muniti sunt, pube circum oculos anticos, in clypeo et supra in abdomine longiore et crassiore. *Abdomen* saltem duplo longius quam latius est, cephalothorace paullo angustius, inverse et anguste ovatum fere; desuper visum postice et in lateribus postice rotundatum est, lateribus praeterea rectis anteriora versus sensim angustatum, primum levius, dein, ad basin, fortius, hac parte basali sub-acuminata; a latere visum paullo ante medium supra late sed non profunde impressum vel sub-constrictum est et antice versus petiolum secundum lineam rectam sensim proclive, parte antica abdominis sub-pyramidata (humeris tamen dentem nòn formantibus). *Petiolus* desuper visus dimidio longior quam latior, articulatione in medio.

Color. — *Cephalothorax* fusco-niger, saltem in clypeo et circum oculos anticos albicanti-pubescens. *Sternum* piceum. *Mandibulae* fusco-nigrae, subter cum ungui piceae, apice unguis pallidiore. *Maxillae* et *labium* picea, illae ante labium intus late testaceae. *Palporum* partes femoralis et patellaris testaceae, tibialis (saltem apice late) et tarsalis nigro-piceae, haec supra plaga apicali pallidiore, pallido-pubescenti notata. *Pedes* $1.^{i}$, $3.^{ii}$ et $4.^{i}$ parium picei sunt, his exceptis: in pedibus $1.^{i}$ paris tarsi flavo-testacei sunt; pedes $3.^{ii}$ paris apicem versus clariores evadunt, tarsis flavo-testaceis; in pedibus $4.^{i}$ paris trochanteres flavo-testacei sunt, et patellae quoque sub-testaceae videntur. (Meta-

tarsi et tarsi hujus paris in nostro exemplo desunt). Pedes 2.[i] paris fusco-testacei sunt, coxis, trochanteribus et linea longitudinali in latere femorum exteriore piceis, tarsis vero flavo-testaceis. *Abdomen* nigro-fuscum, subter cum *mamillis* pallidius, pube cinerascenti vel sub-olivacea munitum.

Lg. corp. (sine mandibulis) 4 $^3/_4$; lg. cephaloth. 2 $^1/_5$, lat. ej. 1; lg. abd. 2 $^1/_4$, lat. ej. paene 1; lg. petioli circa $^1/_3$ millim. Ped. I 5 $^3/_4$ (pat. + tib. 2 $^1/_4$, tib. 1 $^1/_2$, metat. + tars. paene 1 $^1/_3$), II circa 2 $^1/_2$, III circa 4, IV? (sine metatarso et tarso paullo plus 4 $^1/_2$) millim. longi; pat. + tib. IV paullo plus 2, tib. IV paene 1 $^2/_3$ millim. Mandib. 1 $^1/_4$ millim. longae.

Singulum exemplum masculum valde mutilatum vidi, a Cel. Van Hasselt dono mihi datum et nescio an in India Neërlandica (Java?) captum. *Toxeo maxilloso*, C. L. Koch (1), valde affinis haec aranea est, sed vix eadem species, quum *T. maxillosus*, secundum Koch, mandibulas alio modo formatas, palpos totos nigros et pedes quoque paullo aliter coloratos habeat.

In hac specie, ut in priore, cephalothorax in lateribus minus fortiter quam in *Synemosynis* a me descriptis constrictus videtur, *vitta vel macula e pube alba formata in impressionibus cephalicis* (*non* usque ad margines laterales cephalothoracis productis) *carens*, qua nota genera *Toxeus* et *Salticus* fortasse melius quam notis a Cel. Karsch (2) propositis a *Synemosyna* distingui poterunt. *Toxeum* a *Saltico* in praesenti pedibus *Toxei* longioribus et 1.[i] paris pedibus ejus 4.[i] paris pedes longitudine superantibus vel saltem aequantibus distinguo: conf. Karsch, loc. cit. Sed *feminae* generis *Toxei* adhuc ignotae sunt, et incertum igitur est, an notâ illâ a feminis generis *Saltici* discrepent.

Gen. **Janigena**, Karsch, 1880.

261. **J. melanocephala** (C. L. Koch), *cephalothorace nigro, crasse cinerascenti-pubescenti, abdomine nigricanti, eodem modo pubescenti et vittis transversis latis pallidioribus notato, quarum anteriores*

(1) Die Arachn., XIII, p. 19, Tab. CCCCXXXVI, fig. 1090.

(2) Arachn. Blätter. VIII. Zur Kenntn. d. Attiden, *in* Zeitschr. f. d. gesammt. Naturwissensch., LIII, pp. 392 et seq.

plerumque in maculas obliquas abruptae sunt, posticae vero plagam apicalem pallidam formant; mandibulis piceis, palpis nigris vel fuscis, basi pallidioribus, pedibus flavo-testaceis, interdum paullo nigro-lineatis -maculatisve, metatarsis 1.[i] *paris utrinque nigris; parte cephalica modo paullo altiori quam est pars thoracica, supra plana et librata;* 1.[i] *paris pedibus subter aculeis* 2. 2. 2. 2. *in tibiis et* 2. 2. *in metatarsis armatis,* 2.[i] *paris* 2. 2. *in tibiis et in metatarsis; maris mandibulis porrectis, cephalothorace paullo longioribus, plus* 4.*plo longioribus quam latioribus, in dorso rectis et planis, extus leviter arcuatis et marginem sub-compressum superiorem-exteriorem formantibus, dente apicali obtuso et pone eum subter ordinibus duobus dentium munitis, quorum interior ex* 6 *dentibus inaequalibus, exterior ex circa* 7 *dentibus minutissimis formatus est, ungui mandibulam longitudine aequanti, bis incurvo; mandibulis feminae brevibus, obliquis.* — ♂ ♀ ad. *Long.* ♂ *circa* 7 $^1/_2$ (*cum mandibulis* 10 $^2/_3$), ♀ *circa* 7 *millim.*

Syn.: 1846. *Janus melanocephalus*, C. L. Koch, Die Arachn., XIII, p. 22, Tab. CCCCXXXVI, fig. 1092.
1880. *Janigena melanocephala*, Karsch, Arachnol. Blätter. VIII. Zur Kenntn. d. Attiden, *in* Zeitschr. f. d. gesammt. Naturwissensch., LIII, p. 394.
1885. *Salticus melanocephalus*, Sim., Arachn. recueillis par M. Weyers à Sumatra (1er envoi), *in* Comptes rendus de la Soc. Ent. de Belgique, (1885), p. (1).

Mas. — Priori, *Toxeo mandibulari*, ad formam simillimus est, sed major, et colore praesertim pedum, qui breviores et robustiores sunt, facillime dignoscendus. *Cephalothorax*, qui pube sat densa tegitur, et paene duplo longior est quam latior, ad formam ut in *T. mandibulari* est, eo excepto quod pars cephalica modo paullo altior est quam pars thoracica, a latere visa desuper librata et plana, declivitate sua postica breviore et multo minus praerupta, ita ut pars cephalica modo impressione modica a parte thoracica separata videatur; pars thoracica, quae parte cephalica paullo angustior et brevior est, vix longior est quam latior, et posterius late rotundata, lateribus antice parallelis; a latere visa apud partem cephalicam non proclivis est, sed usque ad marginem posticum declivis et arcuato-convexa.

Oculi ut in illa specie diximus, eo excepto quod oculi postici, quum desuper inspicitur cephalothorax, a margine ejus spatio separati videntur, quod oculi diametrum paene aequat. *Sternum, maxillae* et *labium* fere ut in priore, maxillae tamen labio apice truncato non duplo longiores.

Mandibulae parum a mandibulis prioris differunt, paullo tamen majores: cephalothorace paullo longiores sunt et conjunctae eum latitudine paullo superant quoque. Plus 4.plo longiores sunt quam latiores, porrectae, parallelae, supra planae et transversim rugoso-striatae; desuper visae extus leviter et satis aequaliter convexo-arcuatae sunt, ita ut paullo ante medium paullo latiores evadant quam basi et apice, qui truncatus est et parum latior quam basis; margo interior lateris superioris costa tenui definitur, quae a basi ad medium recta est, dein vero paullulo concavo-arcuata, quia mandibulae hic paullulo rotundato-excisae sunt. Extus latus superius cum latere exteriore mandibulae marginem sub-compressum superiorem-exteriorem format. A latere visae praesertim supra libratae et rectae sunt mandibulae, modo basi et apice, praesertim subter, convexo-angustatae. In ipso apice, intus, dentem sat fortem obtusum gerit mandibula; dein, in marginibus sulci unguicularis sinuati, sequuntur series dentium duae, quarum altera (in margine inferiore lateris interioris) ex dentibus sex acuminatis intus, anteriora versus et paullo deorsum directis constat: primus eorum sat parvus est, modo paullo pone dentem illum apicalem locatus, reliqui magnitudine cito decrescentes et spatiis aequalibus disjuncti; dens secundus magnus est, dente apicali major, et spatio multo majore a primo quam a tertio separatus. Series altera, in margine interiore lateris inferioris mandibulae sita, ex dentibus circa septem minutissimis formata est. Unguis, retro directus, longitudine est mandibulae, minus gracilis, sinuatus, basi et apice fortiter incurvus, inter medium et basin paullo recurvus, praeterea rectus. *Palpi* breves, mandibulis multo breviores. Pars femoralis circa triplo longior est quam latior, pars patellaris parum, tibialis non longior quam latior apice; pars tibialis, quae patellari paullo major est et a basi ad apicem sensim paullo dilatata, apicem lateris exterioris

in procursum brevissimum obtusum productum habet, cujus apex dentem deorsum directum formare videtur. Pars tarsalis sub-ovata, parte tibiali saltem duplo longior et plus dimidio latior; ad basin lateris exterioris fasciculum pilorum parvum sub-incurvum, retro et paullo foras directum ostendit, cujus apex paene ad apicem procursus partis tibialis pertinet. *Pedes* non ita graciles, anteriores posterioribus vix robustiores; 1.[i] paris femora, quae protensa non ad medium mandibularum pertinent, basi paullo latiora, compressa et supra arcuata sunt, metatarsi hujus paris tarso duplo longiores. Metatarsi 4.[i] paris tarso triplo longiores sunt; trochanteres hujus paris paullo longiores quam latiores. Femora omnia aculeum parvum supra, ad apicem, ostendunt, patellae 1.[i] paris aculeum singulum subter, extus; tibiae hujus paris aculeos graciles 2. 2. 2. 2., metatarsi vero 2. 2. subter habent; in pedibus 2.[i] paris et tibiae et metatarsi aculeis 2. 2. subter muniti sunt. *Abdomen* paene cylindratum, longum et angustum, plus 4.plo longius quam latius, densius et sat crasse pubescens vel pilosum. *Petiolus* longus, articulatione in medio. *Mamillae* longiores, cylindratae, superiores angustiores et paullo longiores quam inferiores, mediae fere aeque magnae ac superiores, omnes art. 2.° brevissimo.

Color. — *Cephalothorax* niger, pube crassiore et longiore cinereo-olivacea minus dense tectus; pili, quibus munitus est clypeus, ut annuli circum oculos anticos cinereo-albi sunt. *Sternum* nigrum. *Mandibulae, maxillae* et *labium* picea, maxillae et labium apice sub-testacea; mandibulae (in nostro exemplo supra paullo clariores) in et ad marginem exteriorem lateris superioris, praesertim versus basin, pilis sat densis longis patentibus albis munitae sunt, praeterea in et ad apicem supra pube et pilis nigris sparsae. *Palpi* nigro-fusci, partibus saltem trochanterali et femorali sub-testaceis. *Pedes* testacei, albo- et nigro-pubescentes, linea longitudinali nigra in utroque latere metatarsorum 1.[i] paris notati, et praeterea paullo nigro-maculati: in nostro exemplo femora 1.[i] paris lineam nigram utrinque habent, quae saltem extus per patellam in basin tibiae continuatur; femora 2.[i] paris lineam nigram antice ostendunt; etiam

in femoribus posterioribus vestigia macularum vel linearum nigrarum video; coxae posteriores lineam vel maculam nigram postice habent. *Abdomen* nigrum; dorsum ejus vittas paucas transversas recurvas pallidas, in medio plus minus abruptas ostendit, quarum ultima vel ultimae plagam apicalem sub-testaceam formant. Praesertim in dorso abdomen pube longiore crassa sub-olivacea et albicanti sat dense vestitum est et pilis longis sub-testaceis sparsum. *Mamillae* superiores et inferiores nigrae, mediae pallidiores.

Femina a mare parum nisi palpis et mandibulis differt. Pars cephalica modo paullo altior est quam pars thoracica, quae antice apud partem cephalicam brevi spatio librata vel potius paullo proclivis est; praeterea *cephalothorax*, *sternum* et *labium* ut in mare sunt. *Oculi* quoque ut in eo, excepto quod oculi postici modo spatio minimo vel vix ullo a margine cephalothoracis distare videntur, quum is desuperne inspicitur. *Mandibulae* oblique deorsum et anteriora versus directae sunt, saltem dimidio longiores quam latiores, cephalothorace multis partibus breviores et conjunctim eo multo angustiores; sub-ovato-cylindratae sunt, ipsa basi sub-geniculatae, praeterea sub-deplanatae, in latere exteriore, desuper visae, levissime convexo-arcuatae, intus basi rectae, praeterea late et oblique truncatae; nitidae, rugosae, apice laeves. Sulcus unguicularis antice dentes circa sex habet, quorum tres sat magni sunt, postice vero dentes circa novem minutos et densissimos; unguis mediocris, longitudine latitudinem mandibulae aequans fere, aequaliter et sat fortiter incurvus. *Maxillae* parallelae, ante labium apice truncatum magis gradatim dilatatae, apice extus leviter rotundato, intus truncato. *Palpi* mandibulis fere triplo longiores, ut in affinibus basi angusti, praeterea lati et deplanati, a basi partis patellaris ad apicem partis tibialis sensim dilatati. *Pedes* ad formam ut in mare et ut in eo aculeati, excepto quod femora aculeo carent; pedes, praesertim 1.[i] paris (quorum femora extensa ultra apicem mandibulae pertinent), breviores sunt quam in mare; trochanter 4.[i] paris parum longior est quam latior. *Abdomen* anguste ovatum vel paene cylindratum, circa triplo longius quam latius. *Vulva*

ex fovea sub-triangula vel semi-circulata, postice truncata constat, quae septo medio humili in duas dividitur.

Color fere atque in mare: *cephalothorax* cinerascenti-pubescens, clypeo albo-piloso, annulis circum oculos anticos albis. *Sternum* nigrum. *Mandibulae* piceae, *maxillae* et *labium* nigro-picea, apice anguste testacea. *Palpi* nigri, basi late (saltem parte femorali) testaceo-fusca. *Pedes* flavo-testacei, modo metatarsis 1.ⁱ paris in utroque latere et interdum macula una alterave femorum posteriorum nigris. *Abdomen* nigricans, cinerascenti- vel sub-olivaceo-pubescens, vittis nonnullis transversis recurvis pallidis in dorso, quarum anterior (vel anteriores) paullo ante medium dorsi in maculas duas obliquas abrupta est, posteriores plus minus evidenter in plagam pallidam apicalem confusae. *Mamillae* ut in mare quoque.

♂. — Lg. corp. (sine mandibulis) 7 $^1/_2$; lg. cephaloth. 3, lat. ej. 1 $^1/_2$; lg. abd. paullo plus 4, lat. ej. paullo plus 1 millim. Ped. I 5 $^1/_2$ (pat. + tib. 2 $^1/_5$, tib. paene 1 $^1/_2$, metat. + tars. 1 $^1/_2$), II 4 $^1/_2$, III 5, IV paullo plus 6 (pat. + tib. 2 $^1/_3$, tib. paullo plus 1 $^1/_2$, metat. + tars. 2) millim. longi. Mandib. 3 $^1/_6$ millim. longae.

♀. — Lg. corp. (sine mandib.) paene 7; lg. cephaloth. 3, lat. ej. paene 1 $^1/_2$; lg. abd. 3 $^3/_4$, lat. ej. 1 $^2/_3$ millim. Ped. I 4 $^1/_3$ (pat. + tib. 1 $^2/_3$, tib. 1 $^1/_6$, metat. + tars. parum plus 1), II circa 4, III paene 4 $^1/_3$, IV 6 (pat. + tib. 2, tib. paene 1 $^1/_3$, metat. + tars. 1 $^2/_3$) millim. longi. Mandib. circa $^2/_3$ millim. longae.

Exempla paucissima adulta et juniora vidi (inter ea marem singulum adultum), quae in monte Singalang Sumatrae collegit Beccari. Van Hasselt [1] exemplum « *Synemosynae* (*Jani*) *melanocephalae* ♂ » ad Limun Sumatrae captum vidit, et Simon exempla ex Fort-de-Kock ejusdem insulae descripsit; ipse C. L. Koch *Janum melanocephalum* ex ins. Bintang obtinuit. — Femina araneae nostrae a descriptione et figura *J. melanocephali*,

[1] Midden Sumatra, *cet.*, Araneae, p. 47. — Aculei subter in tibiis et metatarsis 1.ⁱ paris mediocres sunt, non, ut dicit Van Hasselt, « longitudine extraordinaria . . . valde notabiles ». An de specie loquitur a nostra diversa ?

C. L. Koch (quae figura feminam juniorem, non, ut dicit Koch, marem juniorem repraesentare videtur), vix nisi colore partis thoracicae et mandibularum obscuriore, metatarsis anticis utrinque nigris et pedibus posterioribus minus nigro-maculatis differt. — Cel. Karsch marem adultum hujus speciei non vidit: mas et femina, de quibus loc. cit. mentionem fecit, siccati sunt, et mas ille certe nondum adultus, quam ob causam mandibulas « sehr kurz » habet. — Pars thoracica in hac specie non plane aeque alta est ac pars cephalica, sed paullo humilior (praesertim in mare), ita ut C. L. Koch « thorax *fast* so hoch als der Kopf » jure dicere potuerit. — Longitudo diversa mandibularum in fam. Salticoidarum notas valoris generici non praebere, jam (in his Stud., III, p. 407) monui.

Species supra descripta sive *Janus melanocephalus*, C. L. Koch, quem typum generis *Janigenae* fecit Cel. Karsch (1), a gen. *Saltico* (Latr.) nob. vix alia nota discrepat, quam quod petiolum, quo abdomen cum cephalothorace conjungitur, longiorem et *in medio* articulatione praeditum habet (ut in gen. *Toxeo*); quare non nisi cunctanter gen. *Janigenam* accepi. Cephalothorax hujus araneae fere in medio constrictus quidem, ut in gen. *Toxeo* et *Synemosyna*, est; sed etiam in specie insequenti, *Saltico formoso*, n., eodem modo et paene aeque fortiter constrictus videtur cephalothorax; et haec nota in formis sequentibus generis *Saltici* gradatim minus minusque expressa evadit, ut mihi quidem interdum non liqueat, utrum « constrictus » dicendus sit cephalothorax, necne.

Gen. **Salticus** (Latr.), 1804.

262. **S. formosus**, n., *cephalothorace rufo, parte cephalica caeruleo-nigra, pedibus testaceis, nigro-lineatis, 4.i paris saltem femoribus testaceo-rufis; coxis 1.i paris nullo spatio separatis; pedibus 1.i paris in patellis aculeo 1, in tibiis 2. 2. 2. 2., in metatarsis 2. 2.*

(1) Arachnol. Blätter. VIII. Zur Kenntn. d. Attiden, *in* Zeitschr. f. d. gesammt. Naturwissenschaften, LIII, p. 394.

aculeis longis subter armatis, pedibus 2.[i] paris subter in tibiis 2. 2. 2., in metatarsis 2. 2. aculeis; abdomine longo et angusto, dimidio posteriore in dorso et in lateribus nigro, dimidio anteriore cinereo-testaceo (vitta transversa dorsuali fusca?), hoc colore pallido in lateribus in formam cunei retro producto; ventre secundum medium sub-cinereo-testaceo, fascia longitudinali nigra postice notato. — ♀ ad. *Long. circa* 5 *millim.*

FEMINA. — *Cephalothorax* paene duplo et dimidio longior quam latior, nitidissimus, paene laevis, arcubus supra-ciliaribus oculorum posticorum distinctissimis. Pars cephalica — quae parte thoracica modo paullo altior et non parum latior sed vix longior est, et ab ea sulco transverso forti, deorsum in latera producto separata — supra paene plana est, desuper visa paene quadrata, angulis posticis oblique truncatis: antice modo levissime rotundata est, ab oculis posticis anteriora versus lateribus rectis sensim paullulo angustata, ab his oculis posteriora versus lateribus paene rectis breviter et sat fortiter sensim angustata, postice truncata. Pars thoracica paullo longior quam latior est, lateribus anterius, ante medium, rectis et parallelis, tum lateribus primum rotundatis dein paene rectis posteriora versus sensim angustata, postice minus late rotundata, anguste marginata. A latere visa pars cephalica parum proclivis est, supra paene librata, recta, declivitate postica brevi, non praerupta; pars thoracica hoc modo visa antice brevi spatio paullo est proclivis, praeterea modice convexa (ad marginem posticum tamen paullo concavata) et declivis. Quadrangulus *oculorum*, qui non $^2/_5$ longitudinis cephalothoracis occupat, vix $^1/_4$ latior est quam longior, paullo latior postice quam antice. Oculi 4 antici contingentes sunt inter se; linea margines eorum superiores tangens leviter deorsum est curvata; medii eorum lateralibus triplo majores sunt. Oculi 2.[ae] seriei potius paullulo longius ab oculis lateralibus anticis quam a posticis oculis — si non plane in medio inter hos et illos — locati visi sunt. Oculi postici anticos laterales magnitudine aequant; spatio majore inter se remoti sunt, quam quo a marginibus cephalothoracis distant: quum desuper inspicitur cephalothorax, paullo foras eminent hi oculi, foras et sursum

spectantes. *Sternum* coxis paullo angustius, modo a coxis posticis ad coxas anticas (1.[i] paris) pertinens: coxae enim anticae (ut posticae) contingentes sunt inter se, nullum spatium inter se relinquentes.

Mandibulae paene directae, cylindrato-ovatae fere, apice intus oblique rotundato-truncatae, paene duplo longiores quam latiores, in dorso praesertim ad longitudinem convexae, nitidae, sub-rugulosae. *Maxillae,* quarum bases, ut basis labii, a coxis 1.[i] paris teguntur, parallelae sunt et labio saltem dimidio longiores; *labium* multo longius quam latius videtur, apice leviter rotundatum (?). *Palpi* formâ in feminis hujus familiae ordinariâ, sed minus lati quam in prioribus; lamina, quam conjunctim formant partes tibialis et tarsalis, triplo longior quam latior est, apice sub-acuminata, extus modo leviter, intus fortius rotundata. *Pedes* graciles, femoribus 4.[i] et praesertim 1.[i] paris basi non parum dilatatis et supra arcuatis; tibiae patellâ circa duplo longiores sunt, metatarsi 1.[i] paris tarso paene duplo, metatarsi 4.[i] paris tarso circa duplo et dimidio longiores. Coxae saltem 1.[i] et 4.[i] parium paullo longiores sunt quam latiores, trochanteres 4.[i] paris circa dimidio longiores quam latiores. Pedes 1.[i] paris subter in tibiis 2. 2. 2. 2., in metatarsis vero 2. 2 aculeis longis, sat fortibus, appressis et mobilibus armati sunt, et praeterea aculeum parvum subter in patellis habent; pedes 2.[i] paris subter in tibiis 2. 2. 2., in metatarsis 2. 2. aculeis minoribus muniti sunt; ceterum inermes sunt pedes. *Abdomen* longum et angustum, triplo longius quam latius, sub-cylindratum, postice sub-acuminatum, antice magis truncatum, impressione transversa paullo pone basin, parcius pubescens et pilosum. *Vulva* ex area parva constat, quae maculas duas rotundatas minutas nigras, inter se proximas, ostendit: pone eas strias duas minutissimas longitudinales nigras etiam magis inter se appropinquantes video; in liquido immersa formam crucis nigricantis prae se fert vulva.

Color. — *Cephalothorax* rufus, parte cephalica ad maximam partem caeruleo-nigra: modo in declivitate sua postica et in lateribus postice, infra (sub oculis posticis), rufa est, lateribus anterius violaceo-nigris; area maxima caeruleo-nigra oculos in-

cludenti postice, inter oculos posticos, colore rufo paullo emarginata est. Parce pallido-pubescens est cephalothorax, pilis duobus longis porrectis sursum curvatis in medio clypeo munitus; annuli angusti circum oculos anticos albi sunt. *Sternum* ferrugineo-testaceum. *Mandibulae* cyaneo-nigrae. *Maxillae* et *labium* picea, apice anguste testacea. *Palpi* nigro-violacei, basi fusci. *Pedes* testacei (4.ⁱ paris tibiae et praesertim femora testaceo-rufa), nigro-lineati: in pedibus 1.ⁱ paris femora postice sive extus fasciam nigram, antice vero maculam nigram habent, et metatarsi et tarsi (quorum illi antice paullo infuscati sunt) lineam nigram postice; in pedibus 2.ⁱ paris striam apicalem nigram antice in femoribus video; pedes 3.ⁱⁱ paris lineam nigram per coxam, trochanterem, femur, patellam, tibiam et metatarsum ductam antice ostendunt: 4.ⁱ paris pedes lineam ejusmodi antice in coxis et trochanteribus, maculam apicalem in femoribus et patellis, et fasciam vel lineam in tibiis umbramque basalem in metatarsis nigras habent. Aculei pedum nigri. *Abdomen* antice saltem usque ad medium cinerascenti-testaceum est, vestigiis vittae transversae fuscae in medio hujus partis, supra, praeterea vero nigerrimum; color cinereo-testaceus utrinque, in lateribus, in formam cunei brevis retro producitur, in ventre vero paene usque ad mamillas, quare venter cinereo-testaceus est, umbra vel fascia longitudinali media nigra postice notatus. *Mamillae* superiores nigrae, reliquae pallidiores.

Lg. corp. paullo plus 5; lg. cephaloth. paullo plus 2, lat. ej. 1; lg. abd. 2 $^3/_4$, lat. ej. 1 millim. Ped. I 3 $^3/_4$ (pat. + tib. 1 $^1/_3$, metat. + tars. paene 1), II 2 $^3/_4$, III 3, IV 4 $^3/_4$ (pat. + tib. paullo plus 1 $^1/_2$, metat. + tars. 1 $^1/_2$) millim. longi.

Exemplum femineum, quod unum vidi, ad Ajer Mancior Sumatrae cepit Cel. Beccari. Proprium genus ad hanc araneam recipiendam fortasse condi potest: coxis 1.ⁱ paris inter se contingentibus ut et oculis 2.ⁱ paris *non* longius ab oculis posticis quam a lateralibus anticis remotis a reliquis mihi cognitis *Salticis* differt. Quoad formam cephalothoracis vix a *Janigena melanocephala* (C. L. Koch) et a *Toxeo mandibulari*, n., differt, in quibus tamen petiolus longior est, articulatione *in ipso medio* sita.

263. **S. pectorosus**, n., *cephalothorace fusco-ferrugineo, parte cephalica picea vel nigra et multo altiori quam est pars thoracica; sterno coxas medias latitudine superanti; pedibus sub-testaceis, saltem* 1.[i] *paris nigro-lineatis, femoribus* 1.[i] *paris dilatatis, tibiis* 1.[i] *paris* 5 *paribus aculeorum sat parvorum subter armatis, tibiis* 2.[i] *paris subter aculeis minutis saltem* 1, 1., *metatarsis anterioribus* 2 *paribus aculeorum; abdomine duplo longiore quam latiore, in fundo nigricanti, vittis nonnullis transversis pallidis notato, quae in plagam longitudinalem utrinque dentatam coalitae sunt; mandibulis porrectis, parte cephalica paullo longioribus, triquetro-pyramidatis, supra sub-planis et extus rotundatis, ungui longo, inermi, basi et apice curvato.* — ♂ ad. *Long.* (*sine mandib.*) *circa* 4 $^1/_4$ *millim.*

Var. β, sternodes, *parte cephalica partem thoracicam altitudine non multo superanti; femoribus* 1.[i] *paris parum dilatatis, aculeis tibiarum* 1.[i] *paris earum diametro duplo longioribus, tibiis* 2.[i] *paris subter* 2. 2. 2. *aculeis armatis; abdominis dorso lineis nonnullis transversis pallidis notato, quarum prima, versus basin abdominis sita, in maculas duas magnas obliquas albo-pubescentes dilatata et abrupta est; mandibulis brevibus, sub-cylindrato-ovatis, magis deorsum directis, ungui aequaliter curvato; ceterum ut in forma princip.* (♂) *est dictum.* — ♀ ad. *Long. circa* 5 *millim.* (*nonne hujus speciei?*).

Mas. — *Cephalothorax* paene duplo longior quam latior, paullulo pone medium impressione profunda transversa munitus, quae in lateribus (sed non usque ad margines) producitur; pars cephalica multo altior, parum latior et paullo longior est quam pars thoracica, desuper visa paene quadrata, antice leviter rotundata, lateribus ante oculos posticos paene rectis et parallelis, pone hos oculos brevi spatio posteriora versus paullulo angustata; pars thoracica non longior quam latior, anterius lateribus paene rectis parum, dein vero fortius posteriora versus angustata, postice minus late rotundato-truncata, elevato-marginata. A latere visa pars cephalica sat fortiter proclivis est, supra recta, postice secundum lineam rectam praerupte declivis, hac declivitate dimidiam partem cephalicam longitudine fere aequanti; pars thoracica antice brevi spatio paene librata vel paullulo proclivis est,

praeterea modice declivis et parum convexa. Quadrangulus *oculorum*, qui saltem $^2/_5$ longitudinis cephalothoracis occupat, circa $^1/_4$ longior est quam latior, vix latior postice quam antice. Oculi medii antici, inter se contingentes, lateralibus anticis triplo majores sunt et ab iis spatio minuto separati; linea margines superiores oculorum anticorum tangens recta est. Oculi seriei 2.ae paullulo longius ab oculis posticis quam a lateralibus anticis distant; postici oculi, qui laterales anticos magnitudine aequant, vix longius inter se quam a marginibus cephalothoracis distant: quum desuper inspicitur cephalothorax, nullo spatio a margine ejus separati quidem videntur, sed non eminent. *Sternum*, solito latius, paullo plus duplo longius quam latius est: coxas intermedias latitudine superat et coxas 1.i paris latitudine aequat; spatium inter coxas 1.i paris dimidiam labii latitudinem saltem aequat.

Mandibulae porrectae, supra tamen proclives, triquetro-pyramidatae fere, a latere exteriore-inferiore transversim convexo visae paene triangulae et paullo longiores quam latiores basi, latere exteriore quasi in aciem exteriorem-superiorem dilatato-compresso, latere interiore alto, directo et plano; desuper visae parte cephalica paullo longiores sunt, circa triplo longiores quam latiores, in latere interiore paene rectae (a medio ad apicem fortasse paullulo divaricantes), in latere exteriore sat fortiter et aequaliter convexo-arcuatae, ita ut latitudo earum maxima paullo pone medium sita sit, et basi paullo sint latiores quam apice, ubi duplo angustiores sunt quam versus medium; in latere superiore sive dorso laevissimae et omnium nitidissimae sunt, paene rectae et planae (extus tamen paullo foras declives), marginibus et interiore et exteriore (acie exteriore-superiore) costa tenui marginatis. In margine inferiore-interiore dentes binos acuminatos sat longos, intus et paullo anteriora versus et deorsum directos ostendunt, quorum anterior paene aeque longe ab apice mandibulae atque a posteriore dente distat, hoc sat longe ante medium mandibulae sito. Sulcus unguicularis vix ullus: unguis dentibus illis intus fulcitur. Unguis retro directus est et mandibulam longitudine fere aequat; ad ipsam basin in-

flexus est, dein rectus, apice longo et gracili oblique incurvo. *Maxillae* paene parallelae, ante labium sub-quadrato-dilatatae, apice extus rotundatae, labio paene duplo longiores; *labium* fere dimidio longius quam latius, apice late truncatum. *Palpi* mandibulis non parum longiores sunt, a basi partis patellaris sensim latiores, partibus patellari et tibiali deplanatis: pars patellaris parum longior est quam latior apice, pars tibialis ejus longitudine, sub-quadrata, vix latior apice quam longior, apice lateris exterioris in spinam acuminatam, basi partis tarsalis adjacentem, deorsum, foras et anteriora versus directam producto; pars tarsalis sub-ovata, convexa, in latere exteriore leviter sinuata, apice obtusa, partibus duabus prioribus conjunctis multo longior, parte tibiali duplo latior. *Pedes* graciles; femora tamen 1.ⁱ paris, reliquis multo latiora, a latere visa mandibulas latitudine paene aequant, ab apice basin versus sensim paullo dilatata, sub-compressa et ad basin supra convexo-arcuata; etiam reliqua femora ad basin paullo latiora sunt. Coxae 1.ⁱ et 4.ⁱ parium longiores quam latiores, 1.ⁱ paris reliquis crassiores; trochanteres parvi, 4.ⁱ paris exceptis, qui non parum longiores sunt quam latiores. Metatarsi 1.ⁱ paris, tarso paene duplo longiores, paullulo deorsum curvati videntur; metatarsi 4.ⁱ paris tarso $2\,{}^1/_2$–3.plo longiores sunt. Tibiae 1.ⁱ paris subter 5 paribus aculeorum appressorum sat parvorum armati sunt, patellae aculeo saltem 1 minuto, metatarsi 2 paribus aculeorum majorum; in pedibus 2.ⁱ paris aculeos minutos et graciles modo 1. 1. in tibiis (num semper ita?) et 2. 2. in metatarsis subter video. *Abdomen* duplo longius quam latius, ovato-ellipticum; versus basin utrinque impressionem levem transversam habere videtur. *Petiolus* brevis, articulatione prope abdomen sita.

Color. — *Cephalothorax* ferrugineo-fuscus, parte cephalica supra magis picea, oculis utriusque lateris nigrore cinctis et inter se unitis; pube crassiore alba munitus (vestitus?) est, quae in nostro exemplo satis detrito praesertim inter et sub oculis utriusque lateris remanet; annuli circum oculos anticos et pili clypei albi quoque. *Sternum* testaceo-ferrugineum. *Mandibulae* piceae, supra sub-aeneae. *Maxillae* et *labium* ferrugineo-fusca. *Palpi* sub-ferru-

ginei, parte tarsali (cum apice partis tibialis) picea, summo apice pallido-, praeterea nigro-pubescentes. *Pedes,* excepto 2.[i] paris, qui toti testacei sunt, testaceo-rufi dicendi, coxis, trochanteribus et tarsis flavo-testaceis; in 1.[i] paris pedibus patellae et tibiae quoque magis testaceae sunt, linea longitudinali nigra in latere posteriore notatae, metatarsi paene toti (vel saltem in lateribus) nigri; in pedibus posterioribus, saltem 4.[i] paris, tibiae et metatarsi apice late testacei sunt, umbra nigricanti in apice femorum, postice. *Abdomen* nigricans, vittis transversis latis fusco-testaceis circa quinque in dorso notatum, quae inter se in plagam fere folii-formem, in lateribus profunde dentatam, totum paene dorsum, basi excepta, occupantem coalitae sunt; supra ipsum anum praeterea lineolae 2–3 transversae pallidae conspiciuntur. Pube alba munitus fuisse videtur abdomen, cujus vestigia remanent praesertim in impressionibus illis ad basin sitis. Venter ante rimam genitalem et secundum medium pallidior, scutis pulmonalibus obscuris. *Mamillae* pallidae.

Femina (Var. β, sternodis). — *Cephalothorax* eadem est forma atque in mare, excepto quod pars cephalica minus alta est, a latere visa ante oculos posticos omnium levissime convexa, pone hos oculos multo minus praerupte declivis, hac declivitate breviore quam in mare. Quadrangulus *oculorum* manifeste paullulo latior est postice quam antice, et oculi postici, qui majore spatio inter se quam a marginibus cephalothoracis distant, paullo eminent, quum desuper inspicitur cephalothorax. Praeterea oculi sunt ut in mare diximus. *Sternum, maxillae* et *labium* ut in illo. *Mandibulae* multo minores quam in mare, deorsum et anteriora versus directae, sub-cylindrato-ovatae, apice oblique rotundato-truncatae, dimidio longiores quam latiores, supra ad basin, praesertim extus, transversim profunde impressae, fortiter geniculatae, dorso praeterea ad longitudinem paene recto, transversim convexo, subtiliter rugoso, nitido, parce pubescenti. Sulcus unguicularis dentibus sat parvis antice 5, postice 6–7 armatus est. Unguis sat longus, aequaliter curvatus. *Palpi* dilatati et deplanati quidem, sed non latissimi; pars patellaris paene dimidio longior est quam latior apice, pars tibialis paullo longior quam

latior: cum parte tarsali laminam format, quae triplo longior est quam latior, extus modo levissime, intus paullo fortius rotundata. *Pedes* (conf. mensuras) paullo breviores et minus graciles quam in mare, praeterea ut in eo, excepto quod femora 1.ⁱ paris, quamquam femoribus reliquis non parum latiora, minus lata sunt quam in mare. Eodem modo atque in eo aculeati sunt pedes, excepto quod tibiae 2.ⁱ paris subter 2. 2. 2. aculeos habent, et quod aculei in tibiis et metatarsis 1.ⁱ paris longiores et paullo fortiores sunt, in tibiis diametro earum circa duplo longiores. *Abdomen* anguste et inverse ovatum. *Vulva* aream parvam angustam longam — quasi lineolam — fuscam format.

Color a maris colore paullo differt. *Cephalothorax*, paullo pallido-pubescens, ferrugineo-fuscus est, parte cephalica nigra. *Sternum* et *partes oris* picea. *Palpi* fusci, apice late (saltem parte tarsali) pallide testacei. *Pedes* testacei, nigro-fasciati, tarsis, praesertim 1.ⁱ paris, flavo-testaceis; femora omnia (2.ⁱ paris exceptis) in lateribus nigra sunt, hac fascia nigra ut fascia vel linea saltem in latere exteriore pedis usque ad tarsos continuata: in pedibus tamen 2.ⁱ paris modo lineam nigram antice in femore et patella video; in pedibus posterioribus linea nigra patellae, tibiae et metatarsi modo extus adest; patella 4.ⁱ paris apice supra nigra est. *Abdomen* nigro-fuscum, nitidum, pilis parvis pallidis sparsum; secundum paene totam longitudinem, basi excepta, lineas nonnullas transversas recurvas pallidas ostendit, quarum prima dilatata est et in maculas duas magnas obliquas abrupta, secunda eâdem fere formâ, sed brevior et, ut videtur, cum priore unita; saltem maculae illae duae magnae obliquae pube alba vestitae sunt. Venter cum mamillis fusco-cinerascens.

♂. — Lg. corp. (sine mandib.) paene 4 $^1/_4$; lg. cephaloth. 2, lat. ej. circa 1; lg. abd. 2, lat. ej. paene 1 millim. Ped. I circa 4 $^1/_2$ (pat. + tib. paene 2, tib. 1 $^1/_3$, metat. + tars. 1 $^1/_6$), II circa 3 $^1/_2$, III circa 4, IV paene 6 (pat. + tib. 1 $^3/_4$, tib. 1 $^1/_4$, metat. + tars. 1 $^2/_3$) millim. Mandib. circa 1 millim. longae.

♀. — Lg. corp. paullo plus 5; lg. cephaloth. 2 $^1/_2$, lat. ej. paene 1 $^1/_4$; lg. abd. paene 3, lat. ej. 1 $^1/_2$ millim. Ped. I circa 3 $^2/_3$ (pat. + tib. paene 1 $^1/_2$, tib. paene 1, metat. + tars. 1),

II paullo plus 3, III 3 $^1/_2$, IV 5 (pat. + tib. paene 1 $^3/_4$, tib. parum plus 1, metat. + tars. 1 $^1/_2$) millim. longi.

Exemplum singulum utriusque sexus hujus araneae, quae sterno solito latiore praesertim distincta videtur, in monte Singalang Sumatrae invenit Cel. Beccari.

Quum non tantum forma cephalothoracis et colore abdominis, verum etiam armatura pedum paullo alia, cet., a mare *S. pectorosi* differat femina supra descripta, facile fieri potest, ut non varietas ejus, sed propria sit species.

264. **S. alticeps**, n., *cephalothorace ferrugineo-fusco, parte cephalica alta, fascia nigra oculos utriusque lateris conjungenti utrinque notata et, pone medium, maculis duabus nigris; sterno coxas medias latitudine saltem aequanti; pedibus ferrugineo- et flavo-testaceis, metatarsis* 1.[i] *paris utrinque nigris, tibiis* 1.[i] *paris* 4 *paribus, metatarsis hujus paris* 2 *paribus aculeorum subter armatis; abdomine duplo longiore quam latiore, nitidissimo, piceo, macula supra-anali pallida et fascia transversa pallida ante medium dorsi sita ornato; mandibulis maris triquetris, porrectis, partem cephalicam longitudine aequantibus, saltem 4.plo longioribus quam latioribus, desuper visis intus rectis, extus apice sensim rotundato-angustatis (lateribus praeterea paene parallelis), latere superiore ad longitudinem sat fortiter convexo-arcuato, transversim paullo convexo et foras declivi; ungui longo, inermi, basi et apice incurvo, praeterea recto.* — ♂ ad. *Long. circa* 3 $^3/_4$ (*cum mandib. paene* 5) *millim.*

Mas. — Prioris, *S. pectorosi,* mari hic valde affinis est, forma mandibularum, armatura tibiarum 1.[i] paris, colore alio, cet., tamen sine negotio dignoscendus. — *Cephalothorax* paene duplo longior est quam latior, non parum pone medium sulco transverso profundo ad medium laterum pertinenti sub-constrictus, parte cephalica multo altiore, paullo latiore et non parum longiore quam est pars thoracica, desuper visa paene quadrata, antice leviter rotundata, lateribus ante oculos posticos rectis et parallelis, pone hos oculos brevi spatio posteriora versus sensim paullo angustata; pars thoracica vix longior quam latior est,

lateribus anterius paene rectis et parallelis, posterius leviter rotundatis, posteriora versus sat fortiter angustata, postice anguste rotundata, elevato-marginata. A latere visa pars cephalica (quae inter oculos modo levissime convexa, paene plana est) aeque alta est ac longa, ante oculos posticos supra paene recta et parum proclivis, postice secundum lineam rectam praerupte declivis, hac declivitate dimidiam superficiem superiorem partis cephalicae longitudine circiter aequanti; pars thoracica antice brevi spatio librata est, praeterea satis praerupte declivis et modo paullo convexa. Quadrangulus *oculorum* paullo plus $^2/_5$ longitudinis cephalothoracis occupat; fere $^1/_4$ latior est quam longior, et parum latior postice quam antice. Oculi medii antici, inter se contingentes, lateralibus anticis saltem triplo majores sunt et ab iis spatio modo minuto disjuncti; linea margines superiores oculorum anticorum tangens recta est. Oculi seriei 2.ae paullulo longius ab oculis posticis quam a lateralibus anticis distant; oculi postici, qui vix longius inter se quam a margine cephalothoracis sunt remoti, lateralibus anticis non parum majores sunt et paullo altius quam ii positi. Quum desuper inspicitur cephalothorax, hi oculi ad ipsum marginem ejus locati videntur, attamen non ultra eum eminentes. *Sternum*, paene triplo longius quam latius, sat latum est, coxas intermedias latitudine aequans, immo paullo superans; spatium inter coxas 1.i paris labii latitudine non multo minus videtur.

Mandibulae anteriora versus et paullo deorsum directae, parallelae, triquetrae, cephalothoracis partem cephalicam longitudine circiter aequantes; desuper visae saltem 4.plo longiores quam latiores sunt, in latere interiore rectae, latere exteriore versus apicem sat fortiter, praeterea vero vix vel parum rotundato sive arcuato, ita ut a basi ad $^3/_4$ longitudinis sensim modo levissime latiores evadant mandibulae, dein vero sensim non parum rotundato-angustatae, apice inaequaliter truncato paullo angustiore quam basi. A latere visae supra ad basin paullo depressae sunt, dein usque ad apicem sat fortiter convexo-arcuatae, subter paene rectae. Latus superius, et intus et extus costa tenui marginatum, transversim paullo convexum et foras declive est, laeve et ni-

tidissimum; latus exterius-inferius transversim parum est convexum, latus interius directum et planum. Sulcus unguicularis, inferus et parum expressus, ad ipsam basin unguis intus (supra) dente sat forti conico anteriora versus et intus directo armatus est, et non multo pone eum dente alio graciliore sed non multo breviore; in margine sulci inferiore sive exteriore, posterius, seriem rectam dentium gracilium minorum 3 vel 4 video. Unguis mandibulam longitudine paene aequat; retro directus est, muticus, sat gracilis, basi subito deorsum curvatus, apice longo et gracili eodem modo curvato, praeterea rectus. *Maxillae* formâ in hoc genere solitâ; *labium* multo longius quam latius. *Palpi* mediocres, mandibulis vix vel non longiores, a basi partis patellaris sensim modice dilatati, partibus patellari et tibiali deplanatis. Pars patellaris a basi ad apicem sensim modo paullo dilatata est, paene dimidio longior quam latior apice; pars tibialis ejus est longitudine, a basi ad apicem sensim paullo fortius dilatata, aeque paene longa ac lata apice, lateris exterioris apice in spinam parvam gracilem paullo incurvam, anteriora versus et paullo foras directam producto. Pars tarsalis prioribus duabus conjunctis parum brevior est, parte tibiali vix dimidio latior, convexa, fere duplo longior quam latior, sub-ovata, latere exteteriore paene recto; bulbus sat magnus, humilis, rotundatus, spina gracillima in circulum involuta ut videtur cinctus. *Pedes* breves, graciles valde; femora 1.i paris, reliquis versus basin latiora, mandibulis multo angustiora sunt. Metatarsi 1.i paris tarso duplo sunt longiores, metatarsi 4.i paris tarso circa duplo et dimidio longiores. Subter tibiae 1.i paris 4 paribus aculeorum sat parvorum gracilium appressorum munitae sunt, metatarsi 1.i paris 2 paribus aculeorum paullo majorum, patellae, ut videtur, aculeis duobus minutis. In tibiis 2.i paris modo tres aculeos minutos subter, extus, video, in metatarsis hujus paris 2. 2. aculeos ejusmodi. Coxae 1.i et 4.i parium longiores quam latiores, 1.i paris reliquis vix latiores; trochanteres 4.i paris paullulo longiores quam latiores. *Abdomen* duplo longius quam latius, ovato-ellipticum fere, nitidissimum, nec constrictum neque utrinque impressum. *Petiolus* brevis, articulatione prope abdomen sita

Color. — *Cephalothorax* ferrugineo-fuscus, fascia longitudinali nigra, quae oculos tres utriusque lateris conjungit, utrinque in parte cephalica notatus, et praeterea maculis duabus parvis nigris pone medium hujus partis sitis; pilis paucis longis nigris antice sparsus est, paulloque pallido-pubescens, clypeo utrinque albo-pubescenti et -piloso, oculis anticis annulo angustissimo albo cinctis. *Sternum, maxillae* et *labium* obscure ferrugineo-fusca. *Mandibulae* paullo clarius ferrugineo-fuscae, colorem viridi-aeneum paullo sentientes. *Palpi* sordide testacei, partibus patellari, tibiali et tarsali nigricantibus. *Pedes* ad magnam partem sordide vel sub-ferrugineo-testacei, praeterea flavo-testacei: pedes 2.i et 3.ii parium (hi praesertim apicem versus) et tarsi omnes flavo-testacei sunt, metatarsi 1.i paris tamen in lateribus nigri; femora et tibiae 1.i paris praesertim subter paullo infuscata videntur. *Abdomen* nigro-piceum, macula sat magna cinereo-testacea supra ad mamillas et vitta transversa lata ejusdem coloris sed minus distincta fere inter basin et medium dorsi sita ornatus; venter sordide cinereo-fuscus. *Mamillae* superiores cinereo-albicantes, inferiores obscuriores.

Lg. corp. 3 $^3/_4$ millim.; lg. cephaloth. 1 $^5/_6$, lat. ej. 1; lg. abd. paene 2, lat. ej. paene 1 millim. Ped. I 3 $^1/_4$ (pat. + tib. paene 1 $^1/_2$, tib. 1, metat. + tars. 1), II paene 2 $^3/_4$, III paullo plus 3, IV 4 $^1/_4$ (pat. + tib. paene 1 $^1/_2$, metat. + tars. 1 $^1/_4$) millim. longi. Mandib. paene 1 $^1/_4$ millim. longae, circa $^1/_3$ millim. latae.

Cel. Beccari marem, quem unum hujus speciei vidi, in Java ad Tcibodas invenit. Etiam in hac specie sternum paullo latius est quam in specie typica, *S. formicario* (DeGeer), qui sternum coxis intermediis paullulo angustius (vel eas latitudine saltem non superans) habet.

265. **S. leptognathus**, n., *cephalothorace duplo longiore quam latiore, nigro, albo-piloso, parte thoracica in medio rufescenti; abdomine sub-lanceolato, sub-piceo, albo-pubescenti, macula apicali pallida; mandibulis sub-cylindratis, porrectis, cephalothorace longioribus; pedibus flavo-testaceis, metatarsis* 1.i *paris nigris, linea longitudinali flavo-testacea supra et subter, femoribus vero et tibiis*

ejusdem paris linea longitudinali nigricanti extus notatis; tibiis 1.ⁱ *paris aculeis paucis debillimis subter armatis.* — ♂ ad. *Long. circa* 4 $^{1}/_{4}$ (*cum mandib. circa* 6 $^{3}/_{4}$) *millim.*

Mas. — *Cephalothorax* sat longus et angustus est, duplo longior quam latior antice, paene dimidio longior quam tibia cum patella 4.ⁱ paris. Limes inter partes cephalicam et thoracicam sulcis duobus procurvis sat longe pone oculis posticis sitis formatur, qui sulci sat longe anteriora versus et deorsum in lateribus producti sunt et in medio dorsi transversim inter se conjuncti (hic vero magis obsoleti). Frons leviter rotundata; pars cephalica, quae paullo longior est quam latior et parte thoracica fere dimidio longior eàque paullo latior et non parum altior, lateribus paene parallelis et praesertim posterius leviter rotundatis pone oculos posticos sensim paullo est angustata. Pars thoracica vix longior quam latior est, lateribus rotundatis praesertim posterius posteriora versus sensim angustata, semi-elliptica fere. Pars cephalica, supra paene plana et modo transversim paullulo convexa, a latere visa inter oculos recta et parum proclivis est, pone oculos posticos sat longe et sat leviter declivis et ita in partem thoracicam (usque a parte cephalica sensim modice declivem et convexam) satis aequaliter transiens. Arcus supra-ciliares oculorum posticorum bene expressi sunt et postice impressione levi sub-procurva limitati. Praeterea paene laevis est cephalothorax, modo subtilissime coriaceus, nitidus, pilis sparsus. Clypeus directus, humillimus; margo cephalothoracis antice utrinque, ad basin lateris exterioris mandibulae, dentem parvum porrectum format. *Oculi* antici seriem rectam designant; medii eorum, inter se contingentes, saltem triplo majores sunt quam laterales, a quibus spatio minuto separati sunt. Oculi seriei 2.ᵃᵉ paullo longius ab oculis posticis quam a lateralibus anticis sunt remoti; oculi seriei 3.ⁱᵃᵉ sive postici, foras spectantes, paullulo majores et paullo altius locati sunt quam laterales antici. Quadrangulus oculorum paullo latior est postice quam antice, et paullo latior quam longior. *Sternum* sat longum et angustum, coxis mediis saltem non latius.

Mandibulae longissimae, graciles, cephalothorace paullo longiores, circa 5.plo longiores quam latiores, plane porrectae et libratae, parallelae, rectae et cylindratae (non planae supra), excepto quod intus complanatae sunt et hic inter medium et apicem (magis versus hunc) levissime angustatae, ita ut ad apicem paullo incurvae sive late et levissime emarginatae videantur, latere exteriore tamen toto recto et supra costa tenui recta marginato. Supra nitidissimae sunt, transversim leviter rugosae, pilisque sat densis sparsae. Prope basin unguis, intus et magis supra, dentes inaequales modo duos vel tres ostendunt; paullo magis infra vero, intus, serie longa dentium gracilium circiter 8 intus, paullulo deorsum et anteriora versus directorum sunt munitae, quorum primus, non procul ab apice mandibulae situs, procurvus est et reliquis non parum longior, diametrum mandibulae longitudine fere aequans, (1 vel) 2 sequentes parvi, non multo a primo et a proxime sequenti remoti, reliqui recti, mediocri longitudine, longius inter se distantes. (Forma et dispositio horum dentium in mandibula dextra et sinistra paullo differunt). Unguis, qui oblique intus et retro dirigitur, longus et gracilis est, ipsam mandibulam longitudine fere aequans, secundum maximam longitudinis partem rectus: ad ipsam basin fortiter est incurvus, tum paullo retro sub-fractus et rectus, apice sat longo modice incurvo; versus apicem subter paullo inaequalis est. *Maxillae* longae et basi angustae, paullo divaricantes, formâ in hoc genere ordinariâ; *labium* duplo longius quam latius. *Palpi* sat graciles et breves, mandibulis circa duplo breviores, non deplanati; pars patellaris cylindrata est, saltem dimidio longior quam latior; pars tibialis, parte patellari non parum longior, basi ejus latitudine est, a basi ad apicem oblique rotundatum lateribus rectis sensim paullo dilatata, vix duplo longior quam latior apice, ipso apice antico lateris exterioris angulum vel dentem brevissimum formanti. Pars tarsalis parte tibiali non parum longior est, et apice ejus circa dimidio latior, saltem dimidio longior quam latior, sub-ovata fere, basi late truncata, supra modice convexa. Bulbus parvus humilis rotundatus non dimidiam longitudinem partis tibialis occupat: apice

circulum parvum (setam in gyrum involutam?) ostendit. *Pedes* graciles, parcius pilosi, breves (femora 1.ⁱ paris porrecta circiter ad medium mandibularum pertinent), 4.ⁱ paris pedes cephalothorace non multo plus duplo longiores; tibia 1.ⁱ paris patellâ duplo longior est, metatarsus hujus paris tarso circa duplo longior quoque; in pedibus 4.ⁱ paris tibia patellâ paene duplo est longior. Trochanteres 4.ⁱ paris aeque longi ac lati sunt. In tibiis 1.ⁱ paris subter, magis extus, aculeos gracillimos breves paucos (3) video, et unum alterumve magis intus; metatarsi hujus paris 2. aculeos subter habere videntur; in apice femorum 4.ⁱ paris aculeos parvos binos video; praeterea inermes visi sunt pedes. *Abdomen* lanceolatum, fere duplo et dimidio longius quam latius, nitidissimum, pubescens; *petiolus* brevis, non in medio articulatus. *Mamillae* longiores.

Color. — *Cephalothorax* niger, parte cephalica supra paullo aeneo-micanti, parte thoracica anterius, in medio, piceo-rubra; parum dense albo-pubescens est, clypeo utrinque pilis longis densis albis vestito. *Oculi* medii antici annulo angustissimo albicanti cincti. *Sternum* piceo-ferrugineum. *Mandibulae* piceo-rubrae, apice paullo pallidiores, versus basin supra aeneum colorem sentientes. *Maxillae* et *labium* nigricantia, illae apice intus sordide testaceae. *Palpi* sordide testacei, parte tarsali nigra, bulbo ferrugineo. *Pedes* flavo-testacei toti, excepto quod metatarsi 1.ⁱ paris in lateribus nigri sunt, et quod femora et tibiae ejusdem paris lineam longitudinalem nigricantem secundum latus exterius ostendunt. *Abdomen* nigro-piceum, in aeneum colorem paullo exiens, pube alba sparsum, apice dorsi pallide testaceo; venter nigricanti-testaceus. *Mamillae* nigrae.

Lg. corp. (sine mandibulis) 4 $^1/_4$ millim.; lg. cephaloth. 2 $^1/_5$, lat. ej. parum plus 1; lg. abd. 2 $^1/_4$, lat. ej. paene 1 millim. Ped. I paullo plus 4 (pat. + tib. 1 $^1/_2$, metat. + tars. 1), II 3 $^1/_4$, III paene 3 $^1/_2$, IV 4 $^3/_4$ (pat. + tib. 1 $^1/_2$, metat. + tars. paene 1 $^1/_2$) millim. longi. Mandib. 2 $^1/_2$ millim. longae, parum plus $^1/_2$ millim. latae.

Singulum marem vidi, ad Tcibodas in Java a Beccari captum.

266. **S. angustus**, Thor.

Syn.: 1877. *Salticus angustus*, Thor., Studi, *cet.*, I, Ragni di Selebes, loc. cit., p. 553 (213).

Species ad Kandari in Celebes inventa, quae a priore, *S. leptognatho*, n., corpore valde angusto, parte cephalica partem thoracicam altitudine parum superanti, mandibulis brevioribus et aliter formatis, cet., sine negotio dignosci potest. Tibiam cum patella 1.[i] paris paene 1 $^{2}/_{3}$ millim. longam habet, tibiam cum patella 4.[i] paris parum plus 1 $^{1}/_{2}$, metatarsum cum tarso hujus paris 1 $^{1}/_{3}$ millim. longum. Sternum circa 7.plo longius est quam latius, et coxis intermediis multo angustius.

Gen. **Agorius**, Thor., 1877.

267. **A. gracilipes**, Thor.

Syn.: 1877. *Agorius gracilipes*, Thor., Studi, *cet.*, I, Ragni di Selebes, loc. cit., p. 557 (217).

Habitat in Celebes, ad Kandari inventus.

Gen. **Harmochirus**, Sim., 1886.

268. **H. nervosus**, n., *cephalothorace piceo, supra squamulis aureo-olivaceis, in lateribus squamulis aureo-cupreis vestito; abdomine rotundato, piceo, supra nitidissimo, et saltem in lateribus squamulis cupreo-purpureis munito; pedibus* 1.[i] *paris piceis, apice pallidioribus, trochanteribus paene duplo longioribus quam latioribus, femoribus subter, tibiis et supra et subter fascia longa angusta pilorum densorum nigrorum praeditis, tibiis a latere visis circa triplo longioribus quam latioribus, metatarsis tibiâ brevioribus; pedibus posterioribus testaceis, plus minus nigro-fasciatis -lineatisve, femoribus basi excepta nigris.* — ♂ ad. *Long. circa* 3 $^{3}/_{4}$ *millim.*

Mas. — *Cephalothorax* circa $^{1}/_{5}$ longior est quam latior, aeque fere longus ac tibia cum dimidia patella 1.[i] paris, et paullo brevior quam patella + tibia + metatarsus 4.[i] paris. Modice altus est, lateribus directis, latitudine maxima paullulo pone

medium, ad oculos posticos, sita; anterius paene planus est, pone oculos posticos paullo excavatus, quo fit, ut hi oculi lateri exteriori protuberantiae humilis quidem sed amplae impositi videantur, arcubus supra-ciliaribus optime expressis; elevatio utrinque, inter oculos anticos laterales et oculos 2.ae seriei, humillima est. Desuper visus ab oculis posticis anteriora versus lateribus levissime concavatis sensim paullo angustior evadit cephalothorax, pone hos oculos lateribus modo leviter rotundatis posteriora versus sensim fortiter angustatus; antice late et levissime rotundatus est, postice breviter sub-truncatus. A latere visus anterius, usque ad oculos posticos, parum convexus est et, praesertim antice, modice proclivis; ab his oculis posteriora versus vero sat praerupte declivis et paullo concavatus est, hac parte dorsi posteriore aeque saltem longa atque est pars anterior proclivis. Clypei altitudo circa $^1/_3$ diametri oculi maximi aequare videtur. Quadrangulus *oculorum* paullo plus dimidiam cephalothoracis longitudinem occupat; non parum (circiter dupla diametro oculi postici) latior est postice quam antice, aeque fere latus antice ac longus, postice vero evidentissime latior quam longior: postice saltem aeque latus est ac cephalothorax eodem loco. Linea recta margines superiores oculorum anticorum mediorum tangens laterales anticos paullo sub margine superiore secat. Oculi antici medii, inter se contingentes, lateralibus anticis circa triplo majores sunt et ab iis modo spatiis minutis separati. Oculi 2.ae seriei minuti non parum (non dimidio tamen) longius ab oculis lateralibus anticis quam a posticis oculis distant; oculi postici, lateralibus anticis parum minores et diametro sua altius quam ii positi, paene duplo longius inter se quam a margine cephalothoracis sunt remoti. *Sternum* sub-ovatum, coxis posterioribus (vix vero coxis 1.i paris) latius; spatium inter coxas 1.i paris labii latitudinem saltem aequat.

Mandibulae paene directae, parallelae et sub-cylindratae, altitudinem faciei longitudine vix aequantes, extus ad longitudinem leviter rotundatae, dorso sub-plano, transversim sat fortiter rugoso-striato et extus costa tenui paullo incurva limitato; paene duplo longiores sunt quam latiores, coxas 1.i paris latitudine fere ae-

quantes. *Maxillae* parum divaricantes, circiter duplo longiores quam latiores et labio duplo longiores; apice et intus et extus oblique truncatae sunt, apice extus angulum formanti. *Labium* paullo longius quam latius, apicem rotundato-truncatum versus sensim angustatum. *Palpi* sat breves et graciles; pars patellaris dimidio longior quam latior est, pars tibialis eâ paullo angustior et multo brevior, apice oblique truncata, in latere exteriore (longiore) aeque longa ac lata apice; apex lateris exterioris in spinam a basi lata sensim angustatam, leviter sinuatam, anteriora versus et paullo foras directam productus est, quae spina ipsa parte tibiali paullo est longior. Pars tarsalis partes duas priores conjunctas longitudine paullo superat, parte tibiali plus dimidio latior; ovato-piriformis fere est, intus versus basin dilatata et fortius quam extus rotundata, apice angusto. Bulbus brevis, paullo latior quam longior, antice oblique truncatus, praeterea rotundatus, simplicissimus, leviter convexus. *Pedes* 1.[i] paris longissimi et, metatarsis tarsisque gracilibus exceptis, robusti, tibia praesertim valde lata, compressa; coxa hujus paris fortis est et plus dimidio longior quam latior, trochanter eâ non parum angustior et paullo brevior quoque, paene duplo longior quam latior; femur ipsa basi angustum quidem est, dein vero supra cito et fortiter dilatatum, compressum, a latere visum supra versus basin fortiter, subter modo leviter arcuatum, et circa triplo longius quam latius versus basin. Patella desuper visa femoris latitudine fere est (praeterea eo angustior) et circa duplo et dimidio longior quam latior apice; tibia patellâ circa dimidio est longior, compressa, a latere visa femore paullo latior, et circa triplo longior quam latior, supra et subter aequaliter et modice arcuata; metatarsus et tarsus graciles et cylindrati sunt, metatarsus tarso circa dimidio longior. In tibiis subter aculeos sex longos et sat fortes habent pedes 1.[i] paris, in series duas parallelas longe inter se remotas ordinatos, et inter eas fasciam longam angustam pilorum densorum longorum, quae fascia subter in patellas continuatur; etiam supra tibiae ejusmodi fascia (« fimbria ») ornatae sunt. Metatarsi subter aculeis 2. 2. valde longis et fortibus sunt armati. Praeterea pedes

hujus paris inermes videntur, pilis longioribus patentibus praesertim in metatarsis et tarsis muniti. Pedes sex posteriores sat graciles et breves sunt, tibiae patellà circa dimidio (in pedibus 4.^{i} paris duplo) longiores; femora et patellae horum (ut 1.^{i} paris) pedum aculeis carere videntur. Tibiae 2.^{i} paris subter 1. 2. 1., metatarsi hujus paris subter 2. 2. aculeos graciles et sat parvos ostendunt; 4.^{i} paris (non vero 3.^{ii} paris) aculeis carere videntur. *Abdomen* parum longius quam latius, paene orbiculatum, supra laevissimum et nitidissimum. *Mamillae* breves, superiores multo angustiores sed paullo longiores quam inferiores, art. 2.° parvo, aeque fere longo ac lato.

Color. — *Cephalothorax* nigro-piceus est, squamulis crassioribus angustis aureo-olivaceis sat densis supra vestitus, squamulis in medio declivitatis posticae vero albis: in lateribus et in clypeo squamulis aureo-cupreis eodem modo tectus videtur, linea vel fascia angusta albissima e pube densa formata utrinque, secundum ipsum marginem lateralem nigrum, notatus. *Sternum* piceum, albicanti-pilosum. *Partes oris* piceae quoque. *Palpi* ejusdem coloris, partibus patellari, tibiali et tarsali clarioribus, parte tarsali praesertim, quae testaceo-picea est et albo-pilosa. *Pedes* 1.^{i} paris picei, nigro-pilosi, nigro- et fusco-aculeati, metatarsis fusco-testaceis, tarsis, apice sub-testaceo excepto, magis fuligineis. Pedes sex posteriores testacei, femoribus basi excepta nigris, patellis basi et apice plus minus evidenter nigris, tibiis utrinque vel saltem in latere altero nigris vel linea longitudinali nigra signatis, metatarsis posterioribus quoque versus basin linea abbreviata nigra notatis. *Abdomen* nigro-piceum est, supra nitidissimum et pilis parvis pallidis sparsum; in declivitate antica et supra anum, ut et in lateribus, squamulis cyaneo- vel cupreo-purpureis vestitum videtur: etiam antice in dorso vestigia pauca squamularum ejusmodi ostendit. Venter piceus praesertim anterius pube longiore albicanti est munitus, pone rimam genitalem vero, saltem anterius, squamulis purpureo-cyaneis vestitus. *Mamillae* sub-testaceae, apice pallidiores.

Lg. corp. $3\,^{3}/_{4}$ millim. Lg. cephaloth. 2, lat. ej. paene $1\,^{2}/_{3}$, lat. front. $1\,^{1}/_{2}$; lg. abd. $1\,^{3}/_{4}$, lat. ej. circa $1\,^{1}/_{2}$ millim. Ped. I

circa 6 (troch. paullo plus $^1/_2$, fem. 1 $^1/_2$, pat. + tib. paene 2 $^1/_2$, tibia 1 $^1/_4$, metat. + tars. 1 $^4/_5$, metat. paullo plus 1), II saltem 4, III 4, IV 4 $^1/_4$ millim. longi; pat. + tib. III 1 $^1/_4$, pat. + tib. IV paullulo plus 1 $^1/_3$, metat. + tars. IV parum plus 1 $^1/_3$ millim.

Specimen singulum masculum supra descriptum ad Sungei Bulu Sumatrae invenit Cel. Beccari.

Rhombonotus similis, Van Hass. (1), ad genus *Harmochirum* propius quam ad *Rhombonotum*, L. Koch, accedere videtur, oculis 2.ae seriei tamen longius ab oculis posticis quam a lateralibus anticis remotis cum *Rhombonoto* conveniens et ab *Harmochiro* discrepans — nonne proprii generis (*Rhomochiri*, n.)?

269. **H. brachiatus** (Thor.).

Syn.: 1877. *Ballus brachiatus*, Thor., Studi, *cet.*, I, Ragni di Selebes, loc. cit., p. 626 (286).

Haec species, ad Kandari in Celebes inventa, priori valde affinis est, et ad formam et ad colorem: mas tamen *H. brachiati* facile eo internosci potest, quod in pedibus 1.i paris ejus metatarsus tibiam longitudine paullulo superat, quod « fimbria » supra in tibiis parum distincta est, et femora fimbria carent, ut et quod procursus partis tibialis palporum ipsius internodii diametrum longitudine non aequat; in mare *H. nervosi* contra pedes 1.i paris metatarsum tibiâ evidenter breviorem habet, tibiam etiam supra fimbria densa instructam (pilos fimbriae superioris breviores quidem quam pilos inferioris fimbriae) et femora fimbria subter munita: in hoc mare procursus partis tibialis palporum diametrum hujus partis evidenter superat. — Etiam in *H. brachiato* cephalothorax paullo longior est quam latior (paene 2 millim. longus et 1 $^2/_3$ millim. latus).

Gen. **Bianor**, Peckh., 1885 (2).

Cephalothorax sat altus, brevis, latus, a medio, ubi latissimus est, anteriora et posteriora versus sensim angustatus.

(1) Midden Sumatra, *cet.*, Aran., p. 54, Pl. V, fig. 17.

(2) G. W. et E. G. Peckham, On the genera of the family Attidae, *in* Proceed. of the Wisconsin Acad. of Sci., Arts and Letters, 1885, p. 264.

Quadrangulus oculorum circiter dimidiam cephalothoracis longitudinem occupat; multo latior est postice quam antice, et latior postice quam longior; postice non multo angustior est quam cephalothorax eodem loco. Series oculorum antica modice sursum curvata; oculi 2.ae seriei longius a posticis oculis quam a lateralibus anticis remoti. Oculi postici saltem diametro sua altius quam laterales antici positi, et multo longius inter se quam a margine cephalothoracis remoti.

Sternum coxis non angustius.

Mandibulae mediocres vel majores, directae vel paullo porrectae.

Maxillae et labium formâ ordinariâ.

Pedes ita: I, IV (vel IV, I), III, II (vel II, III) longitudine se excipiunt; 1.i paris pedes reliquis robustiores sunt et, in mare, iis multo longiores, trochantere et patella tamen non solito longioribus. Tibia cum patella 4.i paris longior est quam tibia cum patella 3.ii paris; omnes pedes aculeis armati sunt, metatarsi 4.i paris modo apice aculeati.

Abdomen longitudine mediocri; mamillae breves, articulo 2.° brevissimo.

Typus: *B. leucostictus*, n.

Hoc genus, quod idem est ac *Scythropa*, Keys., 1883, *Dendryphanti* (C. L. Koch), *Ballo* (id.) et *Eridi* (id.) affine est, formâ cephalothoracis a *Dendryphante*, pedibus omnibus aculeatis a *Ballo* facile dignoscendum: cum *Eride* confundi non potest, quum *Eris*, saltem secundum figuras a C. L. Koch datas, oculos 2.ae seriei *in medio* inter oculos laterales anticos et oculos posticos sitos habeat. — Quum modo femina speciei singulae hujus generis Cel. Keyserlingio cognita fuerit, notas generis hic dedi, ut eas concepi, antequam fasc. 31 operis « Die Arachn. Australiens », ubi gen. *Scythropam* proposuit vir illustrissimus, publici juris factus erat. Nomen novum *Ericuli* huic generi imposuit Cel. Simon (1), quum *Scythropa* nomen sit antea usurpatum (*Scythropa*,

(1) Matériaux pour servir à une Faune Aracnologique de la Nouvelle-Calédonie (2.e Mémoire), *in* Comptes-rendus de la Soc. Ent. de Belgique (1885), p. (1). — Secundum hoc opusculum *Ericulus*, Sim., idem est atque *Eris*, Sim., in Les Arachn. de France, III.

Chaud., 1871 [Coleopt.]); sed id quoque alio animantium generi jam impositum fuerat (*Ericulus*, Geoffr. St.-Hil., 1839 [Mammal.]).

(Aranea, quam in his Stud., III, p. 655, sub nomine *Balli Papuani* descripsi, typus novi generis, *Porii*, n. (¹), melius est habenda, quum a *Ballo* et affinibus eo saltem differt, quod *cephalothorax* ejus *latitudinem suam maximam non parum pone oculos posticos habet*. Haec species igitur *Porius Papuanus* (Thor.) est appellanda).

270. **B. leucostictus**, n., *cephalothorace in fundo nigro, pube cupreo-lutea saltem ad magnam partem vestito, lateribus anterius sub-cupreo-squamulosis, supra, posterius, maculis nonnullis albis notato, fasciaque angusta alba utrinque secundum marginem lateralem praedito; palpis piceo-ferrugineis, parte femorali et apice partis patellaris supra dense albo-pubescentibus, parte tibiali duplo longiore quam latiore; pedibus* 1.ⁱ *paris longis et robustis, ad maximam partem sub-piceis, reliquis pedibus fusco-testaceis, femoribus obscurioribus; abdomine anguste ovato, in fundo piceo-nigro, dorso saltem antice pube cupreo-lutea vestito, et prope apicem posticum maculis duabus e pube ejusmodi formatis notato, praeterea vero ordinibus duobus longitudinalibus macularum albissimarum ornato.* — ♂ ad. *Long. circa* 5 $^1/_2$ *millim.*

Mas. — *Cephalothorax* circa $^1/_5$ longior est quam latior, aeque circiter longus ac tibia cum dimidia patella 1.ⁱ paris, vel ac patella + tibia + metatarsus 4.ⁱ paris. Modice altus est, in medio latissimus, lateribus ibi sat fortiter rotundatis et directis, area inter-oculari paene plana; desuper visus a medio anteriora versus lateribus primum rotundatis, antice vero brevi spatio paullo concavatis sensim fortiter angustatus est, posteriora versus lateribus rotundatis etiam fortius angustatus, antice leviter rotundatus (vel ibi in medio late truncatus et utrinque breviter et oblique truncatus), postice anguste rotundato-truncatus. Arcus supra-ciliares oculorum posticorum satis alti sunt, tuberculum utrinque, inter oculos laterales anticos et oculos 2.ᵃᵉ seriei, paullo

(¹) *Porius* est nom. propr. Romanum.

magis intus et antice situm, non magnum sed evidentissimum; in medio inter et paullo ante oculos posticos sulcus longitudinalis brevis conspicitur. A latere visus cephalothorax ante arcus supra-ciliares illos, praesertim anterius, proclivis et convexus est, dorso ipso pone hos oculos, qui circa duplo longius a fronte quam a declivitate postica locum tenent, fortius proclivi et paullo convexo et in hanc declivitatem modice praeruptam, paene rectam (postice paullo concavatam) et dimidium reliqui dorsi longitudine aequantem sensim transeunti. Clypeus humillimus, non $^1/_5$ diametri oculi maximi altitudine aequans. Quadrangulus *oculorum* dimidiam longitudinem cephalothoracis occupat; multo, saltem $^1/_5$, latior est postice quam antice, aeque paene longus ac latus antice, sed saltem $^1/_4$ latior postice quam longior; postice modo paullo (non diametro singuli oculi postici) angustior est quam cephalothorax eodem loco. Oculi medii antici magni sunt, contingentes inter se et plus triplo, fere quadruplo majores quam oculi laterales antici, qui oculi parvi sunt et non parum pone oculos medios locum tenent, ab iis spatiis modo parvis (dimidiam oculi lateralis diametrum non aequantibus) separati. Oculi 2.ae seriei minuti non parum (non tamen dimidio) longius ab oculis posticis quam a lateralibus anticis distant; oculi postici, laterales anticos magnitudine aequantes vel potius paullulo superantes, diametro sua altius quam ii sunt locati et paene duplo longius inter se quam a margine cephalothoracis remoti. *Sternum* inverse ovatum, coxis sex posterioribus (sed vix coxis 1.i paris) latius; spatium inter coxas 1.i paris labii latitudinem aequat.

Mandibulae sat fortes, paullo porrectae, non parum et paene usque a basi divaricantes, inaequaliter ovatae fere, extus leviter, intus fortius et inaequaliter ad longitudinem rotundatae, in dorso et transversim et ad longitudinem modice convexae, paene duplo longiores quam latiores, altitudinem faciei non parum longitudine superantes; fere in medio intus, subter, dente longo et forti, anteriora versus et deorsum directo armatae sunt, intus ab his dentibus (qui paralleli sunt) ad apicem sensim angustatae, transversim sub-planae et striatae. Unguis sat longus et fortis,

a basi ad medium, ubi intus, magis supra, dente parvo praeditus est, incrassatus; etiam versus basin supra tuberculo parvo est munitus. *Maxillae* paullo divaricantes, circiter duplo longiores quam latiores, et labio plus duplo longiores; ad apicem intus oblique truncatae sunt, ipso apice late transversim truncato et ita extus angulum formanti; *labium* paullulo longius quam latius videtur et apicem late truncatum versus sensim paullo angustatum. *Palpi* mediocri longitudine, sat graciles; pars patellaris fere duplo longior quam latior et cylindrata est, pars tibialis eà saltem dimidio angustior et paullo brevior, paene cylindrata, a basi apicem versus sensim modo paullulo incrassata, et duplo longior quam latior: in apice lateris exterioris spina paene recta, anteriora versus et paullo foras directa armata est, quae diametrum internodii longitudine paullo superat. Pars tarsalis parte tibiali paullo longior et fere duplo latior est, circa duplo longior quam latior, paene ovata, apice obtusa; bulbus genitalis simplicissimus, brevis, parum longior quam latior, sub-orbiculatus, leviter convexus, laevis. *Pedes* 1.[i] paris robusti et valde longi sunt, metatarsis et tarsis gracilibus. Coxam robustam et paene duplo longiorem quam latiorem habent hi pedes, trochanterem minus robustum et dimidio longiorem quam latiorem; femur ipsa basi angustum quidem est, ibi modo trochanteris crassitie, sed dein cito supra valde incrassatum, fortissime compressum, a latere visum supra praesertim versus basin fortissime convexo-arcuatum, subter vero levissime sinuatum, et vix duplo et dimidio longius quam latius versus basin. Patella et tibia femore (a latere viso) duplo angustiores sunt, desuper visae eadem crassitie fere; patella desuper visa apicem versus sensim modo paullulo dilatatur; tibia paene cylindrata est, a basi ad apicem sensim modo paullulo angustata, circa 4.plo longior quam latior, patellà dimidio longior. Metatarsus cum tarso tibià paullulo longior est, metatarsus paene cylindratus et tibià circa triplo angustior, tarso paene duplo longior. Reliqui pedes sex sat breves et graciles sunt; tibiae 4.[i] paris patellà paullo (non dimidio) sunt longiores, tibiae 2.[i] et 3.[ii] parium patellà vix vel parum longiores. Femora omnia aculeis paucis munita sunt; in patellis

2.^{i} paris aculeum antice video. Tibiae 1.^{i} paris subter aculeos sex breves, non multo fortes, tuberculis impositos et in duas series longitudinales ordinatos habent, serie interiore breviore quam exteriore; metatarsi horum pedum subter 2. 2. aculeis brevibus fortioribus armati sunt. Tibiae 2.^{i} paris subter, magis extus, aculeis gracilibus 1. 1. munitae sunt et 1 aculeo versus apicem antice. Metatarsi 4.^{i} (non vero 3.^{ii}) paris modo apice aculeati videntur. *Abdomen* angustius ovatum, fere duplo longius quam latius, apice sub-acuminato. *Mamillae* sat breves et crassae sunt, art. 2.° brevissimo.

Color. — *Cephalothorax* in fundo niger est, pube cupreo-lutea sat crassa appressa ut videtur ad maximam partem vestitus, et pube ejusmodi alba maculas formanti munitus quoque: in nostro exemplo sub-detrito maculam albam in medio inter oculos posticos, aliam apud (pone) utrumque oculum posticum duasque minores in parte thoracica, posterius, video; in lateribus praesertim antice squamulis (vel pube) magis cupreis vestitus est cephalothorax, et secundum ipsum marginem lateralem lineam sive fasciam angustam albam e pube densa formatam ostendit, quae anteriora versus sensim cuprea evadit. Clypeus utrinque pube densa rufo-lutea tectus est et in medio marginis pilis longioribus albis munitus; annuli circum oculos anticos lutei sunt. *Sternum* et *partes oris* picea, illud albo-pilosum. *Palpi* piceo-ferruginei, parte femorali basi utrinque obscuriore, parte tarsali vero clariore, testaceo-fusca, praesertim apice, ubi pallido-pubescens est; praeterea nigro-pilosi et -pubescentes sunt palpi, parte femorali supra paene tota et parte patellari apice (sat anguste) pube densa albissima tectis. *Pedes* 1.^{i} paris ferrugineo-picei, femoribus magis piceis, tarsis testaceo-piceis; pilis longioribus patentibus nigris in tibiis, metatarsis et tarsis sat dense sparsi sunt, et in femoribus, patellis et tibiis et supra et subter secundum longitudinem anguste albo-pilosi, praeterea nigro-pilosi et -pubescentes, trochanteribus et coxis subter albo-pilosis. Pedes sex posteriores testaceo-fusci sunt, nigro-pilosi et -pubescentes, femoribus paullo obscurioribus et paullo albo-pilosis quoque (ut sunt coxae et trochanteres subter), summo apice

saltem femorum 4 posteriorum supra macula albissima e pube formata notato. *Abdomen* in fundo nigro-piceum est, pube luteo-cuprea in lateribus et in dorso (saltem ad basin ejus) vestitum, hac pubescentia maculam sat magnam utrinque in dorso apud ipsum anum formanti; praeterea pube alba munitum est dorsum, quae maculas duas vel potius vittam transversam, in medio abruptam, plus minus evidenter in latera productam ad ipsam basin dorsi format, ut et maculam vel maculas duas parvas utrinque paullo ante medium, maculamque paullo majorem utrinque, inter medium et anum; quae maculae omnes in duas series paene parallelas sat longe inter se remotas ordinatae sunt. Etiam in ipso apice dorsi utrinque macula minuta alba adesse videtur. Venter secundum medium testaceo-fuligineus est, pube cinerascenti (antice purius alba) vestitus. *Mamillae* piceae.

Lg. corp. 5 $^1/_2$ millim. Lg. cephaloth. 2 $^2/_3$, lat. ej. 2 $^1/_4$, lat. front. circa 1 $^4/_5$; lg. abd. 3, lat. ej. 1 $^3/_4$ millim. Ped. I 8 (fem. 3, pat. + tib. 3 $^1/_3$, metat. + tars. 2 $^1/_4$), II 4 $^1/_2$, III 5, IV paullo plus 5 millim. longi; pat. + tib. III 1 $^1/_2$, pat. + tib. IV paullo plus 1 $^1/_2$, metat. + tars. IV 1 $^1/_2$ millim.

Marem singulum ad Ajer Mancior Sumatrae cepit Cel. Beccari.

271. **B. balius**, n., *cephalothorace in fundo nigro-piceo, supra saltem ad magnam partem pube sub-lutea vestito, in lateribus antice et in clypeo dense flavo-pubescenti, maculis saltem tribus albis e pube formatis posterius notato, ut et fascia angusta alba utrinque, secundum marginem lateralem, posterius; palpis in fundo nigro-piceis, parte tibiali obliqua et sub-transversa; pedibus* 1.ⁱ *paris longis et sat robustis, totis piceis, reliquis pedibus piceis et pallido-annulatis; abdomine oblongo, sub-elliptico, piceo, supra pube sub-lutea saltem ad magnam partem vestito et maculis albis ornato, quarum duae non longe ante apicem dorsi posticum, ad latera, locatae sunt, duae aliae minutae in ipso apice ejus, lateribus abdominis cupreo-squamulosis.* — ♂ ad. *Long. circa* 4 $^1/_2$ *millim.*

Mas. — *Cephalothorax* modo paullo longior quam latior, tibiam cum patella 1.ⁱ paris, vel patellam + tibiam + metatarsum 4.ⁱ paris longitudine circiter aequans, latus et sat altus, a medio,

ubi modice rotundatus est, lateribus leviter rotundatis anteriora versus sensim angustatus, posteriora versus lateribus modo levissime rotundatis sensim angustatus quoque, antice levissime rotundatus, postice breviter rotundato-truncatus. A latere visum dorsum ipsum ante oculos posticos, qui longissime pone medium ejus locum tenent, primum rectum et modice proclive est, dein, versus oculos anticos, paullo convexum et fortius proclive, pone oculos illos breve, etiam fortius declive paulloque convexum et in declivitatem posticam (reliquo dorso non ita multo breviorem, levissime concavatam et sat fortiter praeruptam) sensim transiens. Area inter-ocularis paene plana, arcus supra-ciliares et elevationes inter oculos laterales anticos et oculos seriei 2.æ obsoleta; sulcus ordinarius centralis minutissimus, parum manifestus. Clypei altitudo $^1/_4$ diametri oculi maximi aequare videtur. *Oculi* plane ut in specie priore diximus, excepto quod quadrangulus eorum diametro oculi postici angustior est postice quam cephalothorax eodem loco, et quod oculi 2.æ seriei dimidio longius ab oculis posticis quam a lateralibus anticis distant; spatia inter oculos anticos medios et laterales paullo majora quoque videntur, dimidiam horum oculorum diametrum paene aequantia. *Sternum* ut in priore specie.

Mandibulae directae, parallelae, sub-cylindratae, altitudinem faciei longitudine saltem aequantes, duplo longiores quam latiores, in dorso sub-rectae et deplanatae, rugosae et crasse pilosae; unguis sat parvus. *Maxillae* apice intus truncatae sunt, apice extus rotundatae, angulum ibi non formantes. *Palpi* mediocres; pars patellaris paene dimidio longior est quam latior, pars tibialis eâ brevior et basi sed non apice angustior, sub-transversa, apice oblique truncata, latere exteriore (longiore) in spinam fortem, leviter sinuatam vel paene rectam, anteriora versus et paullo foras directam producto, quae spina ipsa parte tibiali paullo longior est. Pars tarsalis, prioribus duabus conjunctis paullo longior, iisque plus dimidio latior, in latere interiore versus basin dilatato-rotundata est, in latere exteriore modo levissime rotundata, vix duplo longior quam latior, oblique piriformi-ovata fere; bulbus brevis, latus, rotundatus, antice

truncatus, sat humilis, leviter convexus, ut videtur simplicissimus. *Pedes* 1.[i] paris reliquis multo longiores sunt, sat robusti: coxa, ut trochanter, non dimidio longior est quam latior; femur basi angustum, dein cito supra dilatatum, compressum, a latere visum versus basin supra fortiter convexo-arcuatum et circa triplo longius quam latius versus basin. Patella et tibia femore plus dimidio angustiores sunt (a latere visae). Tibia sub-cylindrata vix longior est quam patella, circa 4.plo longior quam latior; metatarsus cylindratus, tibiâ plus duplo angustior, tarso non dimidio longior. Metatarsus cum tarso tibiâ modo paullulo est longior. Reliqui sex pedes sat breves et graciles sunt; tibiae 4.[i] paris patellâ paullo sunt longiores, reliquae tibiae patellâ vix vel non longiores. In patellis nullum aculeum video; 1.[i] paris tibiae subter magis versus apicem 6 aculeos habent, quorum tres, seriem interiorem formantes, sat longi et robusti sunt et tuberculis impositi, reliqui tres (seriei exterioris) graciles, sat parvi. In tibiis 2.[i] paris 1. 1. aculei subter, extus, et 1 antice saltem adsunt. Metatarsi anteriores subter 2. 2. aculeis sunt armati; metatarsi 4.[i] paris modo apice paullo aculeati sunt. *Abdomen* ellipticum fere, circa dimidio longius quam latius. *Mamillae* breves, art 2.° brevissimo.

Color. — *Cephalothorax* in fundo nigro-piceus, supra pilis nigris sparsus, saltem ad magnam partem pube sat crassa sublutea vestitus, lateribus anterius cum clypeo pube densa flava tectis; praeterea pube alba munitus est cephalothorax, quae fasciam angustam antice abbreviatam utrinque, paullulo supra ipsum marginem lateralem ductam format, maculasque parvas saltem tres: unam apud (pone) utrumque oculum posticum, tertiam in medio partis thoracicae, pone eas. Margo clypei albopilosus videtur. Annuli circum oculos medios anticos supra lutei, infra albi sunt. *Sternum* obscure piceum, olivaceo-cinereo-pilosum. *Mandibulae* nigro-piceae, pilis albis sparsae. *Maxillae* et *labium* picea. *Palpi* nigro-picei, nigro- et, praesertim in parte tarsali, pallido-pilosi; supra, praesertim in parte tibiali, vestigia squamularum sub-cuprearum et pubescentiae pallidae ostendunt. *Pedes* 1.[i] paris nigro-picei toti, pilis longioribus ad partem sub-

erectis nigris et pallidis vestiti: omnes coxae et trochanteres femoraque omnia subter albicanti-sub-hirsuta sunt. *Pedes* sex posteriores nigro-picei quoque, patellis et tibiis ad vel prope basin annulo clariore notatis, metatarsis apice excepto et tarsis testaceis. *Abdomen* in fundo nigro-piceum: dorsum ejus, quod saltem ad maximam partem pube crassiore lutea vel cupreo-lutea est vestitum (in nostro exemplo ad magnam partem detritum tamen est), maculas duas sat parvas albas e pube formatas non longe ante anum, ad latera abdominis sitas ostendit, aliasque duas maculas albas minutas in ipso apice locatas — fortasse etiam strias vel maculas duas medias albas, alteram ad basin, alteram non procul a medio longitudinis dorsi positam (?). In utroque latere, ad declivitatem anticam, stria vel macula alba notatum est abdomen, cujus latera praeterea superius pube vel squamulis sub-cupreis vestita sunt. Venter niger pilis olivaceo-cinereis est vestitum. *Mamillae* piceae.

Lg. corp. 4 $^1/_2$ millim.; lg. cephaloth. paullo plus 2, lat. ej circa 1 $^5/_6$, lat. front. paullo plus 1 $^1/_3$; lg. abd. 2 $^2/_3$, lat. ej. paene 2 millim. Ped. I 5 $^1/_3$ (fem. 1 $^3/_4$, pat. + tib. parum plus 2, metat. + tars. paullo plus 1 $^1/_2$), II et III paene 3 $^1/_2$, IV parum plus 4 millim. longi; pat. + tib. III paene 1 $^1/_4$, pat. + tib. IV 1 $^1/_4$, metat. + tars. IV paene 1 $^1/_4$ millim.

Marem singulum in monte Singalang Sumatrae cepit Cel. Beccari.

272. **B. incitatus**, n., *cephalothorace in fundo nigro-piceo, pube olivaceo-lutea supra et in lateribus, superius, vestito, lateribus postice cinereo-albo-pubescentibus, clypeo pilis albis et pube flaventi densa tecto; palpis flavo-testaceis; pedibus* 1.^{i} *paris ferrugineo-piceis, apice testaceis, femoribus nigris, reliquis pedibus fusco-testaceis, nigro-annulatis; abdominis dorso pube densa olivaceo-lutea vestito et maculis nonnullis parvis e pube albicanti formatis notato, quarum duae, reliquis paullo majores, ad latera dorsi, posterius, sitae sunt; vulva ex area parva, costa paene ω-formi fusca limitata, constanti.* — ♀ ad. *Long.* 4 $^1/_2$ - 5 $^1/_3$ *millim.*

Femina. — *Cephalothorax* paullo longior est quam latior, patellam + tibiam + $^2/_3$ metatarsi 1.^{i} paris, et patellam + tibiam

+ totum metatarsum 1.[i] paris longitudine circiter aequans; sat altus est, a medio ad oculos laterales anticos lateribus praesertim in medio rotundatis sensim sat fortiter angustatus, a medio posteriora versus lateribus minus fortiter rotundatis etiam paullo fortius sensim angustatus, antice modo levissime rotundatus, postice late truncatus. A latere visum dorsum ipsum ante oculos posticos modice proclive est et paene rectum, pone hos oculos brevi spatio etiam fortius declive, et tum in declivitatem posticam (quae modo paullo pone oculos illos initium capit) rectam, sat praerupte declivem et reliquo dorso non multo breviorem transiens. Clypei altitudo saltem $^1/_4$ diametri oculi maximi aequare videtur. Arcus supra-ciliares oculorum posticorum satis expressi sunt, elevatio inter oculum lateralem anticum et oculum 2.[ae] seriei omnium humillima, vix ulla dicenda; sulcus ordinarius medius minutissimus, in fovea parva levi locatus. Quadrangulus *oculorum* multo latior est postice quam antice, ubi vix latior quam longior est; postice parum angustior est quam cephalothorax eodem loco. Linea oculos anticos supra tangens paene recta est, parum sursum curvata; medii horum oculorum lateralibus paene triplo sunt majores, et ab iis spatiis modo minutis separati. Oculi 2.[ae] seriei circa dimidio longius ab oculis posticis quam a lateralibus anticis distant. Oculi postici, laterales anticos magnitudine aequantes et plus diametro sua altius quam ii positi, multo, paene duplo, longius inter se quam a margine cephalothoracis distant. *Sternum* angustius ovatum, coxis posterioribus, vix vero coxis 1.[i] paris, angustius; spatium inter coxas 1.[i] paris labii latitudinem saltem aequat.

Mandibulae directae, parallelae, sub-cylindratae, in dorso parum convexae, saltem dimidio longiores quam latiores, altitudinem faciei longitudine aequantes. *Maxillae* vix duplo longiores quam latiores, labio paene duplo longiores, apice extus late rotundatae; *labium* paullo longius quam latius, versus apicem rotundatum et in medio truncatum sensim angustatum. *Palpi* mediocres; partes patellaris et tibialis paene eadem longitudine sunt (pars tibialis fortasse paullo longior), fere dimidio longiores quam latiores; pars tarsalis, parte tibiali circa dimidio longior,

apicem obtusum versus sensim paullo est angustata. *Pedes* breves, 1.i paris reliquis paullo robustiores, sed pedibus 4.i paris ut videtur paullo breviores; coxa hujus paris paullo longior est quam latior, trochanter vero paullo latior quam longior; femur paullo dilatatum et compressum est, versus basin supra fortiter convexo-arcuatum; patella et tibia a latere visae femore saltem dimidio angustiores sunt, tibia paene cylindrata et circa duplo et dimidio longior quam latior, patellâ non vel parum longior; metatarsus cum tarso tibiâ modo paullulo longior est, ille tibiâ duplo angustior, tarso paullo (non dimidio) longior. In pedibus 2.i et 3.ii parium tibiae patellâ vix vel non longiores sunt, in pedibus 4.i paris patellâ non parum (sed non dimidio) longiores. Patellae aculeis carere sunt visae. Tibiae 1.i paris aculeos 2. 2. 2. sat fortes et in series duas longe inter se remotas ordinatos subter habent, metatarsi hujus paris subter 2. 2. aculeos. Pedum 2.i paris tibiae subter extus 1. 1. aculeis, antice 1 aculeo instructae sunt, metatarsi subter 2. 2. aculeis. Tibiae posteriores ad apicem tantum aculeati videntur. Metatarsi posteriores modo apice aculeati sunt. *Abdomen* inverse sub-ovatum. *Vulva* ex area parva pallida constare videtur, quae costa tenui fusca ita limitatur, ut formam litterae graecae ω (antice tamen non interruptae) fere praebet, ramo medio brevi incrassato.

Color. — *Cephalothorax* in fundo nigro-piceus, pube sat densa et crassa olivaceo-lutea supra et in lateribus, superius, vestitus, lateribus posterius cinereo-albicanti-pubescentibus, clypeo pilis longis albis et pube flaventi densa vestito; annuli circum oculos anticos lutei sunt. *Sternum* piceum, ut coxae subter albicanti-pilosum. *Partes oris* piceae, mandibulae versus basin pilis longioribus albis sat dense vestitae. *Palpi* flavo-testacei, albo-pilosi et -pubescentes, parte femorali basi nigricanti. *Pedes* fusco-testacei, nigro-annulati, 1.i paris exceptis, qui picei sunt, femoribus et apice tibiarum nigris, metatarsis fusco-testaceis, tarsis nigris; in reliquis pedibus femora paene tota nigricantia sunt, patellae, tibiae et metatarsi apice nigri, tarsi testacei. Nigro- et, praesertim subter, albicanti-pilosi sunt pedes, et saltem hic illic flaventi-pubescentes. *Abdomen* in fundo nigricans, supra et in lateribus

pube densa olivaceo-lutea vestitum et maculis nonnullis parvis albicantibus, iis quoque e pube densa formatis, supra notatum, quarum duae minutae et parum distinctae ad latera dorsi, paullo ante medium ejus, locum tenent, duae aliae, reliquis paullo majores et cum prioribus rectangulum multo latius quam longius paene formantes, fere in medio inter eas et anum sitae sunt, duae minutae in ipso apice apud mamillas. Praeterea maculam minutam albicantem in ipso medio dorsi video. Venter pube olivaceo-cinerascenti vestitus est, *mamillae* fuligineae vel testaceo-piceae.

Lg. corp. 5 $^1/_3$ millim.; lg. cephaloth. 2 $^1/_3$; lat. ej. paene 2, lat. front. paene 1 $^1/_2$; lg. abd. 3 $^3/_4$, lat. ej. 2 $^1/_4$ millim. Ped. I paullo plus 4 $^1/_4$, II 3 $^1/_2$, III paene 4 $^1/_2$, IV 4 $^5/_6$ millim. longi; pat. + tib. I 1 $^2/_3$, pat. + tib. III circa 1 $^1/_4$, pat. + tib. IV 1 $^1/_2$, metat. + tars. IV 1 $^1/_3$ millim.

Feminam supra descriptam in monte Singalang cepit Beccari; aliam feminam vidi quoque, in Java a Kinberg inventam. An modo femina prioris, *B. balii*, est haec aranea?

Gen. **Homalattus**, WHITE, 1841.

273. **H. latidens** (Dol.), *cephalothorace in fundo ferrugineo vel piceo, linea sub-marginali alba utrinque notato, supra squamulis tenuibus aureo- vel argenteo-cinereis (in mare magis aureo-aeneis) vestito, et, in mare, cingulo e pube alba formato supra in lateribus et in clypeo circumdato; area oculorum vix dimidiam cephalothoracis longitudinem occupanti, oculis* 2.^{ae} *seriei plus duplo longius ab oculis posticis quam a lateralibus anticis remotis; pedibus* 1.^{i} *paris reliquos longitudine superantibus, ad maximam partem piceis vel ferrugineis, cum palpis et reliquis pedibus, qui pallidiores et plerumque nigro-sub-annulati sunt, cupreo-sub-squamulosis; femoribus aculeis* 2-4 *supra munitis, tibiis* 1.^{i} *paris* 2 *aculeis brevibus et fortibus subter, versus apicem, armatis, tibiis* 2.^{i} *paris* 1 – 3, *metatarsis anterioribus* 2. 2. *aculeis; abdomine supra piceo vel sub-luteo-cinerascenti, squamulis argenteo-cinereis (in mare magis aureis vel aeneis) vestito et saltem in femina nigricanti-variato et*

maculis duabus transversis triangulis albicantibus, antice maculâ obscurâ limbatis, paullo ante anum notato. — ♂ ♀ ad. *Long.* ♂ *circa* 4 $^1/_2$, ♀ 6 - 6 $^1/_2$ *millim.*

Syn.: 1859. *Salticus latidens*, Dol., Tweede Bijdr., *cet.*, loc. cit., p. 21, Tab. X, fig. 6

Femina. — *Cephalothorax* paullo longior quam tibia cum patella 1.^{i} paris, patellam + tibiam + metatarsum + tarsum 4.^{i} paris longitudine circiter aequans, aeque saltem latus ac longus, dorso ipso maximo sub-plano multo latiore quam longiore, paene sub-rectangulo: latissimus igitur est cephalothorax, humillimus, lateribus excepto postice ita dilatatis, ut in medio carinam longitudinalem quasi forment, supra, ab oculis utriusque lateris, convexo-declivia, infra vero reclinata. In parte quarta postica lateribus paene rectis posteriora versus citissime et fortissime sensim angustatus est, lateribus praeterea modo levissime (postice paullo fortius) rotundatis anteriora versus sensim paullulo dilatatus; antice latissime et leviter rotundatus est, ita ut frontis latitudo maximam cephalothoracis latitudinem paene aequet, postice brevissime emarginato-truncatus. A latere visum dorsum ipsum ante oculos posticos, qui longe pone medium ejus locum tenent, paene rectum et paene libratum est, modo ante oculos 2.^{ae} seriei paullo magis proclive; pone oculos posticos primum brevi spatio paene rectum et sub-libratum quoque est, dein declive et convexum et in declivitatem posticam paene rectam, modice praeruptam et dimidium reliqui dorsi longitudine vix aequantem satis abrupte transiens. Facies humillima; altitudo clypei vix ulla dicenda. Area inter-ocularis plana est, arcus duo supra-ciliares, ut elevationes illae duae inter oculos laterales anticos et oculos 2.^{ae} seriei, intus, sitae, evidentes quidem sed humillimi; praeterea laevis est cephalothorax, fovea et sulco mediis ordinariis carens. Quadrangulus *oculorum* paene dimidium longitudinis cephalothoracis, sed non totam latitudinem ejus, occupat: series oculorum antica enim modo paullo plus quam dimidium latitudinis frontis occupat, et postice quadrangulus oculorum circa quadrupla oculi postici diametro angustior est quam cephalothorax eodem loco; multo latior est postice quam

antice et saltem duplo latior postice quam longior. Oculi medii antici, sat parvi et spatio evidentissimo disjuncti, ab oculis lateralibus anticis, quibus fere quadruplo majores videntur, spatiis sunt remoti, quae oculi lateralis diametrum non parum superant. Oculi 2.^{ae} seriei minuti plus duplo, vix vero triplo, longius ab oculis posticis quam a lateralibus anticis remoti sunt; oculi postici, lateralibus anticis paullo majores et parum altius quam ii positi, circa duplo et dimidio longius inter se quam a margine cephalothoracis distare videntur. *Sternum* inverse ovatum fere, coxis posterioribus, sed vix coxis 1.^{i} paris, latius; spatium inter coxas 1.^{i} paris labii latitudinem vix aequat.

Mandibulae deorsum et anteriora versus directae, latae et deplanatae; femoribus 1.^{i} paris modo paullo angustiores sunt, paullo modo longiores quam latiores, apice late et valde oblique truncatae, latere exteriore compresso et costa sat tenui marginato, et versus basin fortissime geniculato; in dorso et ad longitudinem et transversim modo parum convexae sunt mandibulae, rugosae et in medio costa tenui obliqua deorsum et intus directa munitae, saltem apice nitidae. Sulcus unguicularis, antice dentibus 2 sat longe inter se remotis armatus, postice magis intus in laminam est dilatatus, cujus anguli in duos dentes sunt producti. Unguis longus et fortis. *Maxillae* parum divaricantes, saltem duplo longiores quam latiores et labio paene duplo longiores; apice oblique truncatae sunt, angulis breviter rotundato-truncatis. *Labium* multo longius quam latius videtur, apicem rotundatum versus parum angustatum. *Palpi* basi angusti, praeterea lati et valde deplanati; pars patellaris a basi ad apicem sensim dilatata est et saltem dimidio longior quam latior apice, pars tibialis ea quoque a basi ad apicem sensim paullo dilatata et circa dimidio longior quam latior; pars tarsalis, apice rotundata et valde obtusa, aeque saltem lata et etiam paullo longior est, saltem duplo longior quam latior: praesertim in his duobus internodiis quasi plumato-pilosi sunt palpi. *Pedes* breves, 1.^{i} paris robusti, reliquis non ita gracilibus multo robustiores, femore praesertim lato, compresso et supra fortiter convexo-arcuato; coxa hujus paris dimidio longior est quam latior, tro-

chanter paullo latior quam longior, patella aeque longa ac tibia, quae apicem versus sensim paullo angustata est et paullo plus duplo longior quam latior; metatarsus, basi tibiâ paene duplo angustior, a basi ad apicem sensim sat fortiter angustatus est, tarso circa dimidio longior, cum tarso tibiâ vix longior. In pedibus 4.^{i} paris patellae tibiâ paullulo breviores sunt, in pedibus 2.^{i} et 3.^{ii} parium tibiae patellam longitudine vix aequant. Femora 1.^{i} paris ad apicem supra 2 (vel saltem 1) aculeos breves habent, reliqua femora (saltem posteriora) praeterea aculeos 1. 1. longiores et graciliores supra. Tibiae 1.^{i} paris modo 2. aculeos fortes, interiorem eorum longiorem, subter versus apicem ostendunt, metatarsi hujus paris 2. 2. aculeos longiores et fortes; in tibiis 2.^{i} paris 2. 1. (vel 1. 1.) aculeos sat graciles subter video, in metatarsis hujus paris 2. 2. aculeos. Patellae aculeis carent. Pedes 4.^{i} paris vix nisi in femoribus aculeati sunt, 3.^{ii} paris pedes praeterea saltem in apice metatarsorum aculeum habent. *Abdomen* depressum, breviter et inverse sub-ovatum fere, antice sub-truncatum, postice acuminatum, foveolis impressis sex secundum medium dorsi in ordines duos paene parallelos dispositis notatum, quarum duae posticae, in vel paullo pone medium dorsi sitae, reliquis oblongis et parvis multo longiores sunt. *Vulva* parum conspicua: si in aqua immersa est aranea, vulva ex annulis vel circulis duobus minutis ferrugineis, qui suo quisque circulo paullo majore sub-testaceo postice adjacent et, ut hi circuli, spatio diametrum suam aequanti disjuncti sunt, constare videtur. *Maxillae* breviores, art. 2° superiorum aeque longo ac lato.

Color. — *Cephalothorax* in fundo plus minus obscure ferrugineus, arcubus supra-ciliaribus oculorum posticorum et macula parva nigra utrinque apud oculos laterales anteriores, intus, sita nigris, limbo laterali posterius interdum nigricanti quoque; excepto in lateribus infra (quoad reclinata sunt) et posterius in declivitate postica, squamulis tenuibus aureo-cinereis totus vestitus est, et utrinque, secundum ipsum marginem lateralem nigrum, fascia angusta alba e pube densa formata notatus; clypeus pube cinerascenti minus densa est vestitus et secundum totum marginem pilis longioribus albo-cinereis munitus. *Sternum*

nigro-piceum vel sub-ferrugineum, ut coxae subter albicanti-pilosum. *Mandibulae* aut totae ferrugineae, aut basi late rufo-ferrugineae, praeterea vero nigro-piceae, saltem intus albicanti-pilosae. *Maxillae* et *labium* nigro-picea, pallido-marginata. *Palpi* ferrugineo-picei vel -testacei, nigricanti-pilosi et sub-cupreo-cinereo-squamulosi. *Pedes* 1.[i] paris ferruginei, femoribus (et tibiis saltem apice intus) nigris vel piceis; pilis sub-erectis albicantibus praesertim subter hirsuti sunt, praeterea pilis nigris sparsi et squamulis sub-cupreis muniti quoque. Reliqui pedes ferruginei vel ferrugineo-testacei sunt, plerumque plus minus evidenter nigro-annulati. *Abdomen* supra in fundo luteo- vel ferrugineo-cinerascens est, maculis nigricantibus inaequalibus plus minus evidentibus sub-variatum; supra et in lateribus squamulis tenuibus sub-aureo- vel argenteo-cinereis praesertim in partibus pallidioribus est vestitum, remanentibus (plus minus evidentibus) maculis (vittisve obliquis) obscuris sex in dorso, in series duas longitudinales dispositis, quarum duae sub-transversae non longe ante anum locum tenent, ab apice dorsi nigricanti maculis duabus triangulis argenteo-albis separatae; linea pallida longitudinalis abbreviata ab ano anteriora versus ducta satis manifesta quoque est. Latera abdominis nigro-striata sunt, infra interdum nigra, venter sordide cinereo-testaceus. *Mamillae* cinereo- vel fuligineo-testaceae.

Mas his rebus a femina differt. *Cephalothorax*, paullulo latior quam longior, tibiam cum dimidia patella 1.[i] paris, et patellam + tibiam + metatarsum + dimidium tarsi 4.[i] paris longitudine circiter aequat; postice etiam brevius et citius posteriora versus sensim angustatus est, praeterea lateribus rectis (angulis posterioribus tamen rotundatis) anteriora versus sensim sat fortiter dilatatus, fronte etiam latius et paullo fortius quam in femina rotundata, dorso ipso igitur non sub-rectangulo, sed sub-trapezoidi. *Oculi* postici modo paullo pone medium dorsi ipsius locum tenent, et declivitas postica paullo brevior quam in femina est. *Mandibulae* sat debiles, paene porrectae, extus usque a basi, intus secundum circa $^2/_3$ longitudinis valde divaricantes, femore antico non parum angustiores, paene duplo longiores quam latiores,

in margine exteriore compresso magis versus apicem fortissime convexo-arcuatae (hic igitur sensim cito angustatae, praeterea vero eadem paene latitudine), in latere interiore, quoad divaricant, levissime concavatae, dorso interiora versus declivi, et ad longitudinem et transversim modo parum convexo, nitido, sub-ruguloso. In latere interiore infra, loco ubi divaricantes evadunt, dente longo forti et porrecto armatae sunt mandibulae. Unguis, intus et retro directus, valde longus est, fortis, basi et apice incurvus, praeterea paene rectus, fere in medio intus tuberculo vel dente parvo munitus. *Maxillae* longiores quam in femina, labio duplo longiores, angulo apicis exteriore sub-acuminato, non rotundato. *Palpi* graciles, clava basin metatarsorum 1.i paris latitudine non superanti. Partes patellaris et tibialis sub-cylindratae sunt et circa duplo et dimidio longiores quam latiores, haec apice oblique truncata; pars tarsalis parte tibiali paullo latior sed non longior est, sub-ovata, apice obtuso; bulbus paullo longior quam latior, rotundatus, humilis, laevis, spina brevi porrecta ad apicem lateris exterioris munitus. *Pedes* 1.i paris longiores quam in femina, trochanteribus saltem aeque longis ac latis, tibiis patellâ paullo longioribus, saltem triplo longioribus quam latioribus; ut in ea aculeati sunt pedes, excepto quod subter in tibiis 2.i paris modo 1 aculeum video (?), et quod pedes 3.ii paris, ut 4.i, modo in femoribus aculeati sunt. *Abdomen* angustius ovatum quam in femina, antice rotundatum.

Color. — *Cephalothorax* in fundo piceus est, linea sub-marginali alba e pube formata utrinque ornatus; in lateribus supra ut in clypeo fascia alba e pube densa formata est cinctus, praeterea supra squamulis tenuibus aureo-aeneis munitus (vestitus?). Clypei margo et mandibulae basi albo-pilosa sunt. *Mandibulae* ferrugineo-piceae; *sternum*, *maxillae* et *labium* nigro-picea, illud albicanti-pilosum, haec pallido-marginata. *Palpi* et *pedes* picei, tarsis saltem posterioribus testaceis, ad maximam partem nigro-pilosi, cupreo-sub-squamulosi. *Abdomen* in fundo obscure piceum, supra et in lateribus saltem ad magnam partem squamulis tenuibus aureo-aeneis vestitum; venter pallidior, cinerascenti-pubescens, vestigiis squamularum sub-cuprearum. *Mamillae* piceae.

♀. — Lg. corp. 6 1/2; lg. cephaloth. 3, lat. ej. 3, lat. front. saltem 2 3/4; lg. abd. 4 1/3, lat. ej. 3 millim. Ped. I 6 1/2, II 4 1/2, III paullo plus 3 1/2, IV paene 5 millim. longi; pat. + tib. I paullo plus 2 1/2, pat. + tib. III 1 1/4, pat. + tib. IV 1 3/4, metat. + tars. IV 1 1/4 millim.

♂. — Lg. corp. 4 1/2; lg. cephaloth. 2 1/4, lat. ej. (front.) 2 1/2; lg. abd. 2 3/4, lat. ej. 2 millim. Ped. I 5 3/4, II 3 2/3, III 3, IV 3 3/4 millim. longi; pat. + tib. I 2 2/3, pat. + tib. III paene 1, pat. + tib. IV 1 1/4, metat. + tars. IV paullo plus 1 millim.

Marem (detritum) duasque feminas speciei supra descriptae possideo, in Java captos et a Cel. Van Hasselt dono mihi datos; feminam quoque vidi, quam in eadem insula cepit Cel. Prof. Kinberg, et quae in Museo Holmiensi asservatur. *Salticus latidens*, Dol., ex Tjihanjawar Javae, certe eadem est species, quamquam male depicta (e. gr. pedibus 1.ⁱ paris reliquis non robustioribus) et verbis paucissimis secundum figuram pravam descripta; oculi postici *pone* medium cephalothoracis in hac figura locati, cet., demonstrant, « *Salticum latidentem* » generis *Homalatti* esse.

274. **H. mordax**, n., *cephalothorace in fundo obscure ferrugineo-fusco, squamulis tenuibus virescentibus vel sub-flavis et aureo-micantibus supra vestito et linea sub-marginali alba in lateribus cincto; area oculorum vix dimidiam cephalothoracis longitudinem occupanti, oculis* 2.ᵃᵉ *seriei vix vel non dimidio longius ab oculis posticis quam a lateralibus anticis remotis; pedibus* 1.ⁱ *paris reliquos longitudine superantibus, ad maximam partem piceis, albo-sub-villosis et, cum reliquis pedibus, quorum posteriores sub-testacei et nigricanti-annulati sunt, saltem hic illic aureo-squamulosis; femoribus aculeis* 3 (*vel saltem* 2) *brevibus ad apicem supra munitis, tibiis* 1.ⁱ *paris aculeis* 2. 2. 2., *tibiis* 2.ⁱ *paris* 1. 1. (*vel* 1), *metatarsis anterioribus* 2. 2. *aculeis subter armatis; abdomine supra sub-piceo* (*limbo interdum pallidiore*), *squamulis flaventi- vel olivaceo-aureis saltem ad partem albo-micantibus vestito, saltem in* ♀ *in dorso anterius nigro-sub-maculato et lunulis duabus parvis lineolisque paucis transversis nigricantibus postice notato.* — ♂ ♀ ad. *Long.* ♂ *circa* 5 2/3, ♀ *circa* 6 1/3 *millim.*

Femina. — *Cephalothorax*, patellam + tibiam + metatarsum + dimidium tarsi 4.[i] paris longitudine aequans, ad formam in universum ut in specie priore, *H. latidente* (Dol.), diximus est, lateribus eodem modo sub oculis ad longitudinem dilatatis, in parte tertia postica lateribus (superius) paene rectis posteriora versus cito et fortiter sensim angustatus, lateribus praeterea modo levissime rotundatis anteriora versus sensim paullo dilatatus, antice latissime et sat leviter rotundatus, ita ut latitudo frontis cephalothoracis latitudo maxima sit; postice breviter truncatus et, in medio, emarginatus est. A latere visum dorsum ejus ante oculos posticos (qui longe pone medium dorsi ipsius locum tenent) paene libratum est et parum convexum, pone eos paullo declive paulluloque convexum, et satis abrupte in declivitatem posticam transiens; haec declivitas sat lenis est, recta vel potius paullo concavata, dimidium reliqui dorsi longitudine evidenter superans. Spatium inter oculos medios anticos et marginem clypei vix ullum dicendum. Arcus supra-ciliares oculorum posticorum sat fortes, elevationes illae duae inter oculos laterales anticos et oculos 2.[ae] seriei, intus, sitae parum expressae; praeterea area inter-ocularis plana est: dense et sat subtiliter impresso-punctata iis locis videtur, ubi est detrita, macula laeviore et magis nitida in medio inter oculos posticos. Fovea ordinaria centralis minima, puncti-formis fere, in limite inter dorsum ipsum et declivitatem dorsi posticam sita. *Oculi* majores quam in *H. latidente;* series eorum antica paene $^3/_4$ latitudinis frontis occupat. Quadrangulus oculorum non dimidiam longitudinem cephalothoracis occupat; postice vix vel non dupla oculi postici diametro angustior est quam cephalothorax eodem loco, saltem diametro dupla oculi postici latior postice quam antice, et paene duplo latior postice quam longior. Oculi medii antici, magni et paene contingentes inter se, ab oculis lateralibus anticis (quibus vix vel parum plus duplo majores sunt) spatio distant, quod horum diametrum dimidiam vix vel non superat. Oculi seriei 2.[ae] vix dimidio longius ab oculis posticis quam a lateralibus anticis distant; oculi postici, lateralibus anticis paullo minores et parum altius quam ii positi, plus duplo longius inter se quam a margine cephalothoracis

remoti sunt. *Sternum* paullo longius quam latius, coxas etiam 1.[i] paris latitudine saltem aequans; spatium inter coxas 1.[i] paris dimidiam labii latitudinem fere aequat.

Mandibulae, anteriora versus et deorsum directae et a medio ad apicem divaricantes, fortissimae sunt, paullo longiores quam latiores, femora antica latitudine saltem aequantes, desuper visae breviter ovatae: ipsa basis mandibularum satis angusta est, ita ut ad eam, supra et extus, citissime et fortiter dilatato-incrassatae videantur, latere superiore magno, interiora versus paullo declivi, sub-deplanato (praesertim transversim modo sat leviter convexo), versus apicem transversim rugoso, extus fortiter rotundato (sed non costa evidenti marginato), intus geniculato-rotundato; latus interius mandibulae a basi ad medium altum, directum et planum est, dein, paullo ante medium, superius, dente sat forti conico anteriora versus et intus directo armatum, sat longe sub eo vero, in margine lateris inferiore, dente latissimo vel quasi lamina tricuspidi (cuspide medio reliquis minore), quae eodem modo directa est: praeterea denticulos vel granula nonnulla ostendit pars anterior lateris interioris mandibulae. Unguis fortis, inermis et satis aequaliter curvatus dimidiam mandibulam longitudine saltem aequat. *Maxillae* paullo divaricantes, saltem duplo longiores quam latiores; apice late truncatae sunt, lateribus intus, ante labium, paene parallelis et paullo impressis, angulis modo brevissime rotundatis. *Labium* paullo latius quam longius, apicem late rotundato-truncatum versus parum angustatum. *Palpi* sat longi, graciles, apicem versus paullo dilatati; pars patellaris, ut partes insequentes deplanata, a basi ad apicem sensim dilatata et paene duplo longior quam latior (apice) est; pars tibialis, eà paullo longior, a basi ad apicem obliquum sensim ea quoque paullo est dilatata, et circa duplo longior quam latior apice; pars tarsalis, parte priore parum longior et vix latior, saltem duplo longior quam latior est, apice rotundato, ut pars tibialis in marginibus quasi plumato-pilosa. *Pedes* breves, 1.[i] paris reliquis multo robustiores, femore compresso, latissimo, supra versus basin fortiter convexo-arcuato; coxa hujus paris non parum longior quam latior est, trochanter

paullo latior quam longior, patella, tibia et metatarsus deplanata, patella aeque longa ac tibia, quae apicem versus parum angustior evadit et paene triplo longior est quam latior; metatarsus ad basin apice tibiae paullo angustior est, usque ad apicem sensim paullo angustatus, tarso non parum (sed non dimidio) longior. In pedibus 4.[i] paris patella tibiâ paullo brevior est, in reliquis pedibus eam longitudine fere aequat. Femora omnia ad apicem superius aculeis 3 brevibus munita sunt, 1.[i] paris tibiae 3 paribus aculeorum longorum et fortium subter ad latera internodii sitorum, metatarsi hujus paris 2 paribus aculeorum ejusmodi. In tibiis 2.[i] paris modo 1 aculeum minorem video, versus basin subter situm, in metatarsis hujus paris 2 paria aculeorum minorum. Metatarsi 4.[i] paris aculeum gracilem in apice subter habent. Praeterea inermes videntur pedes. *Abdomen* depressum, breviter et inverse ovatum vel ellipticum, foveolis sex impressis in dorso notatum, duabus earum reliquis multo longioribus, ut in priore specie; ante par primum harum foveolarum duae etiam minores et magis quam reliquae inter se appropinquantes adesse videntur. Area *vulvae* ad ipsum marginem genitalem tubercula duo humillima rotundata nitida ferrugineo-testacea formare videtur, quae apice postico-interiore punctum (denticulum?) nigrum ostendunt.

Color. — *Cephalothorax* in fundo obscure ferrugineo-fuscus, arcubus supra-ciliaribus et, utrinque, macula, quae oculis binis lateralibus anterioribus intus adjacet, nigris, limbo laterali et postico nigris quoque; supra, excepto in declivitate postica glabra, squamulis angustis olivaceo-viridibus, hic illic magis aureis, munitus est (et vestitus fuisse videtur); in lateribus, sub oculis, magis albicanti-squamulosus est, et paullo supra marginem linea albicanti e squamulis angustissimis vel e pube densa formata est notatus; clypeus pilis longioribus flavis dense tectus est, pili circum oculos anticos flaventes et, ad partem, rufescentes. *Sternum* nigro-piceum, albicanti-pilosum. *Mandibulae* nigro-piceae, supra magis ferrugineo-piceae. *Maxillae* et *labium* obscure picea. *Palpi* ferruginei, flaventi-pilosi et -squamulosi. *Pedes* 1.[i] paris obscure ferrugineo-fusci, coxis, trochanteribus et femoribus nigro-

piceis, in patellis, tibiis et metatarsis paullo nigricanti-annulati; praesertim subter pilis longis sed non densis albis sub-hirsuti sunt, praeterea nigro-pilosi et pube appressa flaventi sub-vestiti. Pedes sex posteriores sordide testacei sunt, nigricanti-annulati, fere ut 1.[i] paris pedes pilosi et pubescentes: femora, patellae, tibiae et metatarsi apice nigricantia sunt, tibiae saltem 4.[i] paris etiam basi nigricantes. *Abdomen* in fundo supra sub-fuscum videtur, limbo sat lato pallidiore, et umbra longitudinali nigricanti (vel maculis binis nigricantibus) anterius in dorso utrinque; pone par ultimum foveolarum dorsi vittam transversam nigricantem bis procurvam, in medio abruptam et ita lunulas duas formantem video, et inter eam et anum lineolas paucas transversas nigricantes, quarum saltem anteriores duae retro fractae sunt. Squamulis angustis (vel pube?) flaventibus vel sub-olivaceis, in aureum colorem exeuntibus vestitum fuisse videtur dorsum, his squamulis certo situ magis albicantibus, praesertim in vicinitate foveolarum paris ultimi. Venter ad maximam partem pallidus et pallido-pubescens est, in medio postice niger. *Mamillae* sordide testaceae, inferiores obscuriores.

Mas. — Feminae descriptio supra data in marem quoque quadrat, his exceptis. *Cephalothorax*, qui parum longior quam latior videtur, patellam + tibiam 1.[i] paris, et patellam + tibiam + metatarsum + tarsum 4.[i] paris longitudine paene aequat. Anteriora versus fortius quam in femina et lateribus paene rectis dilatatus est, fronte paullo fortius rotundata quam in ea; pars postica, posteriora versus citius angustata, longitudine paullo plus quam $^1/_3$ cephalothoracis efficere videtur. A latere visus paullo altior quam in femina est cephalothorax, declivitate postica magis praerupta, recta. Quadrangulus *oculorum* plus quam $^2/_5$ sed non dimidium longitudinis cephalothoracis occupat, paullo plus dupla diametro oculi postici angustior quam cephalothorax eodem loco. Spatia inter oculos anticos paullo majora sunt quam in femina; oculi postici non minores sunt quam laterales antici. Spatium inter coxas 1.[i] paris labii latitudinem paene aequat.

Mandibulae paullo minus robustae quam in femina, paene porrectae, paene usque a basi divaricantes, femora antica lati-

tudine saltem aequantes, dimidio longiores quam latiores fere, ovatae, latere superiore sat fortiter interiora versus declivi, modice convexo, nitido, subtilissime coriaceo, versus basin extus costa longitudinali tenui distinctissima limitato; extus fortiter, intus modo leviter convexo-arcuatae sunt, latere interiore ad maximam partem plano et non procul a basi (loco ubi divaricantes evadunt mandibulae) dente mediocri conico anteriora versus directo armato (his duobus dentibus contingentibus inter se) et inter eum et basin unguis, in margine superiore, serie granulorum nonnullorum parvorum parum distinctorum munito, in margine inferiore vero dente valde longo, forti, inaequali, anteriora versus, intus et deorsum directo et paullo sursum curvato armato, qui non ita procul a basi unguis, infra, locum tenet. Unguis mandibulam longitudine aequat; bis incurvus est, fortis, praesertim in parte basali, quae paullo longior est et fortius curvata quam pars apicalis; fere in medio intus dente sat parvo conico armatus est. *Maxillae* paullo longiores et magis divaricantes quam in femina videntur, apice transversim secundum lineam plane rectam truncatae, angulo exteriore sub-acuto, acuminato; *labium* circa dimidio longius quam latius, lateribus parallelis, apice leviter rotundato. *Palpi* graciles, sat longi; pars patellaris, apicem versus sensim paullo incrassata, fere duplo et dimidio longior est quam latior, ut pars tibialis, quae eadem forma est, sed paullo brevior et angustior; pars tarsalis parte tibiali paullo brevior et paene dimidio latior est, fere ovata, apice obtusa, fere dimidio longior quam latior, apice metatarsi 1.[i] paris vix vel parum latior. Bulbus humilis, simplicissimus. *Pedes* 1.[i] paris longiores sed minus dilatati quam in femina, trochantere aeque longo ac lato, tibia et metatarso vix deplanatis: illa cylindrata et fere quadruplo longior quam latior est, hic apicem versus sensim parum angustatus, tarso circa dimidio longior. Pedes eodem modo atque in femina aculeati videntur, excepto quod ad apicem femorum modo 2 aculeos distinctos habent (?). *Abdomen* inverse ovatum, postice acuminatum.

Color. — *Cephalothorax* in fundo obscure ferrugineo-fuscus est, utrinque macula apud oculos binos laterales anteriores aliaque

circum oculum posticum nigris notatus; in medio maculas duas parvas nigras ostendit area inter-ocularis. Pilis pallidis sub-erectis sparsus et saltem ad partem squamulis angustis viridi-flavis sub-aureis vestitus est (squamulis in lateribus infra magis albis) et linea sub-marginali e pube densa alba formata in lateribus cinctus. Clypeus pilis flavo-albidis tectus; pili circum oculos ejusdem coloris, ad partem tamen rufescentes. *Mandibulae* testaceo-rufae. *Sternum*, *maxillae* et *labium* nigro-picea, illud albicanti-pilosum. *Palpi* ferrugineo-rufi. *Pedes* 1.[i] paris picei, femoribus, apice clariore excepto, nigris; pedes 2.[i] paris rufo-testacei, femoribus coxisque piceis; reliqui pedes testacei, femoribus, patellis, tibiis et metatarsis saltem 4.[i] paris apice nigris; ut palpi paullo albo-hirsuti sunt pedes, praesertim subter, praeterea nigricanti-pilosi et hic illic squamulis parvis sub-aureis vestiti. *Abdomen* in fundo piceum, squamulis angustis pallide aureis aeneisque vestitum, his squamulis tamen certo modo visis albicantibus, praesertim in vicinitate foveolarum dorsi posteriorum. Venter albicanti-pubescens in medio late nigricans est. *Mamillae* sub-fusco-testaceae.

♀. — Lg. corp. 6 $^1/_3$; lg. cephaloth. 3, lat. ej. max. (frontis) paene 3; lg. abd. 4, lat. ej. paullo plus 3 millim. Ped. I 6 $^1/_2$, II 5 $^1/_3$, III 5, IV 5 $^1/_2$ millim. longi; pat. + tib. I 2 $^1/_2$, pat. + tib. III paene 1 $^1/_2$, pat. + tib. IV paene 2, metat. + tars. IV 1 $^1/_2$ millim.

♂. — Lg. corp. paene 5 $^2/_3$; lg. cephaloth. paene 3, lat. ej. max. (frontis) 2 $^3/_4$; lg. abd. 3 $^1/_4$, lat. ej. 2 $^1/_3$ millim. Ped. I 7 $^1/_2$, II 4 $^4/_5$, III 4 $^1/_3$, IV paullo plus 5 millim. longi; pat. + tib. I 3, pat. + tib. III 1 $^1/_2$, pat. + tib. IV paene 2, metat. + tars. IV paene 1 $^1/_2$ millim.

Marem et feminam adultos hujus speciei examinavi, a Cel. Beccari ad Tcibodas in ins. Java captos. *H. latidenti* sat similis quidem est, sed multis rebus, e. gr. mandibulis praesertim in mare multo robustioribus, diversa. — Nescio an ad hanc speciem referendus sit *Attus* (*Rhanis*) *saevus*, Giebel ([1]), ex Java, cujus

([1]) Drei und zwanzig ... Spinnen d. Hallischen Samml., *in* Zeitschr. f. d. gesammt. Naturwissensch., XXI, p. 326.

descriptio non male in marem nostrae araneae cadit, excepto quod unguis mandibulae in hoc mare gracilis (« dünn ») dici non potest, neque sunt oculi 2.i paris in eo « genau in der Mitte » inter oculos posticos et laterales anticos positi. De *A. saevo* suo dicit praeterea Giebel, omnes tarsos (metatarsos?) ejus subter aculeis (« Stachelborsten ») esse armatos (?).

275. **H. bufo** (Dol.), *cephalothorace nigro, utrinque anguste albo-marginato, et supra cingulo albo, in medio postice abrupto, circumdato; area oculorum plus dimidium longitudinis dorsi occupanti, oculis 2.ae seriei quadruplo longius ab oculis posticis quam a lateralibus anticis remotis; pedibus piceis, femoribus apice albo-pubescentibus, posterioribus pedibus apicem versus pallidioribus et nigro-annulatis; abdomine nigro, dorso utrinque antice macula laterali oblonga sive fascia abbreviata lata alba, paullo ante anum vero vitta lata sub-recurva alba ornato.* — ♂ ad. *Long.* 5 - 5 $^1/_2$ *millim.*

Syn. : 1859. *Salticus bufo,* Dol., Tweede Bijdr., *cet.*, loc. cit., p. 25.
1859. *Attus bufo,* id., ibid., Tab. IV, fig. 7.

Mas. — *H. latidenti* (Dol.), praesertim feminae ejus, ad formam sat similis est haec species, multissimis rebus tamen ab ea differens. *Cephalothorax* paullo altior est quam in ea, aeque longus ac latus, patellam + tibiam + dimidium metatarsum 1.i paris, et patellam + tibiam + metatarsum + dimidium tarsum 4.i paris longitudine circiter aequans; latera ejus modo brevi spatio, supra, convexo-declivia sunt, in maxima parte altitudinis vero reclinata; clypei altitudo circiter $^1/_4$ diametri oculi maximi aequat. Postice citissime et brevissime posteriora versus sensim angustatus est cephalothorax, lateribus praeterea paene parallelis et leviter rotundatis (antice et postice tamen fortius rotundatis), fronte versus latera fortissime rotundata, a lateribus non limitata: dorsum ipsum igitur transversim rotundato-rectangulum fere est. A latere visum dorsum ipsum ante oculos posticos — qui longissime pone medium ejus, non multo ante declivitatem posticam, locati sunt — praesertim antice sat fortiter est proclive paulloque convexum, pone hos oculos paullo declive paulloque

convexum quoque et in declivitatem posticam valde praeruptam, leviter concavatam et dimidium reliqui dorsi longitudine superantem abrupte transiens. Quadrangulus *oculorum*, qui parvi sunt, plus quam dimidium longitudinis cephalothoracis et paene totam latitudinem ejus occupat; multo, circa dimidio, latior est postice quam antice, non parum latior postice quam longior, sed non parum longior quam latior antice; postice vix dupla oculi postici diametro angustior est quam cephalothorax eodem loco. Oculi medii antici, spatio evidentissimo disjuncti, lateralibus anticis plus triplo, paene quadruplo majores sunt et ab iis spatiis remoti, quae oculi lateralis diametrum paene aequant; linea recta margines superiores mediorum tangens laterales in centro vel parum supra centrum secat. Oculi 2.ae seriei minuti quadruplo longius ab oculis posticis quam a lateralibus anticis distant; oculi postici, laterales anticos magnitudine aequantes et plus diametro sua altius quam ii positi, duplo longius inter se quam a margine cephalothoracis sunt remoti. *Sternum* sub-ovatum, coxis 1.i paris angustius, reliquis coxis latius; spatium inter coxas 1.i paris labii latitudinem paene aequat.

Mandibulae paene directae, parallelae, sat parvae, altitudinem faciei tamen longitudine superantes, femoribus 1.i paris multo angustiores, circa duplo longiores quam latiores, forma satis singulari, apice et praesertim versus basin latiores quam in medio: apice late et oblique emarginatae sunt et hic in angulo interiore dente crasso obtuso armatae; in latere exteriore sinuatae sunt, primum, versus basin, convexo-arcuatae, dein, in medio, concavo-arcuatae, denique, ad apicem, denuo convexo-arcuatae; in medio intus late et sat profunde emarginatae vel excisae sunt, ita aperturam magnam rotundato-ovatam hic inter se relinquentes. In dorso versus basin paullo convexae sunt, in medio vero late transversim impressae, et dein, versus apicem, magis intus, impressione longitudinali vel sulco praeditae; rugosae et crasse coriaceae sunt, parum nitidae. Unguis mediocris, inermis, intus directus. *Maxillae* labio dimidio longiores fere, apice truncatae, angulo interiore rotundato-truncato, exteriore ut videtur rotundato; *labium* multo longius quam latius, apicem rotundatum versus parum angu-

statum. *Palpi* breves, clava sat magna. Pars patellaris paullo longior est quam latior, pars tibialis eâ fere duplo brevior et paullo angustior, latior quam longior, in apice lateris exterioris dente brevi munita; pars tarsalis priores duas conjunctim longitudine saltem aequat, parte patellari paullo latior, paene duplo longior quam latior, apice late truncata, intus modice, extus parum rotundata; bulbus magnus, utriculi-formis fere, anteriora versus angustatus, postice et praesertim intus inflatus et prominens, laevis et nitidus, apice spinis duabus sat brevibus porrectis, exteriore fortiori et incurva, munitus. *Pedes* 1.^{i} paris robustissimi, reliqui sat graciles. Coxa 1.^{i} paris circa dimidio longior est quam latior, trochanter paullo latior quam longior, femur latissimum, complanatum et praesertim supra fortiter convexo-arcuatum, vix triplo longius quam latius; patella tibiâ parum brevior est, tibia fere a medio apicem versus sensim paullo angustata, circa triplo longior quam latior; metatarsus basi tibiâ saltem duplo angustior est, a basi apicem versus sensim paullo angustatus, tarso non dimidio longior, cum tarso tibiam longitudine paene aequans. In pedibus 4.^{i} paris patella tibiâ paullulo brevior est, in 2.^{i} et 3.^{ii} parium pedibus tibiam longitudine saltem aequat. Femora 1.^{i} paris ad apicem intus 2. aculeis brevibus munita sunt; tibiae 1.^{i} paris subter versus apicem 2. 1. aculeos breves fortes habent, exteriorem brevissimum, metatarsi ejusdem paris 2. 2. aculeos subter; in tibiis 2.^{i} paris modo 2. aculeos, versus apicem sitos, video, in metatarsis hujus paris modo 1. 2. aculeos. Pedes posteriores non tantum in femoribus, verum etiam in tibiis et in metatarsis (apice) aculeati sunt. *Abdomen* inverse pentagono-ovatum fere, basi sub-truncatum, lateribus primum levissime rotundatis sensim, usque ad $^2/_3$ longitudinis, paullo dilatatum, dein lateribus paullo fortius rotundatis sensim angustatum, sub-acuminatum.

Color. — *Cephalothorax* in fundo niger est, linea marginali alba e pube formata et ipso margine nigro geminata utrinque notatus, et praeterea fascia alba e pube longiore formata supra cinctus, quae fascia, ad marginem frontalem angusta, in lateribus lata est et oculos posticos includit, modo in medio postice

abrupta. Pube lutea quoque antice munitus est cephalothorax, praesertim inter oculos anticos et ad marginem frontalem. *Sternum* et *partes oris* nigro-picea; *palpi* picei, nigro-pilosi et -pubescentes. *Pedes* 1.i paris nigro-picei, pilis nigris praesertim subter longis et densis hirsuti, femoribus apice supra pube alba tectis; reliqui pedes picei, nigro-annulati, apice pallidi, femoribus saltem ad partem nigris et apice supra albo-pubescentibus, internodiis insequentibus quoque albo-annulatis, annulis e pube formatis. *Abdomen* nigrum est, fasciis duabus latis albis e pube formatis, quae in lateribus dorsi a basi usque ad medium ejus ductae posteriora versus paullo divaricare videntur, postice truncatae; praeterea vitta sat lata paullo recurva alba paullo ante anum est ornatum, quae vitta e pube ad maximam partem alba, ad partem vero flava formata est et in apicibus colore nigro late geminata. Venter fuligineus maculas duas parvas albas paullo ante mamillas habet; et apud rimam genitalem, utrinque, paullo albo-pubescens quoque est. *Mamillae* nigricantes.

Lg. corp. 5 $^1/_2$; lg. cephaloth. paene 3, lat. ej. paene 3; lg. abd. 3 $^1/_3$, lat. ej. 2 $^1/_2$ millim. Ped. I 5 $^3/_4$, II paullo plus 4, III 4, IV paullo plus 4 $^1/_2$ millim. longi; pat. + tib. I 2 $^1/_2$, pat. + tib. III 1 $^1/_2$, pat. + tib. IV 1 $^3/_4$, metat. + tars. IV 1 $^1/_3$ millim.

Doleschall marem hujus speciei ex Amboina illustravit; ego duos mares vidi, in Sumatra a Cel. Beccari captos, alterum ad Ajer Mancior, alterum ad Kaju Tanam. Etiam Simon (1) et Van Hasselt (2) exempla ex Sumatra examinaverunt, secundum Simon ad Fort-de-Kock, secundum Van Hasselt ad Alahan Pandjang et Padang capta.

276. **H. nobilis**, n., *cephalothorace nigro, squamulis cupreis paene undique sparso (vestito?) et utrinque posterius fascia submarginali viridi-aurea ornato; area oculorum plus quam dimidium longitudinis cephalothoracis occupanti, oculis 2.ae seriei circa 4.plo longius ab oculis posticis quam a lateralibus anticis remotis; man-*

(1) Arachn. recueillis à Sumatra par M. Weyers (1er envoi), loc. cit., p. (8).
(2) Midden Sumatra, *cet.*, Aran., p. 53.

dibulis vitta transversa viridi-aeneo-squamulosa prope basin ornatis; pedibus piceis (anterioribus magis nigro-piceis), cupreo- et aeneo-squamulosis, femoribus 1.^{i} *paris aculeo minuto sub-apicali, tibiis hujus paris subter aculeis* 1. 1. *versus apicem intus sitis, metatarsis ejusdem paris vero* 2. 2. *aculeis subter armatis, tibiis et metatarsis* 2.^{i} *paris subter aculeatis quoque; abdomine nigro-piceo, cupreo- et viridi-aureo-squamuloso.* — ♂ ad. *Long. circa* 7 *millim.*

Mas. — *Cephalothorax* latissimus, paullo latior quam longior, paullulo brevior quam tibia cum patella 1.^{i} paris, et patellam + tibiam + metatarsum 4.^{i} paris longitudine aequans, lateribus anterius, supra, late et leviter declivibus, praeterea fortiter reclinatis. Desuper visus postice (spatio breviore) lateribus paullo concavatis sensim cito et fortissime posteriora versus angustatus est, praeterea vero lateribus parum rotundatis anteriora versus sensim paullo dilatatus, fronte latissima, secundum lineam bis retro fractam fortiter rotundata, vel potius ter rotundato-truncata, angulis lateralibus rotundatis; dorsum ipsum, quod maximum est, paene planum, postice latissime et leviter emarginatum, et punctis densis impressis sub-rugosum, ita paene hexagonum evadit. A latere visum dorsum ipsum ante oculos posticos (modo paullo ante declivitatem posticam sitos) paene rectum et paullo proclive est, pone eos sat fortiter declive et paene rectum; declivitas postica recta et praerupta est, et reliquo dorso non ita multo (non dimidio) brevior. Clypei altitudo $^{1}/_{4}$ diametri oculorum anticorum mediorum fere aequat. Quadrangulus *oculorum*, qui parvi sunt dicendi, totam latitudinem et plus quam dimidiam longitudinem cephalothoracis occupat: dimidio latior est postice quam antice, paene dimidio latior postice quam longior, et postice vix vel parum angustior quam cephalothorax eodem loco. Series oculorum anticorum circa $^{2}/_{3}$ latitudinis frontis occupat; medii eorum, spatio minuto disjuncti, a lateralibus anticis (quibus paene quadruplo majores sunt) spatio distant, quod horum diametro paullo est minus; linea recta oculos medios supra tangens laterales anticos non multo sub margine superiore secat. Oculi 2.^{ae} seriei circa 4.plo longius ab oculis posticis quam a lateralibus anticis remoti sunt. Oculi po-

stici, lateralibus anticis non vel parum minores, et paullo altius quam ii positi, saltem duplo longius inter se quam a margine cephalothoracis distant. Arcus supra-ciliares oculorum posticorum distincti quidem sed debiles sunt. *Sternum* ovatum, coxas anticas latitudine paene aequans; spatium inter has coxas labii latitudine paullo minus est.

Mandibulae anteriora versus et paullo deorsum directae, excepto ad basin ad rectum angulum divaricantes, triquetrae fere, intus compressae, altitudinem faciei longitudine duplo superantes, femoribus $1.^{i}$ paris etiam basi evidenter angustiores. Desuper visae circa dimidio longiores quam latiores sunt, paene a basi ad apicem sensim fortiter angustatae, extus basi geniculato-arcuatae, praeterea vero paene rectae, intus contra leviter ∽-formes, i. e. ad ipsam basin paullo convexo-arcuatae, apice vero paullo concavo-arcuatae, in medio rectae. Latus earum superius sat fortiter interiora versus declive est, paene planum, nitidum, transversim striatum et sulco transverso obliquo lato levi notatum: extus versus basin margine sub-elevato limitatur hoc latus, quod versus apicem extus dente longo forti anteriora versus et sursum directo est armatum. Latus vel margo interior non procul a basi, paullo ante locum, ubi divaricantes evadunt mandibulae, dente minore sed sat longo et forti porrecto praeditum est, his dentibus duobus paene inter se contingentibus; in latere inferiore ad ipsam basin, magis intus, dente vel potius spina valde longa et porrecta armatae sunt mandibulae, his spinis paene parallelis et non ita longe inter se remotis; latus mandibulae exterius fere in medio subter dentem fortissimum sub-obtusum porrectum et paullulo sursum curvatum ostendit, ante quem cito multo angustius evadit hoc latus. Unguis longitudine mandibulae est, apice excepto fortis, levissime bis incurvus: excepto prope basin et apice, quibus locis sat leviter est incurvus, paene rectus est; versus apicem (fere ad $^2/_3$ longitudinis), intus, dente brevissimo vel potius tuberculo obtuso munitus est, magis versus basin, intus, granulo uno alterove inaequalis. *Maxillae* labio paene duplo longiores, apice truncato, immo paullulo impresso-emarginato, angulis ejus rectis, brevissime

rotundatis; *labium* multo longius quam latius, apicem rotundatum versus parum angustatum. *Palpi* longi et graciles, in partibus patellari et tibiali sub-plumato-pilosi, clava parva, latitudine basin metatarsi 1.i paris paene aequanti. Pars patellaris, a basi ad apicem sensim paullo incrassata, circa duplo et dimidio longior est quam latior; pars tibialis parte patellari paullulo brevior et parum crassior est, sub-cylindrata, paene duplo et dimidio longior quam latior est, in apice lateris exterioris, superius, in dentem brevem sat latum acuminatum anteriora versus et paullo foras directum producta. Pars tarsalis parte tibiali paullo brevior et paene dimidio latior est, paene duplo longior quam latior, sub-ovata, apice obtusa, latere exteriore paene recto; bulbus sat magnus, humillimus, sub-ovatus vel breviter ellipticus. *Pedes* 1.i paris fortissimi, reliquis sat gracilibus multo robustiores, hirsuti, praesertim subter in patellis et tibiis pilis longis densis directis muniti. Coxa 1.i paris fere dimidio longior est quam latior, trochanter hujus paris paullo longior quam latior, femur compressum, latissimum, supra sat fortiter convexo-arcuatum. Patella tibiam longitudine aequat; tibia paene a basi ad apicem sensim paullulo angustata est, non deplanata, paene triplo longior quam latior; metatarsus, basi latus ibique tibiae apice parum angustior, a basi ad apicem sensim sat fortiter est angustatus, tarso vix dimidio longior, cum eo tibiam longitudine paene aequans. Pedes sex posteriores minus dense pilosi; in pedibus 4.i paris tibia patellâ paullo longior est, in reliquis pedibus eam longitudine circiter aequat. Ad apicem femorum 1.i paris, intus, aculeum minutum appressum video; tibiae hujus paris intus versus apicem 1. 1. aculeos sat fortes habent, metatarsi aculeos 2. 2. sat fortes et longos quoque. In tibiis 2.i paris 1. 1. aculei parvi appressi subter adesse videntur; metatarsi hujus paris subter aculeis 1. 1. (num pluribus?) distinctissimis instructi sunt: praeterea inermes videntur pedes. *Abdomen* depressum, ovatum, 4 paribus foveolarum rotundatarum in dorso: foveolae parium 2.i et 4.i longius inter se quam foveolae 1.i et 3.ii parium distant.

Color. — *Cephalothorax* totus niger, squamulis parvis cupreis supra sparsus (vestitus?) et fascia longitudinali sub-marginali

sat lata viridi-aurea e squamulis densis formata in utroque latere, posterius, ornatus; clypeus saltem in medio pilis longioribus nigricantibus non densis munitus est. *Sternum, maxillae* et *labium* nigro-picea sunt, *mandibulae* ejusdem coloris, modo intus, supra, paullo clariores, et prope basin supra vitta transversa viridi-aenea e squamulis densis formata ornatae; unguis nigro-piceus, apice piceo-ruber. *Palpi* rufescenti-picei, apice nigri, nigro-pilosi. *Pedes* 1.[i] paris nigro-picei, femoribus paene nigris, tarsis piceis: subter praesertim in patellis et in tibiis pilis longis densis nigricantibus sub-hirsuti sunt; in latere interiore femorum hujus paris squamulas tenues albo-caeruleas video, quae fascias duas obliquas formare videntur (?); praeterea ut reliqui sex pedes, qui magis picei sunt et minus dense nigro-pilosi, squamulis cupreis et aeneis saltem hic illic sunt muniti. Pedes 2.[i] paris intus saltem in tibia fasciam longitudinalem e squamulis aeneo-aureis formatam habere videntur, et femora posteriora in apice supra densius aeneo-squamulosa sunt. *Abdomen* nigro-piceum et eodem modo ac cephalothorax paene undique cupreo-squamulosum, excepto in ventre anterius; in lateribus ejus supra, anterius, squamulae viridi-aureae fasciam longitudinalem formare videntur. *Mamillae* piceae.

Lg. corp. 7; lg. cephaloth. 3 $^1/_4$, lat. ej. max. (front.) paene 3 $^1/_2$; lg. abd. paene 3 $^1/_2$; lat. ej. 2 $^2/_3$ millim. Ped. I 9, II 6 $^1/_4$, III circa 5 $^1/_4$, IV? (sine tarso 5 $^2/_3$) millim. longi; pat. + tib. I 3 $^2/_3$, pat. + tib. IV 2, metat. IV paullo plus 1 millim.

Marem singulum (paullo mutilatum) possideo, ad Gorontalo in ins. Celebes captum et ab amico Van Hasselt sub nomine *H. margaropis*, Thor., ad me missum. Multis quidem rebus, e. gr. femoribus 1.[i] paris aculeo parvo singulo ad apicem instructis, pedibus 2.[i] paris intus fascia longitudinali e squamulis sub-aureis vel flaventibus formata ornatis, cum *H. margarope* (cujus speciei modo femina junior adhuc cognita est) convenit hic mas; quum vero tibiis 1.[i] paris alio modo aculeatis et notis nonnullis aliis a *H. margarope*, ♀, differat, nescio an alius sit speciei, quam ob rem eum sub novo nomine *H. nobilis* supra descripsi.

277. **H. margarops**, Thor.

Syn.: 1877. *Homalattus margarops*, Thor., Studî, *cet.*, I, Ragni di Selebes, loc. cit., p. 629 (289).

Haec species, cum varietate ejus (num propria species?), quam (*H.*) *nebulosum* vocavi, ad Kandari in Celebes inventa est. — In descriptione ejus loc. supra cit. addendum est, femora 1.[i] paris ad apicem intus aculeo parvo esse armata; sulci unguicularis margo posticus laminam brevem bidentatam format, in margine hujus sulci antico vero modo singulum dentem video.

278. **H. hirsutus**, Thor.

Syn.: 1877. *Homalattus hirsutus*, Thor., Studî, *cet.*, I, Ragni di Selebes, loc. cit., p. 632 (292).

In Celebes, ad Kandari, captus fuit hic *Homalattus* quoque. — Aranea, quam Van Hasselt (1) *H. hirsutum*, Thor., appellat, ad Boven Rawas Sumatrae inventa, alia species haud dubie est, quum saltem palpis *non* deplanatis et femoribus 1.[i] paris ad basin subter dente armatis ab *H. hirsuto* differre videatur.

Gen. **Ciris**, C. L. Koch, 1848.

279. **C. relucens**, Thor.

Syn.: 1877. *Ciris relucens*, Thor., Studi, *cet.*, I, Ragni di Selebes, loc. cit., p. 623 (283).

Habitat in ins. Celebes, ad Kandari inventa.

Gen. **Marptusa**, Thor., 1877.

280. **M. nannodes**, n., *cephalothorace humili, in fundo sub-fusco, saltem in lateribus albo-pubescenti* (♀), *vel fascia supra-marginali alba utrinque ornato* (♂); *pedibus sex posterioribus testaceis, pedibus* 1.[i] *paris reliquis robustioribus et fusco-testaceis, in mare utrinque nigro-fasciatis, tibiis hujus paris modo* 2. 2. 2. *aculeis*,

(1) Midden Sumatra, *cet.*, Aran., p. 53.

subter sitis, armatis, tibiis et metatarsis 4 posterioribus aculeis carentibus; abdomine supra in fundo pallido, dorso in mare anterius fasciis duabus longitudinalibus nigricantibus et, pone eas, maculis nonnullis vel vittis transversis ejusdem coloris signato, abdomine feminae superius maculis parvis densis nigris sparso et posterius in dorso vittis paucis transversis recurvis vel retro fractis nigris (*anterioribus earum in medio abruptis*) *notato.* — ♂ ♀ ad. *Long.* ♂ *fere* 3 $^1/_4$, ♀ 4 *millim.*

Mas. — *Cephalothorax* saltem dimidio longior quam latior, aeque circiter longus ac patella + tibia + metatarsus 4.ⁱ paris, humilis, lateribus ante oculos posticos levissime rotundatis anteriora versus sensim angustatus, praeterea lateribus paullo fortius rotundatis posteriora versus fortius angustatus, antice in medio late truncatus, postice brevius rotundato-truncatus. A latere visus dorsum ipsum leviter convexum et paene libratum habet, oculis posticis in medio vel potius paullulo ante medium ejus positis, et declivitatem posticam rectam, parum praeruptam, ipso dorso duplo breviorem. Transversim planum est dorsum ipsum, impressione et sulco inter oculos posticos carens, arcubus supraciliaribus horum oculorum obsoletis. Clypeus vix $^1/_4$ diametri oculi maximi altitudine aequat. Quadrangulus *oculorum* vix $^2/_5$ longitudinis cephalothoracis occupat; saltem $^1/_4$, paene $^1/_3$, latior quam longior est, rectangulus, et postice paullo plus quam diametro oculi singuli postici angustior quam cephalothorax eodem loco. Linea recta margines superiores oculorum mediorum anticorum tangens laterales anticos inter marginem superiorem et centrum secat; illi magni sunt et valde prominentes, contingentes inter se, lateralibus anticis paene triplo majores et ab iis (qui non parum pone medios siti sunt) spatio sat parvo sed evidenti remoti. Oculi 2.ae seriei minuti fere in medio inter oculos posticos et laterales anticos locum tenent, saltem non longius ab his quam ab illis remoti. Oculi postici laterales anticos magnitudine saltem aequant, paene diametro sua altius quam ii positi; spatium, quo inter se distant, multo majus est quam id, quo a margine cephalothoracis sunt remoti. *Sternum* convexum, dimidio longius quam latius, sub-ellipticum, antice emarginato-truncatum.

postice breviter acuminatum; spatium inter coxas 1.i paris labii latitudinem superat.

Mandibulae paene directae, paullulo divaricantes, breves et latae, femore 1.i paris tamen angustiores, circa dimidio longiores quam latiores, latere exteriore leviter foras curvato, apice late et paullo oblique rotundato-truncatae, in dorso deplanatae et impressae vel potius leviter excavatae, ungui sat longo sed non forti. *Maxillae* paene parallelae et duplo longiores quam latiores, labio duplo longiores, apice late rotundato-truncatae; *labium* aeque longum ac latum basi, lateribus leviter rotundatis apicem versus sensim angustatum. *Palpi* mediocres, clava patellas anticas latitudine aequanti. Pars patellaris paullo longior est quam latior; pars tibialis ejus latitudine est sed eâ multo brevior, paullo latior quam longior, in apice lateris exterioris spina gracili recta foras et anteriora versus directa armata, quae latitudinem ipsius internodii longitudine circiter aequat. Pars tarsalis prioribus duabus conjunctis paullo longior est et iis saltem dimidio latior, angustius ovata, in latere exteriore modice, in interiore parum rotundata, apice obtuso; bulbus posteriora versus sub parte tibiali productus, antice abbreviatus et oblique truncatus ibique seta longa gracili in circulum involuta praeditus. *Pedes* 1.i paris reliquis longiores, sat robusti et reliquis multo robustiores; reliqui pedes breves et graciles. Femora 1.i paris paullo incrassata et sub-compressa sunt, supra sat fortiter et aequaliter convexo-arcuata; tibiae ejusdem paris patellâ paene dimidio sunt longiores, a basi ad apicem sensim paullo angustatae, plus triplo longiores quam latiores; metatarsi eadem sunt forma, sed paullo breviores et plus dimidio angustiores. Tibiae parium duo insequentium quoque patellâ circa dimidio longiores sunt, tibiae 4.i paris patellâ paene duplo longiores. Pedes 1.i paris, praeter aculeos paucos in femoribus, modo 2. 2. 2. aculeos sat parvos subter in tibiis et 2. 2. (2. 3) subter in metatarsis habet; pedes 2.i paris, praeter aculeis parvis gracilibus 1. 1. 1. in femoribus, 2. 2. 1. vel 2. 2. aculeis subter in tibiis et 2. 2. subter in metatarsis muniti sunt. Pedes posteriores modo in femoribus aculeati videntur. *Abdomen* cylindrato-lanceolatum, paene triplo

longius quam latius. *Mamillae* longae, superiores crassiores sed parum longiores quam inferiores, art. 2.° sub-conico et aeque longo ac lato fere. *Colulus* (precursus analis) solito major mihi videtur.

Color. — *Cephalothorax* in fundo castaneus, oculis utriusque lateris fascia nigra conjunctis; pube luteo-testacea ut videtur minus densa praesertim anterius vestitus est et fasciis duabus longis sat latis supra-marginalibus secundum totam longitudinem ejus extensis notatus, spatio fusco inter has fascias et cephalothoracis marginem lateralem nigrum iis paullo angustiore et anteriora versus sensim angustato. Clypeus saltem in lateribus albicanti-pubescens est, annuli circum oculos anticos medios supra sub-lutei, inferius albicantes. *Sternum* fuscum, nigro-marginatum. *Mandibulae*, *maxillae* et *labium* testaceo-fusca. *Palpi* testacei, parte femorali linea longitudinali nigra in latere exteriore signata, parte patellari lineola ejusmodi geminata ibidem notata, parte tarsali, basi paullo obscuriore excepta, flavo-testacea. *Pedes* 1.[i] paris testaceo-fusci, femoribus intus late cyaneo-nigris et extus quoque fascia nigra notatis, patellis intus nigris, tibiis et intus et extus versus apicem late nigris, metatarsis apice utrinque lineola nigricanti signatis, tarsis flavo-testaceis. Pedes 6 posteriores toti flavo-testacei. *Abdomen* supra et in lateribus in fundo testaceum videtur; in dorso antice fasciis duabus brevibus latis parallelis nigro-fuscis, non ad medium ejus pertinentibus et modo linea pallida separatis notatum est, et pone eas vittis circa 4 transversis crassis retro sub-curvatis et in medio plus minus evidenter in maculas binas abruptis, his fasciis et maculis ordines duos secundum totam dorsi longitudinem extensos formantibus; pube albicanti munitum fuisse videtur dorsum, tali pube fasciam longam latam in utroque latere abdominis, superius, formanti. Venter cum lateribus magis infra obscure fuscus est; *mamillae* nigrae.

Femina (nonne hujus speciei?) multis rebus a mare differt. *Cephalothorax* paullo latior quam in eo videtur; aeque circiter longus est ac patella + tibia + metatarsus + tarsus 1.[i] paris, vel ac patella + tibia + metatarsus 4.[i] paris, ante oculos po-

sticos lateribus paene rectis anteriora versus sensim paullo angustatus, pone eos in lateribus fortius rotundatus quam in mare; impressionem levem sat parvam postice in dorso, longe pone oculos posticos, habere videtur; a latere visum dorsum ipsum minus aequaliter convexum est, ante oculos 2.ae seriei fortius proclive, praeterea parum convexum, paene rectum. *Quadrangulus* oculorum $^1/_3$ latior est quam longior, paullulo angustior antice quam postice, ubi vix singula oculi postici diametro angustior est quam cephalothorax eodem loco. Linea margines superiores oculorum anticorum tangens recta est, vix sursum curvata; medii eorum paullo minores sunt quam in mare, lateralibus vix duplo et dimidio majores. Oculi 2.ae seriei evidentissime paullo longius a posticis oculis quam a lateralibus anticis distant.

Mandibulae deorsum directae sunt, parallelae, rectae, vix vel parum longiores quam latiores, paene quadratae, latae sed femoribus anticis non parum angustiores, in dorso sub-planae et pilis sparsae. *Palpi* a basi partis patellaris, quae paene dimidio longior est quam latior, ad medium partis tarsalis sensim paullulo incrassati sunt; pars tibialis priore paullo est longior, et paene dimidio longior quam latior; pars tarsalis etiam paullo longior, vix duplo longior quam latior, apice rotundata. *Pedes* breves, 1.i paris reliquis modice robustis multo robustiores: tibia eorum modo paullo longior est quam patellâ et modo paullo plus duplo longior quam latior, cylindrata; etiam in pedibus 2.i et 3.ii parium tibiae patellâ modo paullo longiores sunt, in 4.i paris pedibus patellâ paene dimidio longiores. Eodem modo atque in mare aculeati sunt pedes, excepto quod subter in tibiis 2.i paris modo 2. 1. aculeos video, et quod aculei pedum 1.i paris fortiores sunt quam in mare. *Abdomen* multo brevius est quam in eo, parum plus duplo longius quam latius, breviter ellipticum, sub-depressum, postice obtusum, antice sub-retusum. *Vulva* ex fovea magna levi rotundata pallida, antice nigro-marginata constare videtur. Colulus minor quam in femina. Praeterea in eam cadunt quae de maris forma diximus.

Color. — *Cephalothorax* in fundo testaceo-fuscus est, oculis utriusque lateris fascia abrupta nigra conjunctis, summo margine quoque et maculis duabus parvis antice in area inter-oculari nigris; pube crassa, minus densa, anterius sub-testacea, posterius albicanti supra munitus est, in lateribus pube densiore albicanti vestitus, clypeo densissime albo-pubescenti. *Sternum* nigrum, albicanti-pubescens. *Mandibulae* testaceo-fuscae; *maxillae* et *labium* nigra, apice testacea. *Palpi* flavo-testacei. *Pedes* 1.[i] paris fusco-testacei toti, reliqui pedes magis flavo-testacei. *Abdomen* in fundo superius testaceo-albicans est, vittis transversis brevibus sat angustis nigris circa 5, quae recurvae sunt vel in angulum retro fractae (anteriores in medio abruptae), et seriem longitudinalem ante medium dorsi incipientem et ad anum pertinentem formant; praeterea dorsum et latera maculis parvis nigris sat dense et aequaliter sunt sparsa. Latera abdominis et dorsi pube tenui alba vestita sunt, cujus vestigia etiam in reliquis partibus pallidis dorsi video. Venter cinereo-testaceus est, fascia media angusta nigra notatus, nigro-striolatus et albicanti-pubescens. *Mamillae* nigrae, summo apice pallidae.

♂. — Lg. corp. paene 3 $^1/_4$; lg. cephaloth. 1 $^1/_2$, lat. ej. 1, lat. front. circa $^5/_6$; lg. abd. paullo plus 1 $^1/_2$, lat. ej. circa $^3/_4$ millim. Ped. I 3 $^1/_2$, II circa 2 $^1/_2$, III 2 $^1/_2$, IV 3 millim. longi; pat. + tib. I circa 1 $^1/_5$, pat. + tib. III $^2/_3$, pat. + tib. IV paullo plus $^5/_6$; metat. + tars. IV $^5/_6$ millim.

♀. — Lg. corp. 4; lg. cephaloth. 1 $^5/_6$, lat. ej. circa 1 $^1/_4$, lat. front. 1; lg. abd. 2 $^1/_6$, lat. ej. 1 $^1/_3$ millim. Ped. I 3 $^1/_4$, II 2 $^1/_2$, III paene 2 $^1/_2$, IV circa 3 $^1/_4$ millim. longi; pat. + tib. I 1 $^1/_4$, pat. + tib. III $^5/_6$, pat. + tib. IV circa 1 $^1/_4$, metat. + tars. IV 1 millim.

Exemplum unum utriusque sexus in monte Singalang Sumatrae invenit Cel Beccari.

281. **M. sex-punctata** (Dol.).

Syn.: 1859. *Salticus sex-punctatus*, Dol., Tweede Bijdr., *cet.*, loc. cit., p. 21.
1881. *Marptusa sex-punctata*, Thor., Studî, *cet.*, II, Ragni dell'Austro-Malesia, *cet.*, loc. cit., p. 444 (*ubi cet. syn. videantur*).

Exemplum femineum pulcherrimum, 12 millim. longum, ad Sungei Bulu Sumatrae invenit Beccari; Van Hasselt ([1]) mentionem facit maris etiam paullo majoris, ad Muara Labu Sumatrae capti. Feminam juniorem nuper ex Museo Godeffr. obtinui, « *Acompse dulcinervis*, L. Koch, Palau » (Pelew) signatam. Ubi praeterea capta fuerit haec species, vid. in Thor., loc. cit.

282. **M. hians**, n., *cephalothorace brevi, in fundo ferrugineo-fusco, parte thoracica antice magis rufescenti; mandibulis divaricantibus, palpis flavo-testaceis totis; pedibus* 4.[i] *paris pedes* 3.[ii] *paris longitudine multo superantibus, pedibus* 1.[i] *paris reliquis, qui toti flavo-testacei sunt, multo robustioribus, fusco-ferrugineis, tarsis pallidis; aculeis longis* 2. 2. 2. *subter in tibiis et* 2. 2. *subter in metatarsis* 1.[i] *paris tuberculis altis impositis, tibiis* 2.[i] *paris* 1. 2., *metatarsis ejusdem paris* 2. 2. *aculeis subter armatis, tibiis et metatarsis posterioribus aculeis carentibus; abdomine longo, sub-lanceolato.* — ♀ ad. *Long. circa* 8 $^1/_2$ *millim.*

Femina. — *Cephalothorax* multo longior quam tibia cum patella 4.[i] paris, plus $^1/_4$, paene $^1/_3$ longior quam latior, in lateribus et postice fortiter et satis aequaliter rotundatus, dorso a latere viso ante declivitatem posticam parum convexo et in eam aequaliter transeunti (area inter-oculari planissima); declivitas postica, quae sat longe pone oculos posticos initium capit (oculi postici paullo longius ab ea quam ab oculis 2.[ae] seriei locum tenent) et dimidium reliqui dorsi longitudine multo superat, modice declivis est paulluloque convexa. Arcus supra-ciliares oculorum posticorum optime expressi sunt; utrinque, apud et pone hos oculos, impressionem procurvam ostendit cephalothorax, et in medio, magis postice, sulcum brevissimum sat profundum. Area inter-ocularis crassius rugoso-coriacea est, reliquum cephalothoracis laevissimum et nitidissimum. Altitudo clypei veri vix $^1/_4$ diametri oculi maximi aequat; sed cum membrana, quae mandibulas cum clypeo conjungit, dimidiam hanc diametrum alti-

([1]) Midden Sumatra, *cet.*, Araneae, p. 47.

tudine superat. Quadrangulus *oculorum* circa $^2/_5$ longitudinis cephalothoracis occupat; vix $^1/_4$ latior est quam longior, aeque latus antice ac postice, et plus dupla, paene tripla diametro oculi postici angustior postice quam cephalothorax eodem loco. Linea margines superiores oculorum anticorum (qui paene contingentes sunt inter se) tangens paene recta est, vix sursum curvata. Oculi 2.ae seriei non parum longius ab oculis posticis quam a lateralibus anticis remoti sunt; oculi postici, laterales anticos magnitudine saltem aequantes, paullo longius inter se quam a marginibus cephalothoracis distant. *Sternum* circa dimidio longius quam latius, coxis paullo latius; spatium inter coxas 1.i paris dimidiam labii latitudinem aequat.

Mandibulae deorsum et paullo anteriora versus directae, sat fortiter divaricantes, saltem dimidio longiores quam latiores, aeque longae ac patellae 1.i paris, et femora 1.i paris latitudine paene aequantes, sub-ovatae; in latere exteriore modice rotundatae sunt, intus modo ad basin (vix usque ad medium) contingentes inter se et rectae, dein paene rectae et hiantes; in dorso sub-planae sunt, interiora versus paullo declives, intus et extus costa sat lata curvata marginatae, rugulosae, nitidae. Sulcus unguicularis praesertim antice dentibus paucis parvis armatus est; unguis sat longus et fortis, modice curvatus. *Maxillae* labio plus dimidio longiores, angulo apicis exteriore rotundato; *labium* multo longius quam latius, apice late truncatum. *Palpi* longi et graciles, metatarsos 1.i paris tamen crassitie aequantes, sat dense pilosi, attamen non plumato-pilosi. Pars patellaris duplo longior est quam latior, pars tibialis ejus longitudine, apicem versus sensim paullulo dilatata, fere duplo longior quam latior; pars tarsalis duabus prioribus conjunctis vix vel parum brevior est, basi apicem partis tibialis latitudine saltem aequans, versus apicem sensim paullo angustata. *Pedes* 4.i paris pedibus 3.ii paris multo longiores sunt, pedes 1.i paris reliquis pedibus multo robustiores iisque densius pilosi, praesertim in patellis et tibiis, subter, et pedibus 4.i paris modo paullo breviores; coxae 1.i paris (ut coxae et trochanteres 4.i paris) paullo longiores quam latiores sunt, femora paullo compressa et supra ad longitudinem convexa. Tibia

1.^i paris patellâ vix dimidio longior est, circa triplo et dimidio longior quam latior; metatarsus hujus paris tibiâ multo angustior et non parum brevior est, desuper visus a basi ad apicem sensim paullo angustatus, tarsus metatarso multo angustior et fere duplo brevior, sub-clavatus. Patella 3.^ii paris tibiam longitudine aequat; tibia 4.^i paris patellâ plus dimidio, paene duplo longior est. Femora 1.^i paris 1 aculeum, reliqua 1. 1. aculeos supra ad apicem ostendunt, patellae inermes sunt; tibiae 1.^i paris subter 2. 2. 2. aculeos rectos habent, quorum interiores longi et fortes sunt et tuberculis altis impositi, exteriores minores, in tuberculis minoribus locati; aculei 2. 2. subter in metatarsis hujus paris etiam longiores et fortiores sunt, tuberculis altissimis impositi. Subter in tibiis 2.^i paris, versus apicem, modo 1. 2. aculeos mediocres video, in metatarsis subter 2. 2. majores, in tuberculis altis positos. Pedes 4 posteriores plane inermes videntur, excepto in femoribus. *Abdomen* longum et angustum, posteriora versus sensim angustatum et acuminatum, sub-lanceolatum. *Vulva* ex fovea sat magna rotundato-triangula constat, quae septo angusto apice sub-incrassato in duas dividitur. *Mamillae* longae, superiorum articulus 1.^s cylindratus, saltem triplo longior quam latior, 2.^s sub-conicus, aeque longus ac latus basi; mamillae inferiores superioribus paullo breviores et crassiores, sub-conicae, art. 2.° minuto, brevissimo.

Color. — *Cephalothorax* in fundo ferrugineo-fuscus, arcubus supra-ciliaribus et macula vel stria longitudinali ad oculos anteriores utriusque lateris nigris; pars thoracica antice in formam vittae transversae bis recurvae paullulo pallidior est, clypei membrana pallide rufescens. Pube alba et luteo-rubra munitus est cephalothorax, cujus in nostro exemplo detrito remanent macula parva alba in medio inter oculos posticos et stria media longitudinalis alba pone eam, usque ad marginem posticum pertinens; praeterea inter et circum oculos utriusque lateris pube praesertim luteo-rubra vestitus fuisse videtur cephalothorax: annuli circum oculos anticos superius hujus coloris sunt, inferius albi. *Sternum* sub-fusco-testaceum. *Mandibulae* ferrugineo-fuscae, *maxillae* et *labium* picea, apice anguste pallidiora. *Palpi*

flavo-testacei toti, in partibus tibiali et tarsali pilis sat longis et sat densis albicantibus vestiti, pilis in apice subter brevioribus, densioribus et ad partem obscurioribus. *Pedes* 1.[i] paris fusco-ferruginei, coxis et trochanteribus piceis, tarsis testaceis; nigro-pilosi sunt et saltem supra in tibiis et metatarsis albo-pubescentes, aculeis nigris; reliqui pedes toti flavo-testacei. *Abdominis* color in exemplo nostro deperditus est: in fundo nigricans fuisse videtur, et hic illic vestigia pubescentiae albicantis ostendit. *Mamillae* fuscae.

Lg. corp. 8 $^1/_2$; lg. cephaloth. paene 3 $^1/_4$, lat. ej. 2 $^1/_2$, lat. front. 1 $^4/_5$; lg. abd. 5 $^1/_4$, lat. ej. 2 millim. Ped. I 6 $^3/_4$, II circa 5, III 5, IV 7 millim. longi; pat. + tib. I 2 $^3/_4$, pat. + tib. III 1 $^4/_5$, pat. + tib. IV saltem 2 $^1/_4$, metat. + tars. IV 2 $^1/_4$ millim.

Exemplum in Sumatra a Cel. Forbes captum, quod singulum vidi, benigne mecum communicavit Rev. Cambridge; detritum est, colore abdominis plane deperdito. — Feminae *M. sexpunctatae* (Dol.) affinis est haec aranea, sed formâ aliâ mandibularum, palpis crassioribus, totis testaceis et *non* plumato-pilosis, 4.[i] paris pedibus 3.[ii] paris pedes longitudine multo superantibus, cet., abunde distincta.

283. **M. decorata**, n., *cephalothorace brevi, in fundo saltem postice nigro-piceo, pube flava munito; mandibulis vix divaricantibus, palpis albicantibus; pedibus* 1.[i] *paris reliquis, qui toti flavo-testacei sunt, non parum robustioribus, piceis, patellis, tarsis, apice tibiarum et basi metatarsorum testaceis, aculeis longis et tuberculis altis impositis* 2. 2. 2. *subter in tibiis et* 2. 2. *subter in metatarsis armatis; tibiis* 2.[i] *paris* 2. 1., *metatarsis ejusdem paris* 2. 2. *aculeis subter munitis, tibiis et metatarsis posterioribus aculeis carentibus; abdomine longo, sub-lanceolato, nigricanti, maculis* 4 *magnis albis superius ornato.* — ♀ ad. *Long. circa* 8 $^2/_3$ *millim.*

Femina. — Priori ad formam simillima, colore pedum 1.[i] paris et abdominis facile internoscenda. — *Cephalothorax* multo longior est quam tibia cum patella 4.[i] paris, saltem $^1/_5$ longior quam latior, ad formam et sculpturam omnibus numeris cum cepha-

lothorace *M. hiantis* conveniens, modo impressionibus tribus radiantibus utrinque, posterius in parte thoracica, fortioribus, et posterius quoque evidenter paullo coriaceus. Altitudo clypei veri (profunde emarginati) sub oculis mediis anticis vix ulla dicenda; sed cum membrana mandibulari lata et lunata altitudo ejus dimidiam diametrum oculi maximi superat. *Oculi* quoque ut in priore specie diximus; spatium tamen inter oculos posticos vix vel non majus visum est quam id, quo a margine cephalothoracis distant. *Sternum,* spatium inter coxas $1.^{i}$ paris, *maxillae* et *labium* ut in priore est dictum.

Mandibulae paene directae, vix divaricantes, patellas $1.^{i}$ paris longitudine vix aequantes, femore $1.^{i}$ paris paullo angustiores, paullo longiores quam latiores, in latere exteriore rotundatae, in interiore latere rectae et a basi usque ad medium contingentes inter se, apice late et oblique truncatae, in dorso supra paene planae et interiora versus declives, extus et intus costà marginatae, transversim rugulosae, nitidae. Sulcus unguicularis intus uno alterove dente minuto armatus videtur; unguis sat longus et fortis. *Palpi* ut in priore, modo paullulo breviores et crassiores: paullo angustiores sunt quam metatarsi $1.^{i}$ paris ad basin. Partes patellaris et tibialis vix duplo longiores quam latiores sunt, et pars tarsalis evidentius brevior est quam partes duae priores conjunctim. *Pedes* ut in priore specie, excepto quod pedes $1.^{i}$ paris paullo minus robusti sunt quam in ea, etsi reliquis pedibus evidentissime robustiores. Paene eodem modo atque in *M. hiante* aculeati sunt pedes; femora tamen sex anteriora singulum aculeum habere videntur, et modo femora $4.^{i}$ paris 2 aculeos. Patellae aculeis carent. Tibiae $1.^{i}$ paris 2. 2. 2. aculeos sat longos, fortes, paene rectos et tuberculis altis impositos subter ostendunt, quorum interiores longiores et fortiores sunt quam exteriores; metatarsi hujus paris 2. 2. aculeis etiam longioribus et tuberculis altioribus impositis armati sunt. In pedibus $2.^{i}$ paris subter in tibiis 2. 1. aculeos mediocres versus apicem sitos video, et subter in metatarsis 2. 2. aculeos longiores habent hi pedes, ut aculei tibiarum in tuberculis minoribus positos. Pedes 4 posteriores aculeis carere videntur, excepto in femoribus.

Abdomen sub-lanceolatum, antice rotundatum, posteriora versus sensim angustatum et acuminatum, paene duplo et dimidio longius quam latius; *vulva* ex fovea parva transversa constare videtur, ad cujus marginem anticum puncta duo elevata (vel impressa?) conspiciuntur. *Mamillae* ut in specie priore est dictum.

Color. — *Cephalothorax* in fundo nigro-piceus, area inter-oculari antice, vitta transversa pone (apud) oculos posticos, fascia vel linea longitudinali in parte thoracica et lateribus partis cephalicae antice magis piceis vel rufescentibus, membrana clypei lunata luteo-alba. Pube flava munitus (vestitus?) est cephalothorax, cujus in exemplo nostro detrito remanent vestigia hic illic in area inter-oculari, inter oculos utriusque lateris et in vitta illa transversa pallidiore, et quae praeterea maculam parvam flavam in medio inter oculos posticos et lineam longitudinalem ejusdem coloris usque ad marginem posticum pertinentem in fascia illa pallidiore partis thoracicae format. Annuli circum oculos anticos medios superius rubri sunt, inferius flavi; oculi laterales antici annulo postice flavo, praeterea rubro cinguntur. *Sternum* testaceo-fuscum. *Partes oris* piceae, mandibulae in cyaneum colorem paullo exeuntes; *palpi* flavo-albi, albo-pilosi, summa basi partis femoralis picea. *Pedes* 1.[i] paris picei sunt, patellis totis, tibiarum apice anguste metatarsorumque basi late testaceis, tarsis flavo-testaceis totis; nigro-pilosi sunt, in partibus pallidis saltem ad partem pallido-pilosi et albo-pubescentes; aculeis nigris. Reliqui sex pedes toti flavo-testacei sunt, pallido-pilosi, fasciculis unguicularibus nigris. *Abdomen* in fundo nigricans, paullo nigro-maculatum, et maculis quattuor magnis albis in lateribus magis supra ornatum, quarum duae anteriores incurvo-triangulae vel sub-lunatae sunt, spatium basale rotundato-quadratum sat magnum in dorso inter se relinquentes (in quo striae vel maculae longitudinales duae albae adfuisse videntur); maculae duae posteriores obliquae et sub-quadratae sunt, marginibus interioribus parallelis, non parum pone medium sitae et paullo longius ab ano quam a maculis anterioribus remotae; spatium longitudinale in dorso inter has maculas vix $^1/_3$ latitudinis ejus occupat. Venter nigricans vestigia lineae mediae et fasciarum

duarum lateralium nigrarum secundum longitudinem ductarum ostendit. *Mamillae* nigro-fuscae.

Lg. corp. 8 $^2/_3$; lg. cephaloth. paullo plus 3, lat. ej. 2 $^1/_2$, lat. front. circa 1 $^4/_5$; lg. abd. 5 $^1/_4$, lat. ej. paene 2 $^1/_4$ millim. Ped. I 6 $^1/_4$, II paene 5, III 5, IV 7 millim. longi; pat. + tib. I 2 $^1/_2$, pat. + tib. III 1 $^1/_2$, pat. + tib. IV 2 $^1/_4$, metat. + tars. IV 2 $^1/_2$ millim.

Exemplum singulum eximiae hujus speciei vidi, in Sumatra a Forbes captum et a Cel. Cambridge mecum communicatum. — Ad genus *Baviam*, Sim., haec aranea, ut duae priores, haud dubie pertinet.

284. **M. demissa**, n., *cephalothorace patellam + tibiam + $^2/_3$ metatarsi 4.^{i} paris longitudine aequanti, humillimo, paene plano, nigro, plaga maxima ferrugineo-fusca sub-lunata in parte thoracica notato, et squamulis aeneo-aureis munito, quae saltem vittam transversam ad oculos anticos format; pedibus 1.^{i} paris reliquis paullo robustioribus, piceis vel nigricantibus, basi et tarsis sub-testaceis, reliquis pedibus ad maximam partem sub-testaceis; tibiis et metatarsis anterioribus aculeis multis armatis et, saltem in mare, etiam supra aculeatis, metatarsis 4.^{i} paris modo apice aculeatis; abdomine in fundo nigricanti, macula apicali pallida in dorso, squamulisque aeneo-aureis munito, quae vittas transversas tres formant, anteriores duas recurvas, tertiam brevem, rectam, in ipso apice dorsi sitam; palpis brevibus, apice intus dense pilosis, spina partis tibialis in mare sub-recta et diametrum hujus partis longitudine aequanti, bulbo a latere viso alto et triangulo; vulva ex area parva oblonga fusca constanti.* — ♂ ♀ ad. *Long.* ♂ *circa* 6 $^3/_4$, ♀ *circa* 7 $^2/_3$ *millim.*

Mas. — *Cephalothorax*, patellam + tibiam + $^2/_3$ metatarsi 4.^{i} paris longitudine circiter aequans, saltem $^1/_4$ longior est quam latior, humillimus, desuper visus antice levissime rotundatus, fere a centro coxarum 2.^{i} paris usque ad palpos lateribus levissime rotundatis anteriora versus modo paullo angustatus, dein fortius rotundato-angustatus; pone coxas illas lateribus fortiter rotundatis posteriora versus angustior evadit, parte thoracica posterius paene semi-orbiculata, in medio postice truncata. Supra paene planus

est cephalothorax, parte cephalica a latere visa tamen paullo convexa et elevata et inter oculos paullo proclivi (oculi postici ante medium dorsi ipsius, parum plus diametro sua altius quam oculi laterales antici, locati sunt); declivitas postica brevissima est, satis praerupta, et reliquo dorso circa triplo brevior. Ad utrumque oculorum posticorum, postice, paullo impressus est cephalothorax, et in medio inter hos oculos, paullo magis postice, foveam transversam ostendit, quae in medio sulco ordinario brevissimo continuatur. Clypei altitudo $^1/_4$ diametri oculi maximi circiter aequat. *Oculorum* quadrangulus parum plus $^1/_3$ longitudinis cephalothoracis occupat; circa $^1/_3$ latior est quam longior, saltem oculi postici diametro latior antice quam postice, ubi plus dupla, fere tripla oculi postici diametro angustior est quam cephalothorax eodem loco. Oculi medii antici, sub-contingentes inter se, lateralibus anticis plus duplo majores sunt et ab iis spatiis parvis remoti; linea margines superiores oculorum anticorum tangens recta est, vix sursum curvata. Oculi minuti 2.ae seriei paullulo longius ab oculis lateralibus anticis quam a posticis oculis remoti videntur; oculi postici, lateralibus anticis evidenter minores, paullo longius inter se quam a margine cephalothoracis distant. *Sternum* coxis latius, inverse et breviter sub-ovatum; spatium inter coxas 1.i paris labii latitudinem saltem aequat.

Mandibulae parvae, directae, cylindrato-sub-conicae, apice truncatae, dimidio longiores quam latiores, patellis 1.i paris multo breviores, in dorso leviter convexae, apice intus impressae, transversim subtiliter striatae, saltem basi pilosae; unguis brevis et debilis, modo leviter curvatus. *Maxillae* duplo longiores quam latiores fere, labio duplo longiores, apice intus oblique truncatae, extus fortiter rotundatae. *Labium* paullo longius quam latius videtur, apicem sub-truncatum (?) versus sensim paullo angustatum. *Palpi* breves, crassi, clava femora antica latitudine aequanti. Pars patellaris parum longior est quam latior, pars tibialis ea paullo angustior et plus duplo brevior, paene duplo latior quam longior: in apice lateris exterioris spina sat forti, paene recta, foras et anteriora versus paulloque deorsum directa

munita est, cujus summus apex, qui obtusus videtur, deorsum est curvatus; longitudo hujus spinae latitudinem partis tibialis aequat. Pars tarsalis prioribus duabus conjunctis non parum longior est et parte patellari circa dimidio latior; saltem dimidio longior est quam latior, inaequaliter et breviter sub-ovata, convexa, praesertim in latere interiore pilis longioribus densis rectis et patentibus vestitus. Bulbus altus, a latere visus sub-triangulus et antice excavatus; quae excavatio costa (spina?) nigra in helicem (gyro singulo magno) convoluta occupatur. *Pedes* mediocres, 1.^{i} paris reliquis longiores et modo paullo robustiores; coxae omnes circa dimidio longiores sunt quam latiores, trochanteres omnes brevissimi, femora praesertim 1.^{i} paris paullo compressa et supra convexo-arcuata. Tibiae 1.^{i} et 4.^{i} parium patellâ parum plus dimidio longiores sunt, reliquae tibiae patellâ evidenter sed non dimidio longiores; tibia 1.^{i} paris cylindrata, paene 5.plo longior quam latior, metatarsus paene cylindratus, tibiâ non parum brevior et angustior, tarsus metatarso paene duplo brevior, vix clavatus. Aculeis multis sat longis et modice fortibus armati sunt pedes; femora omnia circa 5 aculeos habent, patellae omnes 1 aculeum in utroque latere. Pedes 1.^{i} paris, praeter in femore et patella, hoc modo sunt aculeati: tibiae subter aculeos 2. 2. 2., antice et postice 1. 1. 1., supra 1, metatarsi subter aculeos 2. 2., antice et postice 1. 1., supra 1 aculeum ostendunt. Pedes 2.^{i} paris eodem modo sunt aculeati, excepto quod aculei supra in tibiis 1. 1. sunt. Metatarsi 4.^{i} paris modo apice sunt aculeati, 3.^{i} paris vero etiam versus basin et medium. (Numerus aculeorum supra in tibiis et metatarsis anterioribus verisimiliter variat). *Abdomen* apicem versus angustatum, sub-lanceolatum, circa duplo et dimidio longius quam latius. *Mamillae* superiores longae, art. 1.° circa 4.plo longiore quam latiore, cylindrato, 2.° sub-conico et saltem aeque longo ac lato ad basin; mamillae inferiores superioribus multo crassiores et non parum breviores sunt, subconicae, art. 2.° brevissimo.

Color. — *Cephalothorax* in fundo antice, usque paullo pone oculos posticos, niger est, dein ferrugineo-fuscus, limbo partis thoracicae postice et in lateribus sat late nigricanti. Pilis nigris

sparsus est et squamulis cyaneo- et cupreo-aureis munitus, quae saltem vittam marginalem transversam sat latam antice formant; in parte pallida, pone oculos posticos, squamulis albis vel argenteis aureo-micantibus vestitus fuisse videtur, intermixtis fortasse aureis, cyaneis et cupreis. Clypeus pilis longis cinereo-testaceis, certo situ cupreo-aureis, saltem in medio et in lateribus vestitus est; annuli circum oculos anticos ejusdem sunt coloris, et mandibulae ad basin talibus pilis praeditae videntur. *Sternum* subtestaceum. *Mandibulae* nigro-piceae. *Maxillae* et *labium* picea quoque, illae apice intus pallidiores. *Palpi* testacei, nigro-pilosi et -aculeati, saltem in medio supra aeneo-aureo-squamulosi, partibus tibiali et tarsali fuscis. *Pedes* testacei, apice femorum omnium (posteriorum minus late et distincte) nigris, patellis, tibiis et metatarsis 1.[i] paris nigricantibus quoque; squamulis minutis aeneo-aureis vestiti fuisse videntur pedes, qui praeterea nigro-pilosi et -aculeati sunt. *Abdomen* in fundo nigricans, macula majore pallidiore ad apicem posticum; in dorso squamulis aeneo-aureis ad magnam partem vestitum est, quae vittas transversas tres formant, quarum prima sive basalis lata est, recurva et in lateribus longe retro producta, secunda non parum pone medium locata et recurva quoque, tertia brevis, recta, in ipso apice dorsi sita. Venter pallide fusco-cinereus vel -testaceus, albicanti-pubescens. *Mamillae* testaceo-fuligineae, superiores basi late nigrae.

Femina, quam hujus speciei credo, ad formam a mare vix nisi his rebus differt. *Cephalothorax* ante declivitatem posticam etiam magis planus est, dorso a latere viso recto; oculi postici vix diametro sua altius quam oculi laterales antici locati sunt. *Palpi* breves, crassi; pars patellaris paullo longior est quam latior, pars tibialis eâ brevior, vix longior quam latior, desuper visa quadrata; pars tarsalis duas priores conjunctas longitudine aequat et earum latitudine est, cylindrata, apice rotundata, pilis longis nigris praesertim in latere interiore densis et hic magis patentibus vestiti, ita ut palpi paullo clavati videantur. *Pedes* 1.[i] paris breviores quam in mare, tibia vix quadruplo longiore quam latiore; tibiae, 4.[i] paris exceptis, patellâ non dimidio longiores sunt, tibiae 3.[ii] paris patellâ vix vel parum longiores. Eodem modo

atque in mare aculeati sunt pedes, his exceptis: in patellis (an etiam 4.ⁱ paris?) aculeus modo extus adest; tibiae et patellae anteriores nullum aculeum supra ostendunt; in latere exteriore tibiae 2.ⁱ paris modo 1. 1. aculeos video. *Abdomen* angustius ovatum, depressum, fere duplo longius quam latius. *Vulva* aream parvam sub-elevatam oblongam fuscam, fere duplo longiorem quam latiorem format: quum in fluido immersa est aranea, haec area ex costis duabus brevibus, sulco tenui longitudinali disjunctis constare videtur; paullo ante eam puncta duo fusca adsunt et apici ejus postico adjacent areae duae orbiculatae pallidae majores, inter se contingentes.

Color paene idem est atque in mare, sed squamulae in parte thoracica magis aureae sunt quam albicantes, et palpi in fundo basi testacei, partibus tibiali et patellari piceo-fuscis. Pedes 1.ⁱ paris nigro-picei dicendi, coxis, trochanteribus, basi femorum (praesertim subter late) et tarsis fusco-testaceis, apice tibiarum sat late paullo clariore quoque. Reliqui pedes pallide fusco-testacei sunt, femoribus 2.ⁱ et 3.ⁱⁱ parium apice nigris, patellis et basi tibiarum metatarsorumque 2.ⁱ paris paullo infuscatis quoque. *Abdomen* in fundo superius nigrum et secundum medium dorsi inaequaliter pallidius est, macula vel plaga apicali pallida ut in mare praeditum, ut in eo squamulosum. Venter cinereo-testaceus secundum medium umbram nigricantem posteriora versus sensim angustatam ostendit. *Mamillae* nigrae, summo apice pallidiores. Praeterea color est ut in mare diximus.

♂. — Lg. corp. 6 $^3/_4$; lg. cephaloth. 3 $^1/_6$, lat. ej. paene 2 $^2/_3$, lat. front. 2 $^1/_6$; lg. abd. paene 3 $^1/_2$, lat. ej. 1 $^2/_3$ millim. Ped. I 9 $^1/_2$, II 7 $^1/_6$, III 7 $^1/_4$, IV 7 $^1/_4$ millim. longi; pat. + tib. I 3 $^1/_2$, pat. + tib. III 2 $^1/_4$, pat. + tib. IV 2 $^1/_3$, metat. + tars. IV 2 $^1/_6$ millim.

♀. — Lg. corp. 7 $^2/_3$; lg. cephaloth. 3 $^1/_6$, lat. ej. paene 2 $^1/_2$, lat. front. 2; lg. abd. 4 $^2/_3$, lat. ej. 2 $^1/_3$ millim. Ped. I 7, II paullo plus 6, III 6 $^1/_2$, IV 6 $^3/_4$ millim. longi; pat. + tib. I paene 3, pat. + tib. III 2 $^1/_5$, pat. + tib. IV 2 $^1/_2$; metat. + tars. IV 1 $^3/_4$ millim.

Cel. Beccari marem singulum (qui cutem nuper exuisse videtur) ad Sungei Bulu et feminam ad Ajer Mancior Sumatrae invenit.

285. **M. oppressa**, n., *cephalothorace patellam + tibiam + metatarsum 4.i paris longitudine aequanti, humillimo, paene plano, nigro, plaga maxima sub-lunata ferrugineo-fusca vel picea in parte thoracica notato, squamulisque sub-cupreis munito, quae saltem vittam transversam ad oculos anticos formant; pedibus 1.i paris reliquis paullo robustioribus, ad maximam partem piceis, reliquis pedibus ad maximam partem sub-testaceis; tibiis et metatarsis anterioribus aculeis multis armatis, tibiis anterioribus saltem in mare etiam supra aculeatis, metatarsis 4.i paris (saltem in mare) non modo apice aculeatis; abdomine in fundo nigricanti, macula apicali pallida in dorso notato, squamulisque sub-cupreis munito, quae (saltem in ♀) vittas transversas tres formant, anteriores duas recurvas, tertiam brevem, rectam, in ipso apice dorsi sitam; palpis brevibus, spina partis tibialis palporum in ♂ fortiter sursum curvata, duplam hujus partis diametrum longitudine aequanti; vulva ex foveis duabus magnis divaricantibus, septo postice disjunctis constanti.* — ♂ ♀ ad. *Long.* ♂ *circa* 6 1/4, ♀ *circa* 6 1/2 *millim.*

Mas. — Simillimus est mari praecedentis speciei, *M. demissae*, et his notis fere unice ab eo distinguendus. *Cephalothorax* patellam + tibiam + metatarsum 4.i paris longitudine aequat; clypei altitudo 1/3 diametri oculi maximi aequare videtur. *Mandibulae* in toto dorso pilis sparsae sunt. *Palporum* pars patellaris aeque lata est ac longa, pars tibialis eâ duplo brevior sed vix angustior, duplo latior quam longior, latere exteriore in spinam longam gracilem, a medio ad apicem fortiter sursum curvatam et leviter incurvam producto, quae diametro partis tibialis paene duplo longior est et anteriora versus, foras et deorsum dirigitur. Pars tarsalis partibus duabus prioribus conjunctim circa dimidio longior est et parte patellari dimidio latior, angustius sub-ovata, saltem duplo longior quam latior, et pilis nigris sat longis et sat densis vestita. Bulbus, a latere visus parum altus, tuberculo basali intus munitus est, antice sub-excavatus et inaequalis, et apice extus

spina foras fracta et directa instructus, quae spina duplex videtur, ramo anteriore longiore (?). Tibiae 1.[i] paris, quae parum plus 4.plo longiores quam latiores videntur, patellâ dimidio, 4.[i] paris tibiae patellâ plus dimidio longiores sunt, reliquae tibiae patellâ non dimidio longiores. Eodem modo atque in priore aculeati sunt pedes, excepto quod metatarsi 4.[i] paris non tantum apice aculeati sunt, sed etiam versus medium (et basin?) aculeo muniti. In tibiis 1.[i] paris supra aculeos 1. 1., in 2.[i] paris tibiis ibidem modo 1, supra in metatarsis anterioribus nullum aculeum video: an ita semper? Patellae modo extus aculeum habere visae sunt (?).

Color cephalothoracis in fundo plane ut in specie priore; squamulae cupreo-aureae, quibus praeditus est, in nostro exemplo ita sunt detritae, ut remanent cupreo-aureae modo vitta transversa ad oculos anticos et fascia lata longitudinalis utrinque, per et sub oculis utriusque lateris ducta; pili in clypeo, circum oculos et in mandibulis cinereo-testacei sunt, non cupreo-aureo-micantes. *Partes oris* nigrae. *Palpi* fusco-testacei, partibus tibiali et tarsali piceis, nigro-pilosi. *Pedes* 1.[i] paris picei, modo coxis et trochanteribus fusco-testaceis; reliqui pedes fusco-testacei sunt, femoribus 2.[i] et 3.[ii] parium apice nigricantibus. *Abdomen* nigricans, macula majore pallida ad apicem dorsi; squamulis aureis munitum est, quarum in nostro exemplo modo basi, apice et secundum latera dorsi remanent vestigia. Venter pallidus secundum medium nigricans est. *Mamillae* nigrae.

Femina, quam non nisi cunctanter ad hunc marem refero, quum metatarsos 4.[i] paris modo apice aculeatos habeat, ab aranea, quam ut feminam *M. demissae* descripsi, non nisi vulva aliter formata certo distinguere possum. *Vulva* enim ex foveis duabus magnis oblongis profundis pallidis, anteriora versus divaricantibus constat, quae posterius septo angusto pallide fusco postice dilatato sunt disjunctae: paullulo pone hoc septum maculae duae minutae nigrae conspiciuntur. *Pedes* plane eodem modo atque in *M. demissa*, ♀, aculeati sunt.

Color paullo obscurior est quam in aranea illa: plaga magna media cephalothoracis picea est, reliquo cephalothorace parum clarior; squamulae, quas supra habet cephalothorax, albicanti-

aureae sunt, et summus margo lateralis albicanti-squamulosus; pili clypei et annuli circum oculos anticos albicantes, vix in aureum colorem exeuntes. *Sternum* sub-piceum, parum clarius quam partes oris. *Palpi* picei, basi late testaceo-picei. *Pedes* 1.^{i} paris picei, coxis parum clarioribus, tarsis testaceis. Reliqui pedes testacei, femoribus, ipso apice — et basi 3.^{ii} paris quoque — exceptis, piceis, patellis 2.^{i} paris sub-piceis, tibiis 2.^{i} et 3.^{ii} parium basi intus piceis quoque. *Abdomen* supra in fundo nigricans, colorem violaceum sentiens, macula magna vel plaga apicali pallida; squamulis aureo-micantibus munitum est, quae vittam basalem fortiter recurvam, vittam obliquam utrinque, pone medium, et vittam parvam transversam ad ipsum apicem in exemplo nostro formant. Venter pallidus, secundum medium in formam trianguli longi niger. *Mamillae* nigrae.

♂. — Lg. corp. $6\,{}^{1}/_{4}$; lg. cephaloth. 3, lat. ej. $2\,{}^{2}/_{3}$, lat. front. $1\,{}^{2}/_{3}$; lg. abd. $3\,{}^{1}/_{2}$, lat. ej. paene $1\,{}^{1}/_{3}$ millim. Ped. I 8, II paullo plus 6, III $5\,{}^{2}/_{3}$, IV $5\,{}^{1}/_{2}$ millim. longi; pat. + tib. I paene 3, pat. + tib. III paene 2, pat. + tib. IV 2; metat. + tars. IV paene $1\,{}^{2}/_{3}$ millim.

♀. — Lg. corp. $6\,{}^{1}/_{2}$; lg. cephaloth. 3, lat. ej. paene $2\,{}^{1}/_{2}$, lat. front. $1\,{}^{4}/_{5}$; lg. abd. $3\,{}^{3}/_{4}$, lat. ej. paene 2 millim. Ped. I 6, II 5, III $5\,{}^{1}/_{2}$, IV $5\,{}^{4}/_{5}$ millim. longi; pat. + tib. I $2\,{}^{1}/_{2}$, pat. + tib. III $1\,{}^{3}/_{4}$, pat. + tib. IV 2; metat. + tars. IV $1\,{}^{1}/_{2}$ millim.

Singulum exemplum utriusque sexus in Sumatra cepit Cel. Beccari, marem ad Sungei Bulu, feminam ad Ajer Mancior.

286. **M. humilis**, Thor.

Syn.: 1877. *Marptusa humilis,* Thor., Studi, *cet.*, I, Ragni di Selebes, loc. cit., p. 561 (221).

Haec aranea (femina), ad Kandari in Celebes inventa, feminis priorum duarum, praesertim vero ei, quam feminam *M. oppressae,* n., credo, adeo similis est, ut non facile ab iis internosci possit, praesertim quum exemplum singulum adhuc inventum nondum sit adultum et paene plane detritum. Color *abdominis* tamen alius videtur quam in iis: dorsum abdominis *caret plaga illa*

apicali pallida, quam in *M. demissa* et in *M. oppressa* videmus. Pedes 1.[i] paris, ad colorem ut in *M. oppressa*, in *M. humili* paullo longiores quam in ea videntur: cephalothorax patellam + tibiam + $^1/_4$ metatarsi hujus paris longitudine modo aequat, quum in *M. oppressa*, ♀, aeque longus est ac patella + tibia + $^2/_3$ metatarsi. In *M. humili* tibia 1.[i] paris plus 3.plo longior est quam latior, in *M. oppressa*, ♀, triplam latitudinem suam longitudine vix vel non aequat. (Metatarsus 4.[i] paris in *M. humili*, praeter apice, in *medio* aculeum habet, quem in feminis *M. demissae* et *M. oppressae* non video; haec nota tamen nullius momenti fortasse est: conf. descriptionem nostram, loc. cit.). Quamquam vix aliis notis exemplum *M. humilis* a me visum a *M. oppressa*, ♀, distinguere possum, non dubito, quin sit haec ab illa re vera diversa.

287. **M. formosissima**, n., *cephalothorace humillimo, paene plano, nigro, plaga magna sub-lunata ferruginea in parte thoracica notato, et squamulis caeruleis munito, quae vittam transversam ad oculos anticos formant, aliamque vittam transversam mediam, quae plagam illam saltem antice tegit, margine laterali quoque caeruleo-squamuloso; pedibus* 1.[i] *paris reliquis robustioribus, nigris, basi latissime sub-testaceis, tarsis ferrugineo-testaceis, reliquis pedibus paene totis sub-testaceis et, ut pedes* 1.[i] *paris, squamulis caeruleis ad magnam partem vestitis; tibiis et metatarsis anterioribus aculeis multis etiam supra sitis instructis, metatarsis posterioribus non tantum apice aculeatis; abdomine supra nigro, vittis tribus transversis caeruleis; palpis maris brevibus, spina partis tibialis sat leviter deorsum curvata, duplam hanc partem longitudine circiter aequanti.* — ♂ ad. *Long. circa* 6 *millim.*

Mas ad. — *M. oppressae* mari simillimus est, sed sine dubio distinctus. Exemplum nostrum siccatum et acui affixum est, quo fit, ut modo pauca de forma ejus dicere possim; cephalothorax, ut reliquae partes, palpis exceptis, ad structuram fere ut in illa specie et in *M. demissa* esse videtur. *Cephalothorax* 3 $^1/_2$ millim. longus est, aeque paene longus ac tibia cum patella 1.[i] paris; abdomen circa 3 millim. longum, tibia cum patella 3.[ii] paris 2 $^1/_2$,

tibia cum patella 4.[i] paris paullo plus 2 $^1/_2$ millim., metatarsus cum tarso 4.[i] paris paene 2 $^1/_2$ millim. *Oculi* seriei 2.[ae] evidentissime longius ab oculis lateralibus anticis quam a posticis oculis remoti sunt; spatium, quo inter se distant oculi postici, multo majus est quam id, quo a margine cephalothoracis sunt remoti. *Palporum* pars patellaris evidenter (vix vero dimidio) longior est quam latior; pars tibialis transversa est et parte patellari saltem duplo brevior, apice lateris exterioris in spinam longam, anteriora versus, foras et deorsum directam, ipsa basi excepta deorsum vel intus (non sursum!) sat leviter curvatam excurrenti, quae basi fortis est, praeterea gracilior, apice obtusa, latitudinem partis tibialis longitudine superans. Pars tarsalis priores duas conjunctas longitudine paullo superat, iis non parum latior, breviter sub-ovata, non duplo longior quam latior; bulbus altus, inaequalis, antice excavatus. Tibiae anteriores subter 2. 2. 2., antice et postice 1. 1. 1., supra 1. 1. aculeos habent (tibiae 3.[ii] paris, vix vero 4.[i], aculeum etiam supra); metatarsi anteriores subter 2. 2., antice et postice 1. 1., supra (versus basin) 1 aculeis sunt armati; metatarsi 3.[ii] paris ad apicem, versus medium et basin aculeati sunt, metatarsi 4.[i] paris ad apicem et versus basin.

Color. — *Cephalothorax* in fundo niger est, plaga magna transversa sub-lunata ferruginea in parte thoracica notatus; pilis nigris sparsus et squamulis caeruleis (certo situ viridi- vel albido-micantibus) saltem ad partem vestitus est: in nostro exemplo hae squamulae vittam transversam angustam inaequalem ad oculos anticos formant, aliamque vittam transversam mediam postice inaequalem, quae plagam illam ferrugineam antice occupat, apicibus paullo procurvis usque ad margines cephalothoracis eos quoque caeruleo-squamulosos pertinens; plaga illa etiam postice vestigia squamularum caerulearum (vittae tertiae?) ostendit. Etiam sub oculis anticis et circum hos oculos, ut et in mandibulis, squamulae caeruleo-virides adsunt; annuli circum oculos illos saltem certo modo visi albicantes tamen sunt. *Sternum* fusco-testaceum. *Mandibulae* nigrae; *maxillae* et *labium* nigro-picea. *Palpi* fusco- vel ferrugineo-testacei, clava nigricanti, nigro- et fusco-pilosi, squamulis caeruleis saltem hic illic muniti. *Pedes*

fusco-testacei sunt, 1.[i] paris femoribus apice sat anguste, cum tibiis basi latissime, nigris, patellis quoque et metatarsis cum apice tibiarum (late) obscuris quidem iis quoque, sed magis piceis, tarsis ferrugineo-testaceis; etiam in pedibus 2.[i] et 3.[ii] parium femora apice nigricantia sunt, 2.[i] paris pedes praeterea paullo nigricanti-annulati. Squamulis caeruleis ad magnam partem supra tecti fuisse videntur pedes: in 1.[i] paris pedibus tamen modo apex femoris, tota patella et dimidium apicale tibiae ejusmodi squamulis vestita sunt. *Abdomen* supra nigrum, vittis tribus transversis sat angustis caeruleis e squamulis formatis ornatum, quarum prima sive basalis recurva est, secunda, paullo pone medium sita, paullo recurva quoque, tertia brevissima, ipsum apicem dorsi occupans. Venter pallidus, plaga magna media nigra posteriora versus sensim angustata pone rimam genitalem notatus. *Mamillae* nigricantes.

Mas supra descriptus, ex Museo Regni, quod Holmiae est, mecum communicatus, in Borneo captus fuit. *Thianiae pulcherrimae*, C. L. Koch (¹), ex insula, quae Pulo Loz vocatur, haec species valde similis certe est; sed in ea, secundum figuram Kochii, cephalothorax plaga media ferruginea caret, et pars palporum tibialis aeque longa ac pars patellaris videtur. Hae species, cum tribus prioribus, *M. demissa*, *M. oppressa* et *M. humili*, area oculorum angustiore postice quam antice, sterno brevi, et pedibus aculeis crebris saltem subter et in lateribus armatis (anterioribus tibiis saltem in mare etiam supra aculeatis), ut et pictura saltem ad partem ex squamulis metallice nitentibus et vittas transversas saltem in cephalothorace formantibus constanti, a *Marptusis* typicis differunt, fortasse ad genus proprium referendae, quod *Thiania* (C. L. Koch) appellari deberet, et quod a formis illis generis *Marptusae* nostrae, quibus nomen *Acompse* (L. Koch) a Cel. Simon (²) est datum, saltem area oculorum plus $^1/_3$ latiore antice quam longiore, et postice non parum angustiore quam antice, ut et ungui mandibu-

(¹) Die Arachn., XIII, p. 171, Tab. CCCCLX, fig. 1223.

(²) Arachnides recueillis par M. Weyers à Sumatra (1er envoi), loc. cit., p. (2).

larum solito breviore et palpis feminae obtusissimis distingui potest.

Gen. **Tapinattus** (¹), n.

(= *Icius*, Sim. (?): Thor., 1878-81).

Cephalothorax valde humilis, non parum (paene dimidio) longior quam latior, latitudine maxima pone medium sita, ab insertione pedum 2.ⁱ paris usque ad oculos laterales anticos lateribus levissime rotundatis aequaliter paullo angustatus, impressione magna media transversa pone oculos posticos praeditus, dorso ipso longissimo, paene plano, oculis posticis ante vel saltem non pone medium ejus positis, declivitate postica brevi, longitudine dimidium dorsi ipsius non aequanti. Clypeus verus humillimus.

Sternum inverse sub-ovatum, coxis latius.

Quadrangulus oculorum vix $^2/_5$ longitudinis cephalothoracis occupat: circa dimidio latior est quam longior, rectangulus, non parum angustior postice quam cephalothorax eodem loco. Series oculorum antica parum sursum curvata; oculi 2.ᵆ seriei minuti fere in medio inter oculos posticos et laterales anticos siti. Oculi postici circa duplo longius inter se quam a margine cephalothoracis remoti, et paullo (vix vel non diametro sua) altius quam laterales antici positi.

Mandibulae directae, sat parvae.

Maxillae parallelae, labio circa dimidio longiores, apice intus oblique rotundato-truncato, praeterea rotundato.

Labium saltem dimidio longius quam latius, versus apicem rotundatum lateribus leviter rotundatis parum angustatum.

Palpi feminae non deplanati.

Pedes mediocres, ita: I, IV, II, III (♂) vel IV, III, I, II (♀) longitudine se excipientes, anteriores posterioribus saltem in mare paullo robustiores, 1.ⁱ paris vix vel parum robustiores quam 2.ⁱ paris. Tibia cum patella 4.ⁱ paris tibiam cum patella 3.ⁱⁱ paris, ut et metatarsum cum tarso 4.ⁱ paris, longitudine su-

(¹) ταπεινός, humilis; *Attus*

perat. Modice aculeati sunt pedes, metatarsis 4.[i] paris plerumque modo apice aculeis instructis.

Abdomen depressum, circa dimidio longius quam latius.

Mamillae longiores, superiores angustiores et paullo longiores quam inferiores, art. 2.° brevissimo.

Typus: *T. melanognathus* (Luc.).

De hujus generis affinitatibus vid. infra.

288. **T. melanognathus** (Luc.).

Syn.: 1835-4. . *Attus melanognathus*, Luc., *in* Barker-Webb et Berthelot, Hist. Nat. d. îles Canaries, II, 2, Anim. Artic., p. 29, Pl. 7, fig. 4-4*b*.

1846. *Marpissa discoloria*, C. L. Koch, Die Arachn., XIII, p. 74, Tab. CCCCLIV, fig. 1139.

1867. *Attus foliatus*, L. Koch, Beschr. neuer Arachn. u. Myriap., *in* Verhandl. d. zool.-bot. Gesellsch. in Wien, XVII (1867), p. 226 (54).

1876. *Marpissa nigro-limbata*, Sim., Les Arachn. de France, III, p. 29.

1877. *Menemerus vittatus*, id., Études Arachn. IX. Arachn. recueillis aux îles Philippines, *in* Ann. de la Soc. Ent. de France, 5.e Sér., VII (1877), p. 59.

1879. » *foliatus*, L. Koch, Die Arachn. Austral., p. 1123, Tab. XCVIII, fig. 1-2*d*.

1881. *Icius* (?) *dissimilis*, Thor., Studî, *cet.*, III, Ragni dell'Austro-Malesia, *cet.*, loc. cit., p. 461 (*ubi cet. syn. videantur*).

1883. *Menemerus melanognathus*, Sim., Études Arachn. XXI. Matér. pour servir à la faune Arachnol. d. îles de l'Océan Atlantique, *cet.*, *in* Ann. de la Soc. Ent. de France, 6.e Sér., III (1883), p. 284.

Marem hujus speciei, quem cum Cel. Simon communicavi, is ut *Menemerum vittatum*, Sim., determinavit; certiorem quoque me fecit, hanc speciem eandem esse atque *Attum melanognathum*, Luc., cujus exemplum typicum in Museo Hist. Nat. Parisiensi ipse viderat: conf. Simon, Études Arachn., XXI, loc. supra cit.). Quum Cel. Lucas in parte a se conscripta Vol. 2.[i] operis « H. N. d. Iles Canaries » (I-III, 1835-1849) nullius scripti quod *post* 1835 editum sit — nequidem Walckenaerii H. N. d. Ins. Apt., I (1837) — mentionem fecerit, plus quam verisimile mihi videtur, nomen *melanognathi* in hac specie reliquis antiquius esse. — Cel. Cambridge, ad quem exemplum femineum misi, me huic formae

Marpessam nigro-limbatam, Cambr., recte subjunxisse declaravit.

Ut C. L. Kochii *Marpissa incerta* femina est junior hujus speciei sive *Marpissae dissimilis*, C. L. Koch, ita *M. discoloria*, id., ex ins. Bintang, certe nihil est nisi varietas maris ejus, qui, ut femina, ad colorem valde variat. — Walckenaer ([1]) marem *Marpissae dissimilis*, C. L. Koch, ad *Attum locustoidem*, Walck. ([2]), feminam vero ejusdem speciei ad *A. attentum*, id. ([3]), refert — num recte?

Ex Mus. Godeffroyi exemplum araneae nostrae, ex Upolu, sub nomine *Menemeri foliati*, L. Koch, nuper obtinui. Si primum hoc synonymon recipere ausus non sum, id ex eo pendet, quod Cel. L. Koch inter notas principales generis *Menemeri* hanc habet ([4]): « der Cephalothorax hoch, vom Hinterrande fast bis zum hinteren Kopfende schräg aufsteigend und höher als die Entfernung der Augen der dritten Reihe beträgt », quae certe in nostram araneam non cadunt, quum cephalothorax ejus duplo fere latior sit quam altior (et igitur *humillimus* dicendus), et oculi seriei 3.ae dimidio longius inter se quam a margine cephalothoracis distent. (Conf. quoque descriptionem C. L. Kochii in Die Arachn., XIII, pp. 71 et 74).

Etiam a Cel. Simon (conf. Syn.) haec species gen. *Menemero* subjuncta fuit; quum vero in *Menemero*, secundum hunc scriptorem ([5]), metatarsus 4.i paris est « armé dès la base de nombreuses épines », in nostra aranea contra metatarsi 4.i paris modo apice aculeati sint (in *uno* exemplo etiam aculeum medium in metatarso *altero* hujus paris vidi tamen), non in mentem mihi venit, hunc scriptorem eam ad gen. *Menemerum* referre potuisse. Fortasse, cum C. L. Koch et Cambridge (et Simon in Arachn. de France), eam melius *Marptusae* (*Marpissae*) quam *Icio* vel *Menemero* subjungere potuisses; ad tempus vero antefero, novo nomine generico *Tapinatti* hanc araneam designare,

([1]) H. N. d. Ins. Apt., IV, p. 421
([2]) Ibid., I, p. 434.
([3]) Ibid., I, p. 437.
([4]) Die Arachn. Austral., p. 1093.
([5]) Les Arachn. de France, III, p. 5.

cujus generis typus *T. melanognathus* (Luc.) igitur est. Fateor tamen, hanc speciem non multum nisi forma paullo alia cephalothoracis, area oculorum rectangula (non angustiore postice quam antice), tibiis supra non aculeatis, abdomine pedibusque 1.ⁱ paris brevioribus et his pedibus proxime sequentibus vix robustioribus, ab illis araneis gen. *Marptusae*, quas sub nominibus *M. humilis*, *M. demissae*, *M. oppressae* et *M. formosissimae* (vid. sup., p. 295-303) descripsi — i. e. a gen. *Thiania* (C. L. Koch) — differre.

Primum haec species in ins. Canariis inventa videtur (Lucas); in insulis Promontorii Viridis vitam degit quoque (Sim., Arachn. de France, cet.). In Sumatra ad Sungei Bulu, ad Ajer Mancior et in monte Singalang Beccari tres feminas cepit; Van Hasselt (¹) exempla « *Marpissae discoloriae* » et « *Icii convergentis* » ex Bua, Limun aliisque locis ejusdem insulae vidit; Cambridge exemplum femineum, id quoque ex Sumatra, ad me misit. In Java jam secundum Doleschall inventa est, et C. L. Koch, ut supra dixi, exemplum masculum ex Bintang descripsit. Doria et Beccari marem ad Sarawak in Borneo ceperunt. Secundum Simon in ins. Philippinis (ad Manilam) et in Nova Caledonia (²) invenitur; L. Koch (³) exempla ex ins. Upolu, Huahine, Taiti et Rayatea Australiae vidit; Holmberg (⁴) feminam ad Buenos Aïres cepit; Simon ad me scripsit, se eam ex Texas, Mexico, Caracas et Parà obtinuisse. — De multis aliis locis ubi inventa fuit haec species, vid. Thor., loc. cit.

Gen. **Epocilla** (⁵), n.

Cephalothorax sat humilis, in lateribus fortiter rotundatus, sub oculis posticis, qui ante medium dorsi ipsius locum tenent, sat altus, dorso ipso ante eos leviter proclivi, pone eos fortius declivi, declivitate postica brevi, non praerupta; clypeus verus

(¹) Midden Sumatra, *cet.*, Aran., p. 48.

(²) Matériaux pour servir à une faune arachnol. de la Nouvelle Calédonie, *in* Comptes-rendus de la Soc. Ent. de Belgique, Séance du 6 Nov. 1880, p. CLXIV.

(³) Die Arachn. Austral., p. 1127.

(⁴) Arácnidos Argentinos, *in* Anales de Agricultura de la República Argentina, IV, p. 23 (editionis separatae).

(⁵) Ἐπόκιλλος est nom. propr. pers.

late et fortiter emarginatus dimidiam diametrum oculi maximi altitudine vix vel non aequat. Ante oculos posticos tuberculum medium parvum sed distinctissimum ostendit cephalothorax.

Oculi parvi, mediis anticis exceptis, qui lateralibus anticis circa $2\,^1/_2$–3.plo majores sunt; quadrangulus oculorum sat parvus et brevis, paullo latior antice quam postice, ubi multo angustior est quam cephalothorax eodem loco. Linea recta margines superiores oculorum mediorum anticorum tangens laterales anticos parum sub margine superiore secat. Oculi 2.ae seriei minuti paullo longius ab oculis posticis quam a lateralibus anticis distant; oculi postici, lateralibus anticis non minores, non multo longius inter se quam a margine cephalothoracis remoti sunt.

Sternum longius quam latius, coxis latius.

Mandibulae mediocres; maxillae paullo divaricantes, labio circa dimidio longiores; labium longius quam latius.

Pedes (saltem in mare) graciles, 1.i paris exceptis, et longitudine ita se excipientes: I, IV, III, II. Tibia cum patella 4.i paris longior est quam tibia cum patella 3.ii paris et quam metatarsus cum tarso 4.i paris. Tibiae supra aculeis carent; metatarsi 4.i paris non tantum apice aculeati sunt.

Abdomen longius.

Mamillae superiores et inferiores sat longae, paene eadem longitudine, art. 2.o brevissimo.

Typus: *E. praetextata*, n.

Hoc genus *Opisthonco*, L. Koch, quodammodo affine videtur, cephalothorace tuberculo medio (sed ante oculos posticos sito) instructo cum eo conveniens, saltem quadrangulo oculorum antice latiore quam postice et sterno breviore latioreque ab *Opisthonco* differens.

289. **E. praetextata**, n., *cephalothorace argenteo-albo, fasciis duabus longitudinalibus latis rubris secundum dorsum extensis et postice inter se unitis ornato; pedibus* 1.i *paris ferrugineo-fuscis, metatarsis tarsisque pallidioribus, femoribus fasciis binis longitudinalibus nigris notatis, pedibus sex posterioribus testaceis; abdominis dorso rubro, fasciis duabus lateralibus longis argenteo-albis.* — ♂ ad. *Long. circa* 7 *millim.*

Mas. — *Cephalothorax* circa $^1/_4$ longior quam latior, longitudine patellam + tibiam + dimidium metatarsi 4.^{i} paris circiter aequans, antice leviter rotundatus, lateribus ample, usque ad oculos 2.^{ae} seriei, et praesertim posterius fortiter rotundatis fere a medio anteriora et posteriora versus sensim angustatus, lateribus ante oculos illos (brevi spatio igitur) parallelis; postice satis anguste truncatus et sub-retusus est. Humilior dicendus est cephalothorax, etsi sub oculis posticis satis altus, dorso ipso a latere viso ante hos oculos — qui non parum ante medium dorsi ipsius et diametro sua altius quam oculi laterales antici siti sunt — sat leviter proclivi et paullulo convexo, pone eos paullo fortius declivi et anterius paene recto, posterius leviter convexo et sine limite in declivitatem posticam brevem (vix $^1/_3$ reliqui dorsi longitudine aequantem) et sub-rectam transeunti. Arcus supra-ciliares oculorum posticorum debiles; in medio inter oculos posticos paullo impressus videtur cephalothorax, et hic, posterius, sulco sat brevi et gracili munitus est: in medio paullo ante hos oculos tuberculum parvum obtusum ostendit. Altitudo clypei ample et fortiter emarginati dimidiam diametrum oculi maximi vix aequat. *Oculi*, mediis anticis exceptis, parvi sunt; quadrangulus eorum vix plus $^1/_3$ longitudinis cephalothoracis occupat, et circa $^1/_3$ latior est quam longior, paullulo latior antice quam postice, ubi fere quadrupla oculi postici diametro angustior est quam cephalothorax eodem loco. Oculi medii antici, inter se contingentes, lateralibus anticis circa triplo majores sunt et ab iis spatiis disjuncti, quae dimidiam oculi lateralis diametrum circiter aequare videntur; linea recta margines superiores oculorum mediorum tangens laterales modo paullo sub eorum margine superiore secat. Oculi 2.^{ae} seriei minuti paullo longius ab oculis posticis quam a lateralibus anticis distant; oculi postici, qui lateralibus anticis paullulo majores sunt, aeque longe inter se atque a margine cephalothoracis distare videntur. *Sternum* inverse et breviter ovatum.

Mandibulae deorsum et paullo anteriora versus directae, patellis 1.^{i} paris paullo breviores sed eas latitudine aequantes, paene duplo et dimidio longiores quam latiores basi; intus usque

ad apicem late et oblique truncatum rectae sunt, extus modo ad paene $^2/_3$ longitudinis levissime rotundatae, dein vero (apice) foras curvatae; in dorso ad longitudinem rectae sunt, transversim convexae et subtiliter granulosae, nitidae et parum pilosae. Sulcus unguicularis postice ad ipsam basin unguis dentem obtusum sive lobum format, et versus angulum interiorem dentem sat longum et fortem; antice, in angulo interiore, dentibus duobus parvis munitus est. Unguis longus et sat fortis, praesertim basi, ad circa $^2/_5$ longitudinis, latus, compressus et paene rectus, dein sub-infractus, denique leviter incurvus. *Maxillae* parallelae, labio fere duplo longiores, duplo longiores quam latiores, ante labium intus oblique truncatae, extus vero in angulum fortem subtriangulum dilatatae. *Labium* saltem dimidio longius quam latius, apice truncatum, angulis rotundatis. *Palpi* longitudine mediocri, valde graciles, clava tibiis 1.ⁱ paris duplo angustiore. Pars patellaris dimidio longior est quam latior, pars tibialis eà paullo brevior et paene cylindrata, paullo (non dimidio) longior quam latior, in apice lateris exterioris spinula gracili porrecta sub-incurva armata; pars tarsalis duas priores conjunctas longitudine fere aequat, iis paene dimidio latior, saltem duplo et dimidio longior quam latior, versus basin in lateribus leviter rotundatus, lateribus dein paene parallelis, apice late rotundato, sub-deflexo. Bulbus humilis, inaequalis, apice intus in spinam brevem foras curvatam excurrenti. *Pedes* 1.ⁱ paris reliquis sat gracilibus longiores et multo robustiores; coxae hujus paris dimidio longiores quam latiores sunt, trochanteres breves, femora ipsa basi horum crassitie, sed dein supra cito dilatata et paullo compressa, apicem versus sensim paullo angustata; patella leviter curvata et tibia recta et paene cylindrata femore saltem dimidio angustiores sunt, metatarsus et tarsus graciles, tibià circa triplo angustiores, ille tamen ipsa basi incrassatus ibique paullo deorsum curvatus; tibia patellâ paene dimidio longior est, metatarsus tarso circa duplo et dimidio longior. Tibiae 2.ⁱ et 3.ⁱⁱ parium patellâ evidenter sed non dimidio longiores sunt, tibiae 4.ⁱ paris patellà plus dimidio longiores. Femora 1.ⁱ paris aculeis circa 11 longis et fortibus sunt armata, non

tantum supra et in lateribus, verum etiam (duobus) subter sitis; in reliquis femoribus, praesertim 4.ⁱ paris, aculei minores et pauciores sunt. Patellae posteriores aculeum postice habent. Tibiae 1.ⁱ paris subter aculeis longis et fortissimis vel potius spinis 4 armatae sunt, in seriem singulam dispositis, et praeterea serie aculeorum 4 gracilium brevium, in latere postico, magis infra, sitorum; metatarsi hujus paris aculeis 2. 2. brevissimis sunt muniti, quorum interiores (praesertim primus eorum) crassi sunt, tubercula conica formantes. Excepto in femoribus, aculei reliquorum pedum nec longi nec fortes sunt. Tibiae 2.ⁱ paris 2. 2. 2. aculeis subter (et 1 in utroque latere magis versus apicem?) armati sunt, metatarsi ejusdem paris 2. 2. aculeis subter. Metatarsi 4.ⁱ paris non tantum apice aculeati sunt, verum etiam aculeo uno alterove saltem ad medium praediti. *Abdomen* anguste lanceolatum, plus triplo longius quam latius. *Mamillae* modice longae, art. 2.° brevissimo, inferiores parum breviores sed multo crassiores quam superiores.

Color. — *Cephalothorax* in fundo fuscus videtur, maculis duabus nigris utrinque, altera apud oculum lateralem anticum, altera circum oculum posticum, striisque duabus longitudinalibus brevibus parallelis ad marginem posticum; squamulis et pube appressis densissimis rubris et argenteo-albis ita vestitus est, ut albissimus evadat, fasciis duabus longis latis paene rectis rubris ornatus, quae a fronte ductae et oculos utriusque lateris includentes usque ad marginem posticum pertinent, ibi in V magnum et satis angustum conjunctae; limbus cephalothoracis lateralis postice angustissime rufescens est, summus margo niger. Ruber dici quoque potest cephalothorax, fasciis 3 longitudinalibus albissimis, media breviore, angustiore et cuneata, duabus supramarginalibus latissimis, posteriora versus sensim angustatis, antice in genas et clypeum continuatis; margo frontalis pube paullo crassiore minus appressa luteo-rubra vestitus est; annuli circum oculos anticos inferius albi. Clypeus in medio sub-fuscus videtur, praeterea vero cum genis albus; secundum summum ejus marginem, qui albus est, linea tenuis nigra est ducta. *Sternum* testaceum, albicanti-sub-pilosum. *Mandibulae* ferrugineae, basi

paullo obscuriores; *maxillae* et *labium* testaceo-fusca, apice late testacea. *Palpi* flavo-testacei, parte tarsali paullo obscuriore, praesertim versus apicem pallido-pilosi. *Pedes* 1.ⁱ paris ferruginei: femora fasciis duabus longitudinalibus latis nigris, altera supra, magis postice, altera subter, ornata sunt, et, ut patellae et tibiae, albicanti-squamulosa; metatarsi tarsique obscure testacei, illi basi ferruginei. Reliqui sex pedes pallidius testacei sunt toti. Minus dense pallido-pilosi sunt pedes, metatarsis tarsisque anterioribus praesertim subter pilis magis erectis munitis; aculei plerique pallidi, in pedibus 1.ⁱ paris obscuriores. *Abdomen* superius in fundo fuscum est, fasciis duabus longitudinalibus pallidis; squamulis tenuibus densissimis rubris et argenteo-albis est tectum, et dorsum ejus ita ruber evadit, fasciis duabus lateralibus rectis latis argenteo-albis, posteriora versus sensim paullo appropinquantibus, ornatum; latera sub his fasciis, supra, fascia angusta rubra occupantur, sub ea vero fascia angusta argentea. Venter cinerascenti-testaceus et apice nigricans, squamulis sub-argenteis vestitus. *Mamillae* fusco-testaceae, superiores summo apice nigricantes.

Lg. corp. 7; lg. cephaloth. 3, lat. ej. paene $2\,{}^1/_2$, lat. front. $1\,{}^3/_4$; lg. abd. 4, lat. ej. paene $1\,{}^1/_2$ millim. Ped. I paullo plus 9, II $6\,{}^1/_2$, III 7, IV paullo plus 7 millim. longi; pat. + tib. I $3\,{}^5/_6$, pat. + tib. III $2\,{}^1/_4$, pat. + tib. IV paene $2\,{}^1/_2$; metat. + tars. I $2\,{}^1/_4$, metat. + tars. IV $2\,{}^1/_4$ millim.

Marem singulum formosissimae hujus araneae vidi, in Java captum et a Cel. Van Hasselt amicissime dono mihi datum. — Fortasse haec species eadem est atque illa ex Java, quam « *Alcmenae* (?) speciem » vocat Van Hasselt ([1]), et in qua haec dicit: « Perpulchre striae argenteae longitudinales post exsiccationem relucent ».

([1]) Aran. exot. . . . ex India Orient. (Java), *in* Tijdschr. v. Entom., XIV (1871), p. (5) n.° 56.

Gen. **Chrysilla** (1), N.

Cephalothorax longior, non valde altus, dorso ante declivitatem posticam modice et plerumque aequaliter convexo, parte cephalica anteriora versus vix vel non angustata, clypei altitudine $^1/_4$ diametri oculi maximi circiter aequanti.

Sternum coxis multo latius; spatium inter coxas 1.i paris labii latitudinem aequat.

Quadrangulus oculorum magnus, paullo latior quam longior, plus $^2/_5$, paene dimidium longitudinis cephalothoracis occupans, saltem aeque latus antice ac postice, ubi fere aeque latus est ac cephalothorax eodem loco. Series oculorum anticorum modo leviter sursum curvata; oculi medii antici magni, sub-contingentes inter se et spatio modo parvo a lateralibus anticis separati; oculi 2.æ seriei minuti, fere in medio inter oculos laterales anticos et oculos posticos siti. Oculi postici, laterales anticos magnitudine aequantes et non multo altius quam ii positi, plerumque spatio majore inter se quam a margine cephalothoracis remoti sunt.

Mandibulae sat parvae, directae vel modo paullo porrectae.

Maxillae vix duplo longiores quam latiores, labio plus dimidio longiores; labium circiter aeque longum ac latum.

Pedes graciles (1.i paris reliquis plerumque non robustiores); plerumque ita: IV, III, I, (vel I, III), II, longitudine se excipiunt. Tibia cum patella 4.i paris paullo brevior quam (vel aeque longa ac) metatarsus cum tarso ejusdem paris est, sed longior quam tibia cum patella 3.ii paris. Tibiae et metatarsi anteriores subter in lateribus aculeis sat longis et gracilibus armati; metatarsi postici non tantum apice aculeati.

Abdomen longius, sub-depressum vel sub-lanceolatum.

Mamillae longae, superiores cylindratae, art. 2.o fere aeque longo ac lato; inferiores iis paullo breviores et crassiores.

Typus: *Ch. delicata*, n.

Marptusae et *Maeviae* valde affine est hoc genus, cephalothorace

(1) Χρύσιλλα est nom. propr. pers.

antice vix vel non angustato, praesertim vero oculis posticis vix vel parum ante medium longitudinis cephalothoracis locatis a generibus illis dignoscendum.

290. **Ch. delicata**, n., *cephalothorace in fundo nigricanti, saltem in lateribus testaceis et in clypeo squamulis caeruleo-argenteis vestito, palpis pallide testaceis eodem modo squamulosis; pedibus testaceis; abdomine in fundo sub-testaceo, fasciis vel lineis longitudinalibus tribus nigris in dorso antice et maculis* 4 *nigris pone eas notato, saltem in lateribus squamulis aeneo-aureis et -argenteis munito.* — ♀ ad. *Long. circa* 3 $^1/_2$ *millim.*

Femina. — *Cephalothorax,* saltem dimidio longior quam latior, patellam + tibiam + dimidium metatarsum 4.[i] paris longitudine circiter aequat; desuper visus antice leviter rotundatus est, ab oculis posticis usque ad laterales anticos anteriora versus lateribus rectis vel potius paullulo concavatis sensim paullulo dilatatus, pone oculos posticos posteriora versus lateribus primum et brevi spatio parallelis, dein fortiter rotundatis sensim angustatus, in medio postice sub-truncatus: latitudo frontis maximam cephalothoracis latitudinem igitur exprimit. Pars cephalica transversim plana est. A latere visus supra ante declivitatem posticam paene libratus et modice convexus est cephalothorax, pone oculos posticos (qui multo pone medium, ad $^2/_3$ longitudinis fere, dorsi ipsius locum tenent) modo paullo fortius quam ante eos declivis; declivitas postica satis praerupta est et paene recta, vix convexa. Arcus supra-ciliares oculorum posticorum debiles: in medio inter hos oculos, posterius, fovea sat magna parum profunda adest et in ea sulcus minutissimus; praeterea laevis et nitidus est cephalothorax. Clypeus humilis: altitudo ejus vix $^1/_4$ diametri oculi maximi aequat. *Oculorum* quadrangulus plus $^2/_5$, paene dimidium longitudinis cephalothoracis occupat; vix $^1/_4$ latior est quam longior, antice paullo latior quam postice, ubi aeque latus est ac cephalothorax eodem loco. Oculi medii antici, inter se sub-contingentes, plus duplo majores sunt quam laterales antici et ab iis spatiis minutis disjuncti. Linea margines superiores oculorum anticorum tangens recta est. Oculi

2.[ae] seriei minuti vix vel parum longius ab oculis posticis quam a lateralibus anticis distant. Oculi postici, laterales anticos magnitudine aequantes, et vix altius quam ii positi, spatio multo majore inter se remoti sunt quam quo a marginibus cephalothoracis distant. *Sternum* latum, inverse orbiculato-ovatum; spatium inter coxas 1.[i] paris labio multo latius.

Mandibulae parvae, directae, parallelae, cylindrato-ovatae, patellis 1.[i] paris multo breviores et iis paullo latiores, vix dimidio longiores quam latiores, nitidae, paene laeves, minus dense pubescentes. Sulcus unguicularis antice duobus dentibus parvis armatus est, postice, ut videtur, duobus etiam minoribus. Unguis sat parvus. *Maxillae* parallelae, vix duplo longiores quam latiores, labio plus dimidio longiores, apice late rotundatae. *Labium* aeque saltem latum basi ac longum, apicem truncatum versus sensim angustatum. *Palpi* sat fortes; pars patellaris parum longior quam latior est, pars tibialis parte patellari paene duplo longior et apice, ut pars tarsalis basi, eâ fere duplo latior, a basi ad apicem sensim paullo dilatata, saltem dimidio longior quam latior; pars tarsalis prioris latitudine est eâque paullo longior, duplo longior quam latior, circiter a medio apicem versus in latere interiore sensim angustata et levissime rotundata. *Pedes* graciles, posteriores anterioribus non parum longiores, 1.[i] paris reliquis vix robustiores; tibiae anteriores patellâ plus dimidio, tibiae 3.[ii] paris patellâ duplo, tibiae 4.[i] paris, quae, ut reliquae, plane cylindratae sunt, patellâ plus duplo sunt longiores. Metatarsi omnes, praesertim posteriores, tibiis angustiores sunt, et tarso circa duplo longiores. Trochanteres omnes brevissimi; coxae, praesertim 4.[i] paris, paullo longiores quam latiores; femora supra modo leviter convexo-arcuata. Femora circa 4 aculeis armata sunt, patellae, saltem posteriores, singulo aculeo; tibiae 4 anteriores subter 2. 2. 2., antice 1. 1., postice 1. 1. aculeos sat graciles et longos habent, metatarsi subter 2. 2., antice et postice 1. 1. Metatarsi posteriores non tantum apice, verum etiam ad medium et basin aculeati. *Abdomen* sub-lanceolatum, duplo longius quam latius, antice sub-truncatum, lateribus leviter rotundatis posteriora versus sensim angustatum, sub-acuminatum. *Vulva* ex area

magna inaequali fusca constat, quae postice foveas duas sat magnas et spatio magno sejunctas ostendit. *Mamillarum* superiorum art. 1.[s] cylindratus, triplo longior quam latior, 2.[s] parvus, sub-conicus, non longior quam latior; mamillae inferiores paullo breviores et crassiores quam superiores, sub-conicae, art. 2.° brevissimo.

Color. — *Cephalothorax* in fundo nigricans est, fascia nigra oculos utriusque lateris conjungenti (et oculos posticos cingenti) utrinque in parte cephalica signatus, pone oculos posticos paullo clarior, testaceo-nigricans, et hic posterius lineis duabus longitudinalibus parallelis nigricantibus minus distinctis notatus; in lateribus late testaceus est et saltem hic squamulis caeruleo-argenteis dense vestitus; clypeus squamulis ejusmodi tectus est. Annuli circum oculos anticos angustissimi, albi. (Praeterea detritus est cephalothorax in exemplo nostro). *Sternum* et *partes oris* flavo-testacea. *Palpi* pallide flavo-testacei, supra in partibus patellari, tibiali et tarsali squamulis argenteis, caeruleum colorem sentientibus tecti. *Pedes* flavo-testacei toti, saltem ad partem squamulis ejusmodi vestiti, nigro-aculeati. *Abdomen* in fundo cinerascenti-testaceum, hac pictura nigra: in dorso lineam mediam longitudinalem brevem basalem ostendit, fasciasque duas laterales parallelas postice paullo incurvas, quae a basi ad medium longitudinis dorsi pertinent et paribus duobus macularum nigrarum continuantur, pari ultimo harum macularum paullo ante anum sito; in utroque latere vittam nigerrimam obliquam, retro et deorsum directam, paullo recurvam, paullo ante medium lateris incipientem video. In lateribus abdominis remanent vestigia squamularum aeneo-aurearum et -argentearum, quibus verisimiliter etiam dorsum supra, in locis pallidis, vestitum fuit. Venter squamulis minutis albis sub-argenteis vestitus videtur; *vulva* fuliginea. *Mamillae* superiores saltem supra nigrae, apice pallidae, reliquae mamillae pallidiores.

Lg. corp. 3 $^1/_2$; lg. cephaloth. 1 $^3/_4$, lat. ej. paene 1 $^1/_4$; lg. abd. paullo plus 1 $^1/_2$, lat. ej. circa $^4/_5$ millim. Ped. I 3 $^3/_4$, II circa 3 $^1/_4$, III 4 $^2/_3$, IV 5 millim. longi; pat. + tib. I paene 1 $^1/_2$, pat. + tib. III 1 $^1/_3$, pat. + tib. IV paene 1 $^1/_2$, metat. + tars. IV 1 $^2/_3$ millim.

Exemplum in Sumatra a Cel. Forbes inventum, quod unicum hujus araneolae examinavi, a Rev. Cambridge mecum communicatum fuit.

291. **Ch. debilis**, n., *cephalothorace in fundo nigro-fusco, oculis utriusque lateris fascia nigra conjunctis, saltem hic illic pube albo-caerulea vestito; palpis nigris, parte patellari pube caerulescenti tecta; pedibus anterioribus ad maximam partem nigris, metatarsis tarsisque flavo-testaceis, pedibus* 4.i *paris flavo-testaceis, nigro-lineatis; abdomine supra, antice, fasciis duabus et linea media longitudinalibus abbreviatis nigris, postice vero fasciis duabus nigris in fundo sub-testaceo notato, pube albo-caerulea, fascias longitudinales abbreviatas duas antice et singulam postice saltem formanti munito, dorso praeterea et lateribus pube aurea vestitis.* — ♂ ad. *Long. circa* 3 *millim.*

Mas. — Priori, *Ch. delicatae,* valde affinis, sed praeter colore praesertim forma cephalothoracis paullo alia ab ea discrepans — an modo alter sexus ejus? — *Cephalothorax,* qui vix dimidio longior est quam latior, et non parum longior quam tibia cum patella 4.i paris, altior quam in priore specie est, parte cephalica etiam transversim paullo convexa; desuper visus eadem forma est atque in priore, a latere vero visus ante oculos posticos, qui multo (ad $^2/_3$ longitudinis circa) pone medium dorsi ipsius locum tenent, paullo proclivis et sat leviter convexus, dorso ipso pone eos fortius declivi, leviter convexo et in declivitatem posticam sat longam et valde praeruptam sensim transeunti. Impressio inter oculos posticos parva et levis est, sulco minuto, puncti-formi fere, praedita; arcus supra-ciliares horum oculorum obsoleti. Clypei altitudo $^1/_4$ diametri oculi maximi aequare videtur. *Oculi,* quorum quadrangulus paene dimidiam longitudinem cephalothoracis occupat, ut in priore specie diximus sunt, excepto quod oculi postici (qui circa dimidia diametro sua altius quam laterales antici sunt locati) parum longius inter se quam a margine cephalothoracis distare videntur.

Mandibulae parvae, paene directae, modo paullo porrectae, paullo divaricantes et paullulo foras curvatae, duplo longiores

quam latiores, paene cylindratae, apice late et valde oblique rotundato-truncatae, ungui sat longo et gracili. *Palpi* mediocres, clava femur 1.[i] paris latitudine paene aequanti. Pars patellaris paene dimidio longior est quam latior; pars tibialis latitudine partis patellaris circiter est, sed eâ circa duplo brevior, paullo latior quam longior, et in apice lateris exterioris spina parva armata; pars tarsalis priores duas conjunctas longitudine paullo superat, parte patellari fere dimidio latior, anguste ovato-lanceolata. Bulbus brevis, parum altus, postice intus in lobum magnum retro et paullo intus directum productus. *Pedes* graciles valde, aculeis gracillimis armati, parce pilosi et pubescentes. Tibiae patellâ duplo vel plus duplo sunt longiores. Patellae posteriores aculeum habent; aculei in tibiis 1.[i] paris subter 2. 2. 2. sunt, antice et postice, ut videtur, 1. 1.; metatarsi anteriores subter 2. 2., antice et postice 1. 1. aculeos ostendunt. Metatarsi posteriores ad basin, medium et apicem aculeati sunt. *Abdomen* sub-lanceolatum, duplo longius quam latius.

Color. — *Cephalothorax* in fundo nigro-fuscus, fascia nigra in utroque latere partis cephalicae, oculos ejus lateris includenti; saltem ad partem pubescentia (vel squamulis parvis) albo-caerulea tectus est: in nostro exemplo (detrito) remanent hujus coloris macula magna ad medium marginem frontalem sita, macula vel plaga inaequalis sub oculis anterioribus utriusque lateris, ut et vestigia macularum in dorso posterius; clypeus caeruleo-albo-pubescens est. *Sternum* sub-fuscum, albicanti-pubescens. *Mandibulae* testaceo-nigrae vel -piceae. *Maxillae* et *labium* sub-fuscae, illae basi extus nigricantes. *Palpi* nigri, nigro-pubescentes, parte patellari supra pube densa caerulescenti tecta. *Pedes* sex anteriores nigri, metatarsis tarsisque flavo-testaceis, patellis testaceis, albo-caeruleo-pubescentibus, tibiis quoque ad magnam partem, praesertim supra, testaceis; pedes 4.[i] paris flavo-testacei sunt, saltem linea longitudinali nigra utrinque in patella et in tibia notati. Coxae posteriores flavo-testaceae, anteriores obscuriores. *Abdomen* in fundo testaceum dicendum: dorsum ejus linea media longitudinali abbreviata nigra ad basin et fascia ejusmodi utrinque ibidem notatum est, posterius vero fasciis duabus lon-

gitudinalibus nigris magis appropinquantibus inter se, a medio versus anum ductis. Squamulis tenuibus aureis saltem supra ad maximam partem tectum est abdomen, ad partem vero squamulis albo-caeruleis, quae utrinque antice, in vel ad latera, fasciam brevem longitudinalem formant, aliamque fasciam vel maculam oblongam pone medium; ad basin dorsum maculam mediam caerulescentem habuisse quoque videtur (an partem anteriorem fasciae mediae?). Venter fasciam mediam nigram posteriora versus sensim angustatam secundum totam longitudinem ostendit. *Mamillae* testaceae, superiores summo apice nigrae.

Lg. corp. 3; lg. cephaloth. 1 $^1/_2$, lat. ej. (frontis) 1; lg. abd. 1 $^1/_2$, lat. ej. $^3/_4$ millim. Ped. I circa 3 $^3/_4$, II paullo plus 3, III 3 $^3/_4$, IV 4 $^1/_4$ millim. longae; pat. + tib. I 1 $^1/_6$, pat. + tib. III paullo plus 1, pat. + tib. IV 1 $^1/_3$, metat. + tars. IV paene 1 $^1/_2$ millim.

Exemplum masculum, quod singulum vidi, ad Sungei Bulu Sumatrae invenit Cel. Beccari.

292. **Ch. Doriae**, n., *cephalothorace in fundo nigro, fascia supramarginali utrinque et vitta transversa media pallidioribus notato, et saltem in iis et ad marginem frontalem, ut et utrinque, inter oculos posticos et oculos* 2.^{ae} *seriei, squamulis argenteo-albis vestito; palpis flavo-testaceis; pedibus gracilibus, flavo-testaceis, nigro-annulatis,* 1.^{i} *paris paullo obscurioribus et robustioribus; abdomine supra in fundo sub-testaceo, basi et ventre nigris, dorso maculis quattuor transversis lateralibus nigris, quae antice macula vel vitta argenteo-alba limbatae sunt, ut et macula quinta nigra parva apicali ornato, praeterea squamulis aureis vestito.* — ♂ ad. *Long. circa* 4 *millim.*

Mas. — *Cephalothorax*, circa dimidio longior quam latior, patellam + tibiam + $^2/_3$ metatarsi 4.^{i} paris longitudine circiter aequat; in parte tertia posteriore lateribus fortiter rotundatis posteriora versus sat fortiter est angustatus, praeterea paene aequali latitudine, lateribus in medio parum rotundatis, versus oculos anticos laterales paullulo concavatis; latitudo frontis latissime rotundatae (sive longitudo seriei 1.^{ae} oculorum) latitudinem maximam cephalothoracis aequat; postice in medio satis anguste truncatus est cephalothorax. Altus est, dorso ipso a latere viso satis

aequaliter et sat fortiter convexo, ante oculos posticos, qui non parum pone medium ejus locum tenent, paullo proclivi, pone eos fortius declivi et in declivitatem posticam sat praeruptam, ad maximam partem rectam, et dimidium dorsi ipsius longitudine circiter aequantem sensim transeunti. Clypei altitudo non $^1/_4$ diametri oculi maximi aequat. Laevis est cephalothorax, arcubus supra-ciliaribus et tuberculis carens, sulco brevi in impressione levissima posito in medio inter oculos posticos munitus. *Oculi*, 2.^{ae} seriei minutissimis exceptis, magni sunt, praesertim medii antici, qui contingentes sunt inter se et a lateralibus anticis, quibus circa triplo majores sunt, spatiis parvis remoti; linea recta margines superiores mediorum tangens laterales paullulo sub margine superiore secat. Quadrangulus oculorum plus $^2/_5$, sed non dimidium, longitudinis cephalothoracis occupat; paullo latior est antice quam postice, circa $^1/_4$ latior antice quam longior, et modo paullulo angustior postice quam cephalothorax eodem loco. Oculi 2.^{ae} seriei in medio inter oculos posticos et laterales anticos siti sunt; oculi postici magni, laterales anticos magnitudine aequantes et vix vel non diametro sua altius quam ii positi; spatio inter se distant, quod paene aeque magnum est atque id, quo a margine cephalothoracis sunt remoti. *Sternum* amplum, rotundatum, coxis multo latius; spatium inter coxas 1.^{i} paris labii latitudinem superat.

Mandibulae paene directae, apice excepto parallelae, altitudinem faciei longitudine aequantes, paene cylindratae, apice extus paullulo foras et sursum curvatae, dorso ad longitudinem praeterea recto, transversim convexo et interiora versus declivi, nitido, paene laevi; dimidio longiores quam latiores sunt, ungui mediocri. *Maxillae* parallelae, saltem duplo longiores quam latiores, labio duplo longiores; apice intus oblique truncatae sunt, apice praeterea late et oblique rotundato-truncato. *Labium* parum longius quam latius, versus apicem sub-acuminatum sensim angustatum. *Palpi* mediocres, clava femur anticum latitudine non aequanti; pars patellaris paullo longior quam latior est, pars tibialis eâ brevior, sub-transversa et in apice lateris exterioris spina paene recta et valde acuminata, anteriora versus, foras

et deorsum directa armata, quae ipsa parte tibiali non vel parum brevior est. Pars tarsalis prioribus duabus conjunctis paullo longior est iisque circa dimidio latior, saltem duplo longior quam latior, lanceolato-ovata fere, in latere exteriore parum, in interiore latere fortius rotundata, apice sub-acuminata. Bulbus sat complicatus, longus, humilis, postice tamen incrassatus et hic paene in formam trianguli retro, sub parte tibiali, productus, et tuberculo foras directo in margine exteriore, versus basin, munitus. *Pedes*, praesertim posteriores, graciles et sat longi, 1.i paris reliquis paullo robustiores, metatarso et tarso gracilibus; tibia eorum cylindrata et circiter 5.plo longior quam latior est, et, ut in pedibus 2.i et 3.ii parium, circa dimidio longior quam patella. In pedibus 4.i paris tibia patellà duplo est longior. Aculei omnes graciles et sat longi; patellae saltem sex posteriores aculeo sunt armatae. Supra tibiae aculeo carent; tibiae anteriores subter 2. 2. 2., antice et postice 1. 1. aculeis armatae videntur, metatarsi anteriores subter 2. 2., antice et postice 1. 1. aculeis; metatarsi posteriores versus basin, medium et apicem aculeati sunt. *Abdomen* inverse et anguste sub-ovatum, antice sub-truncatum, postice obtusum. *Mamillae* sat longae et angustae.

Color. — *Cephalothorax* in fundo niger, vitta pallida paullo recurva, in medio lata, praeterea angusta, in medio dorsi paullo pone oculos posticos sita et in latera producta, ut et fascia lata paene marginali pallida, cephalothoracem postice et in lateribus posterius cingenti notatus, vitta illa et hac fascia squamulis tenuibus albis argenteo-micantibus tectis; praeterea vittam transversam frontalem et maculam utrinque, inter oculum posticum et oculum 2.ae seriei sitam, ejusdem coloris ostendit cephalothorax. Clypei margo et annuli circum oculos anticos argenteo-albi sunt quoque. (In area inter-oculari vestigia macularum duarum pallidiorum video). *Sternum* sub-testaceum, cum femoribus subter et coxis albicanti-pubescens. *Mandibulae* nigrae, apice ferrugineae. *Maxillae* et *labium* nigra, hoc apice fusco-testaceum, illae apice intus late fusco-testaceae. *Palpi* flavo-testacei, parte femorali basi nigricanti, parte tarsali in medio utrinque nigricanti quoque, bulbo fusco; pilis et pube albicantibus vestiti sunt et saltem

magis versus apicem supra squamulis argenteo-albis muniti. *Pedes* 1.ⁱ paris flavo-testacei, coxis et trochanteribus utrinque nigricantibus, femoribus paene totis nigris, patellis apice angustissime, tibiis basi sat anguste et apice latius nigris, metatarsis apice anguste nigris; pedes sex posteriores quoque flavo-testacei, femoribus, patellis, tibiis et metatarsis apice anguste (tibiis etiam basi anguste) nigris. *Abdomen* supra in fundo sub-testaceum est, declivitate antica et vitta transversa basali sat lata in medio abrupta nigris, et praeterea maculis quinque nigris in dorso notatum: duae harum macularum paullo ante medium locatae sunt, transversae et in latera (quae ad basin nigra et argenteo-albo-squamulosa sunt, praeterea pallida) productae; duae aliae, transversae et sub-procurvae, non parum pone medium locum tenent, quinta, parva, parum ante anum sita est; spatium inter vittam basalem et maculas duas anticas utrinque macula argenteo-alba occupatur, et maculae duae posteriores vittâ vel maculâ transversâ ejusdem coloris antice marginatae sunt; partes reliquae dorsi pallidae squamulis densis aureis sunt tectae. Venter niger est, macula minuta albicanti utrinque, ad rimam genitalem. *Mamillae* superiores sordide testaceae, inferiores nigricantes.

Lg. corp. 4; lg. cephaloth. 2 $^1/_5$, lat. ej. 1 $^1/_2$, lat. front. 1 $^1/_2$; lg. abd. 2, lat. ej. paullo plus 1 millim. Ped. I paullo plus 4 $^1/_2$, II 4 $^1/_4$, III 4 $^3/_4$, IV paene 5 $^1/_4$ millim. longi; pat. + tib. I paullo plus 1 $^1/_2$, pat. + tib. III 1 $^1/_2$, pat. + tib. IV paullo plus 1 $^1/_2$, metat. + tars. IV 1 $^3/_4$ millim.

Marem singulum examinavi, ad Sungei Bulu Sumatrae a Beccari captum. — *Plexippus versicolor*, C. L. Koch (¹), ex ins. Bintang, ad colorem cephalothoracis, palporum et pedum (non vero abdominis) cum hac specie satis convenire videtur.

Gen. **Maevia** (C. L. Koch), 1848.

Quum in his Stud., III, p. 467 dixerimus, species generis *Maeviae* nostrae sub n.ⁱˢ 246-250 ibi descriptas gen. *Opisthonco*, L. Koch, adscribendas videri, hoc erroneum est, si quidem ce-

(¹) Die Arachn., XIII, p. 103, Tab. CCCCXLIX, fig. 1165.

phalothoracem « tuberculo laevi, humili inter oculos seriei posticae magis minusve prominenti » munitum esse, notam essentialem gen. *Opisthonci* format: omnes enim *Maeviae* nostrae tali tuberculo carent. Conf. gen. *Epocillam*, n., p. 310, supra.

293. **M. glaucochira**, n., *cephalothorace in fundo nigro, pone oculos praesertim in medio clariore, squamulis caeruleis saltem in lateribus vestito; mandibulis nigris, divaricantibus et apice intus rotundato-excisis, palpis ad maximam partem nigris, squamulis cyaneis tectis; pedibus* 1.[i] *paris ad maximam partem nigris, reliquis pedibus testaceis; abdomine in fundo testaceo, fasciis duabus angustioribus nigris secundum totam longitudinem dorsi extensis ornato, et squamulis sub-cyaneis saltem ad partem vestito, ventre fascia media longitudinali nigra notato.* — ♂ ad. *Long. circa* 6 *millim.*

Mas. — *Cephalothorax* tibiam cum dimidia patella 1.[i] paris longitudine aequat et paullo longior est quam tibia cum patella 4.[i] paris, circa $^1/_3$ longior quam latior, antice leviter rotundatus, in medio postice truncatus, in lateribus usque ad oculos 2.[æ] seriei anterius levius, posterius fortiter rotundatus, lateribus ante oculos illos rectis et paene parallelis (supra latera totius partis cephalicae parallela sunt). Altus est cephalothorax, dorso ipso a latere viso paene aequaliter convexo et sine ullo limite in declivitatem posticam satis praeruptam transeunti, ante oculos posticos, qui paullo pone medium dorsi ipsius et paullo (non tota diametro sua) altius quam oculi laterales antici siti sunt, paullo proclivi et leviter convexo, tum paullo fortius declivi, spatio inter oculos posticos et marginem posticum sat fortiter convexo. Arcubus supra-ciliaribus caret cephalothorax; in medio inter oculos posticos impressionem sat magnam, in fundo Λ-formem ostendit, sulcum medium vero nullum (?). Facies alta; altitudo clypei dimidiam oculi maximi diametrum saltem aequare videtur. *Oculi* antici, praesertim medii, qui lateralibus plus duplo majores sunt, maximi, valde prominentes et inter se paene contingentes; linea recta oculos anticos medios supra tangens laterales modo paullulo sub margine superiore secat. Quadrangulus

oculorum plus $^2/_5$ longitudinis cephalothoracis occupat et circa $^1/_4$ latior est quam longior, paullulo latior antice quam postice, ubi non multo (non dupla oculi postici diametro) latior est quam cephalothorax eodem loco. Oculi 2.ae seriei minuti, in medio inter oculos posticos et laterales anticos locati; oculi postici, lateralibus anticis parum minores, evidenter longius a margine cephalothoracis quam inter se remoti sunt. *Sternum* breviter subovatum, coxis multo latius; spatium inter coxas 1.i paris labii latitudinem multo superat.

Mandibulae paene directae, modo paullo porrectae, altitudinem faciei longitudine saltem aequantes, patellis 1.i paris vix breviores, basi femoribus hujus paris paullo latiores, circa duplo longiores quam latiores; a basi primum sensim paullo dilatatae et, extus, usque a basi divaricantes paulluloque foras curvatae sunt, intus vero, praesertim infra, a basi ad circa $^2/_3$ longitudinis contingentes et in dorso deplanatae interioraque versus declives, transversim paullo striatae, ad apicem intus impressione munitae; dein apice latissime et oblique truncatae sunt (ideoque fortiter divaricantes) et intus profunde rotundato-excisae. Haec incisura sulcum unguicularem format, qui antice intus dentem parvum, postice vero dentes duos majores ostendit; ceterum ipse apex mandibulae ad basin unguis duos dentes latos et sat fortes format, alterum supra, oblique anteriora versus directum, alterum subter, magis intus directum. Unguis longus, basi ad plus $^1/_3$ longitudinis incrassatus, praeterea gracilis, aequaliter incurvus. *Maxillae* labio paene duplo longiores, apice latissimae: apice extus enim in lobum sub-triangulum apice rotundatum foras directum dilatatae sunt. *Labium* circa dimidio longius quam latius, apice rotundato-truncatum. *Palpi* mediocres, clava patellas 1.i paris latitudine saltem aequanti. Pars patellaris paullo (vix dimidio) longior est quam latior, pars tibialis ejus magnitudine et in apice lateris exterioris spina minuta sub-recta munita; pars tarsalis priores duas conjunctas longitudine aequat et iis saltem dimidio latior est, sub-ovato-lanceolata, duplo longior quam latior. Bulbus magnus, praesertim longus, intus quasi inflatus et retro sub parte tibiali productus et acuminatus,

subter ad basin extus tuberculo dentiformi deorsum directo munito. *Pedes* omnes graciles, longiores, 1.^{i} paris longissimi, reliquis parum robustiores; tibia 1.^{i} paris metatarso cum tarso longior est, et patellâ duplo longior; tibiae 2.^{i} et 3.^{ii} parium quoque patellâ duplo longiores, tibia 4.^{i} paris patellâ plus duplo longior. Patellae anteriores, saltem 2.^{i} paris, aculeum postice habent, patellae posteriores aculeum et antice et postice. Tibiae 1.^{i} paris subter 2. 2. 2. 2., antice 1. 1. 1. vel saltem 1. 1. aculeis munitae sunt, metatarsi hujus paris aculeis saltem 2. 2., subter; tibiae 2.^{i} paris subter 2. 2. 2., antice et postice 1. 1. 1., metatarsi 2.^{i} paris subter 2. 2., antice et postice 1. 1. aculeos ostendunt. Metatarsi 4.^{i} paris ad apicem, basin et medium aculeati sunt. *Abdomen* longum et angustum, sub-lanceolatum. *Mamillae* longae et cylindratae, inferiores paullo breviores sed parum crassiores quam superiores, sub-conico-cylindratae; articulus 2.^{s} superiorum parvus, sub-conicus, aeque longus ac latus.

Color. — *Cephalothorax* in fundo nigricans, tota area oculari, usque paullo pone oculos posticos, purius nigra, hac area nigra in medio postice emarginata; squamulis pallide caeruleis in lateribus (verisimiliter etiam supra) saltem ad magnam partem vestitus est, clypeo toto squamulis caeruleis versicoloribus, cupreum et aureum colorem sentientibus, tecto. Annuli circum oculos medios anticos saltem in lateribus sub-lutei, infra vero, intus, caerulescenti-albi. *Sternum* testaceum, anguste piceo-marginatum, pallido-pubescens, vestigiis squamularum caerulescentium. *Mandibulae* nigrae, saltem basi caeruleo-squamulosae. *Maxillae* et *labium* nigra apice testacea sunt, illae latissime, hoc angustius. *Palpi* in fundo nigri, parte femorali ad longitudinem supra, parte patellari ad partem et macula ad basin partis tarsalis, extus, obscure sub-testaceis; squamulis caeruleis supra vestiti sunt et sat dense albo-pilosi, apice partis tarsalis excepto, hac parte praesertim in margine interiore nigro-pilosa quoque. *Pedes* 1.^{i} paris nigri, secundum longitudinem et supra et subter nigro-testacei, metatarsis undique testaceis, modo basi et apice nigris; reliqui pedes flavo-testacei sunt, fascia vel umbra lata nigra longitudinali in femoribus supra; tibiae 4.^{i} paris basi et

apice intus nigricantes sunt. Vestigia squamularum caerulescentium hic illic in pedibus adsunt; praeterea nigro-aculeati sunt et paullo nigro-pilosi. In fundo *abdomen* flavo-testaceum est et, in dorso versus latera, utrinque, fascia longitudinali nigra notatum; quae fasciae levissime incurvae sunt, a basi usque ad apicem dorsi ductae et posterius sensim paullo appropinquantes, sed neque basi neque apice inter se conjunctae. Venter secundum paene totam longitudinem fasciam mediam latam nigricantem apice truncatam ostendit, quae tamen non usque ad mamillas pertinet. In ventre et in lateribus (nonne etiam supra?) abdomen squamulis tenuibus pallide caeruleis vestitum fuisse videtur. *Mamillae* nigrae, summo apice pallidae.

Lg. corp. 6; lg. cephaloth. 2 $^3/_4$, lat. ej. 2, lat. front. 1 $^5/_6$; lg. abd. paullo plus 3, lat. ej. 1 $^1/_3$ millim. Ped. I 9 $^1/_2$, II 6 $^1/_2$, III 7, IV 7 $^1/_2$ millim. longi; pat. + tib. I paene 4, pat. + tib. III paene 2 $^1/_2$, pat. + tib. IV paullo plus 2 $^1/_4$, metat. + tars. IV 2 $^1/_2$ millim.

Marem singulum detritum vidi, a Forbes in Sumatra inventum et a Cel. Cambridge mecum communicatum. — Generis *Sinnamorae*, Keys. (Die Arachn. Austral, p. 1472), haec aranea sine dubio est.

294. **M. mundula**, Thor.

Syn.: 1877. *Maevia mundula*, Thor., Studî', *cet.*, I, Ragni di Selebes, loc. cit., p. 584 (244).

Haec species, ad Kandari in ins. Celebes inventa, ea quoque gen. *Sinnamorae*, Keys., adscribenda est.

295. **M. latruncula**, Thor.

Syn.: 1877 *Maevia latruncula*, Thor., Studì, *cet.*, I, Ragni di Selebes, loc. cit., p. 581 (241).

In Celebes, ad Kandari, capta fuit haec species, quae proxime sequentibus valde affinis est. — Quadrangulus oculorum in ea *vix* latior est antice quam postice (non, ut loc. cit. dixi, paullo latior antice quam postice).

296. **M. thalassina** (C. L. Koch).

Syn.: 1864. *Plexippus thalassinus*, C. L. Koch, Die Arachn., XIII, p. 124, Tab. CCCCLIII, fig. 1164.
1881 *Maevia thalassina*, Thor., Studî, *cet.*, III, Ragni dell'Austro-Malesia, *cet.*, loc. cit., p. 468 (*ubi cet. syn. videantur*).

Quibus locis, praeter in ins. Bintang et Java, haec species inventa fuerit, vid. in Thor., loc. cit. — Forma procursus illius, quem in palpis maris habet apex lateris exterioris partis tibialis, paullo variare videtur: in exemplis ex Java dens vel spinula, quam infra format hic procursus, *recta* mihi videtur, non, ut in exemplis ex Cape York Novae Hollandiae, evidenter incurva. Praeterea vero nullam differentiam video.

297. **M. viridi-fasciata** (Dol.).

Syn.: 1859. *Salticus viridifasciatus*, Dol., Tweede Bijdr., *cet.*, loc. cit., p. 19 (= ♂).
1859. *Attus viridifasciatus*, id., ibid., Tab. III, fig. 8 (= ♂).
1859. *Salticus fulvovittatus*, id., ibid., p. 20, Tab, V, fig. 3 (= ♀).
1878. *Maevia viridi-fasciata*, Thor., Studî, *cet.*, II, Ragni di Amboina, loc. cit., p. 278 et 311.
1881. » » , id., ibid., III, Ragni dell'Austro-Malesia, *cet.*, loc. cit., p. 467.

Exemplum masculum siccatum, acui affixum et abdomine carens vidi, a Cel. Prof. Kinberg in Malacca inventum et, ut mihi videtur, ad *Maeviam viridi-fasciatam* referendum; quae species praeterea in Sumatra (Surulangun) secundum Van Hasselt (Midden Sumatra, *cet.*, Araneae, p. 50), in Labuan, in Amboina et *fortasse* in Nuova Guinea vitam degit ([1]).

298. **M. gemmans**, n., *cephalothorace nigro, lateribus paene totis, vittis duabus dorsualibus transversis* (*quarum posterior recurva est*) *et macula triangula ad marginem posticum sita cupreis et aeneo- vel cyaneo-aureis; pedibus testaceis, nigro-lineatis et -subannulatis; abdomine in fundo nigro, squamulis albissimis saltem ad basin et secundum medium dorsi tecto, et squamulis aeneo-albicantibus*

([1]) In his Stud., I, p. 591 (251) errore quodam scripsi, hanc speciem sive *Salt. viridifasciatum*, Dol., etiam in Java esse inventam.

praeterea munito; mandibulis in apice ad basin unguis, supra, modo dente minuto instructis; parte tibiali palporum apice extus procursu brevi munita, qui in duos dentes incurvos, superiorem et inferiorem, divisus est, hoc procursu desuper viso spinam parvam sat crassam paullo incurvam simulanti. — ♂ ad. *Long. circa* 6 $^2/_3$ *millim.*

Mas. — Maribus *M. viridi-fasciatae* (Dol.) et *M. thalassinae* (C. L. Koch), hujus praesertim, ad formam simillimus, sed mandibulis ad basin unguis, supra, dente modo *minuto* praeditis et structurà paullo alià procursus partis tibialis palporum sine negotio dignoscendus. Descriptio, quam *M. viridi-fasciatae*, ♂, locis supra cit. dedimus, plane in eum cadit, his exceptis. *Cephalothorax*, qui latera partis cephalicae, supra, parallela habet, circiter $^1/_3$ longior est quam latior et paullo longior quam patella + tibia + dimidium metatarsi 4.[i] paris. A latere visum dorsum ejus ante oculos posticos parum proclive et leviter convexum est, ab his oculis posteriora versus fortius declive, leviter convexum et in declivitatem posticam etiam paullo magis declivem et paene rectam sensim transiens. *Mandibulae* deorsum et non parum anteriora versus directae, parallelae, vix ullum spatium inter se relinquentes; sub-cylindratae sunt, apice late et oblique truncatae, patellis 1.[i] paris non parum longiores et latiores, altitudinem faciei longitudine superantes, vix duplo et dimidio longiores quam latiores; in dorso rectae et apicem versus deplanatae et hic ad ipsum apicem intus leviter impressae sunt, secundum marginem exteriorem, ut in margine interiore, costa tenui munitae, transversim striatae. Ad basin unguis, supra, modo dentem minutum brevissimum (vel angulum parvum) ostendunt mandibulae; praeterea sulcus unguicularis antice dentes duos, postice dentem singulum sat parvum habere videtur. Unguis sat longus et fortis, basi paullulo incrassatus. *Maxillarum* apex extus angulum non format. *Palporum* clava tibiam 1.[i] paris latitudine paene aequat; pars patellaris cylindrata est, paene duplo longior quam latior; pars tibialis desuper visa eà paullo longior est, duplo fere longior quam latior, a basi apicem versus sensim paullulo dilatata, a latere vero visa cylindrata, saltem duplo longior quam latior et parte tarsali cum bulbo evidenter angustior. Apex lateris exte-

rioris partis tibialis in procursum parvum productus est, qui desuper visus speciem spinae brevis sat crassae, paullo incurvae, anteriora versus et paullo foras directae prae se fert: hic procursus in dentes duos parvos incurvos divisus est, superiorem et inferiorem. Pars tarsalis desuper visa parte tibiali saltem non brevior est eâque evidenter paullo latior. *Pedes* ad formam ut in *M. viridi-fasciata* et *M. thalassina*, longitudine vero paullo diversa: pedes 2.ⁱ et 3.ⁱⁱ parium paene eadem longitudine sunt inter se, ut pedes 1.ⁱ et 4.ⁱ parium inter se (conf. mensuras). Patella 4.ⁱ paris angustior videtur quam patella 3.ⁱⁱ paris, eam longitudine aequans. Tibiae anteriores, vel saltem 1.ⁱ paris, subter 2. 2. 2., antice 1. 1. aculeos ostendunt, metatarsi anteriores modo 2. 2. aculeos, subter. Metatarsi 4.ⁱ paris ad apicem, basin et medium aculeati sunt, ut in *M. viridi-fasciata* et in *M. thalassina*.

Color. — *Cephalothorax* niger, squamulis cupreis et cyaneo-viridibus vel -aureis in lateribus vestitus, et ejusmodi squamulis in dorso munitus, quae, ut videtur, vittas transversas tres formant, primam rectam, paullo pone oculos anticos, secundam recurvam, paullo pone oculos posticos sitam, tertiam, quae melius plaga sub-triangula appellari potest, in declivitate postica locatam et usque ad marginem posticum pertinentem; in locis nigris dorsum pube nigerrima tectum fuisse videtur. Clypeus cum genis pube alba vestitus est, annuli circum oculos anticos albi quoque. *Sternum* nigrum, viridi-squamulosum et albo-pubescens. *Mandibulae* nigro-piceae; *maxillae* et *labium* ejusdem coloris, illae apice intus testaceae. *Palpi* flavo-testacei, parte trochanterali tota, parte femorali in utroque latere ad basin, et parte tarsali, basi testacea excepta, nigris; partes patellaris et tibialis cum basi partis tarsalis praeterea pilis et pube nigricantibus praeditae sunt. *Pedes* testacei (anteriores magis fusco-testacei), nigro-lineati, cyaneo- vel viridi-aeneo-squamulosi, aculeis nigris: pedes 4 anteriores secundum paene totam longitudinem lateris exterioris fasciam nigram habent, et pedes 1.ⁱ paris etiam in latere interiore umbram nigricantem ostendunt; in pedibus 4 posterioribus linea ejusmodi nigra in latere interiore tibiarum, metatarsorum et tarsorum conspicitur, et femora apice nigricantia sunt;

in pedibus 3.ii paris femora stria nigra versus basin etiam in latere exteriore sunt notati. Articulationes pleraeque anguste nigrae quoque. *Abdomen* in fundo nigrum; in nostro exemplo detrito remanent squamulae albissimae ad basin et apicem dorsi ut et secundum medium ejus (plagam vittamve basalem et fasciam mediam formantes?), ut et vestigia squamularum aeneo-albicantium in lateribus ejus; venter niger vestigia hujusmodi squamularum (aeneo-albicantium) fere undique ostendit. *Mamillae* nigrae.

Lg. corp. 6 $^2/_3$; lg. cephaloth. 3, lat. ej. circa 2, lat. front. circa 1 $^2/_3$; lg. abd. 3 $^2/_3$, lat. ej. 1 $^1/_3$ millim. Ped. I 7, II circa 6 $^2/_3$, III 6 $^2/_3$, IV circa 7 millim. longi; pat. + tib. I 2 $^1/_4$, pat. + tib. III 2, pat. + tib. IV 2 $^1/_4$, metat. + tars. IV 2 $^1/_3$ millim.

Exemplum singulum detritum hujus speciei vidi, a Cel. Beccari in monte Singalang Sumatrae inventum.

299. **M. ombria**, Thor.

Syn.: 1877. *Maevia ombria*, Thor., Studî, *cet.*, I, Ragni di Selebes, loc. cit., p. 588 (248)

Habitat in Celebes, ad Kandari detecta; secundum Van Hasselt (Midden Sumatra, *cet.*, Araneae, p. 50) ad Lebong in Sumatra capta quoque est.

300. **M. Marxii**, n., *cephalothorace nigro, saltem in lateribus squamulis versicoloribus pallide cupreis et viridi-aureis vestito, clypeo albo-pubescenti (-squamuloso?), annulis circum oculos anticos albis, supra ferrugineo-fuscis; pedibus in fundo fusco-testaceis, anterioribus nigro-sub-fasciatis -annulatisque; abdomine in fundo nigro, saltem in declivitate antica squamulis albis, praeterea vero squamulis aureo-albicantibus munito; mandibulis apice, versus basin unguis, supra, dente sat parvo munitis; parte tibiali palporum in medio apicis lateris exterioris spina simplici sat forti, porrecta, paullo deorsum et intus curvata armata, in apice intus vero mutica.* — ♂ ad. *Long. circa* 4 $^2/_3$ *millim.*

Mas. — Maribus praecedentium, praesertim mari *M. ombriae*, valde affinis est, pedibus anticis brevioribus, forma palporum paullo

alia (et verisimiliter etiam colore abdominis paullo diverso) ab eo dignoscendus. — *Cephalothorax* aeque longus est ac patella + tibia + dimidium metatarsi 4.^{i} paris, parum brevior quam patella + tibia + metatarsus 1.^{i} paris, et paullo plus $^1/_3$ longior quam latior. Ad formam cephalothorax plane ut in *M. ombria* est, impressione magna recurva inter oculos posticos, sulcoque minutissimo in ea; in declivitate postica sulcus longitudinalis tenuis sat longus conspicitur. *Sternum, oculi, maxillae* et *labium* ut in *M. ombria* diximus.

Mandibulae, quae patellas anticas longitudine aequant et iis paullo latiores sunt, faciei altitudinem longitudine evidenter superantes et circa duplo et dimidio longiores quam latiores, paene directae sunt, parallelae, lateribus rectis apicem versus paullulo angustatae, paene cylindratae, apice oblique truncatae, in dorso rectae et subtiliter coriaceae, modo apice intus subtiliter transversim striatae; magis extus in dorso costam longitudinalem tenuem a medio dorsi ad basin unguis ductam ostendunt, et ad apicem intus aliam costam tenuem foras curvatam, his duabus costis quasi sulcum latum laevem inter se relinquentibus. Sulcus unguicularis supra, fere in medio apicis mandibulae vel paullo magis versus basin unguis, dentem sat parvum acuminatum rectum format; praeterea verisimiliter dentibus tribus ordinariis munitus est sulcus unguicularis. Unguis mandibulâ duplo brevior, aequaliter curvatus, basi paullo incrassatus. *Palpi* sat breves et graciles, clava basi tibiam 1.^{i} paris latitudine aequanti; pars patellaris paene duplo longior est quam latior, pars tibialis desuper visa eâ vix brevior sed, apice, paullo latior, a basi apicem versus sensim paullo dilatata, vix plus dimidio longior quam latior apice, a latere visa apicem versus vix incrassata et parte tarsali cum bulbo paullo angustior; apex lateris exterioris ejus plane in medio in spinam acuminatam productus est, cujus apex niger paullo deorsum et intus est curvatus: haec spina sat fortis est, latitudinem ipsius partis tibialis longitudine vix aequans, saltem non superans. In apice lateris interioris, subter, dente caret pars tibialis. Pars tarsalis prioribus duabus conjunctis paullo brevior est, parte tibiali basi parum latior,

duplo longior quam latior, basi utrinque fortius rotundata, dein in interiore latere modo levissime rotundata, in latere exteriore vero concavata, apice obtuso. Bulbus parvus, parum altus. *Pedes* breviores, 4.[i] paris reliquis longiores; pedes 1.[i] paris cephalothorace parum plus duplo longiores sunt et pedibus reliquis paullo robustiores, tibiis vix ultra 4.plo longioribus quam latioribus, metatarsis tibiâ duplo angustioribus. Pedes 1.[i] et 3.[ii] parium paene aeque longi sunt visi. Tibiae anteriores subter 2. 2. 2. aculeos habent, antice 1. 1. aculeis munitae quoque (?); aculei tibiarum 2.[i] paris non longiores videntur quam aculei tibiarum 1.[i] paris; metatarsi anteriores subter 2. 2. aculeos ostendunt. Metatarsi 4.[i] paris ad apicem, basin et medium aculeati sunt, ut in affinibus. *Abdomen* elliptico-cylindratum, paene triplo longius quam latius.

Color. — *Cephalothorax* in fundo niger, squamulis versicoloribus pallide cupreis et viridi-aeneis in lateribus undique vestitus; etiam in dorso verisimiliter squamulis ejusmodi munitus fuit (exemplum nostrum ibi plane detritum est). Hic illic, praesertim in margine frontali, remanent pili longiores testaceo-fusci magis erecti vel porrecti; clypeus albicanti-pubescens vel -squamulosus est, annuli circum oculos anticos inferius albicantes, supra medios eorum ferrugineo-fusci. *Sternum* nigricans, viridi-squamulosum, pallido-pilosum. *Mandibulae* et reliquae partes oris piceae, maxillae apice intus pallidiores. *Palpi* flavo-testacei, basi anguste fusci, parte tarsali nigra, basi anguste pallida; supra tenuiter pallide virescenti-squamulosi fuisse videntur et pube alba tecti, parte tarsali nigricanti-pubescenti. *Pedes* fusco-testacei, apice, ut et subter versus basin, pallidiores; pedes 1.[i] paris reliquis paullo obscuriores sunt et in latere interiore fascia nigricanti secundum totam longitudinem femorum extensa praediti, quae fascia etiam, sed minus evidenter et ut videtur abrupta, per patellas et tibias continuatur; in latere exteriore femora, patellae et tibiae anteriores maculam vel umbram nigricantem ad apicem ostendunt, et femora 2.[i] et 3.[ii] parium etiam apice intus nigricantia sunt. Squamulis aeneo-virescentibus vestiti fuisse videntur pedes; praeterea pallido-pilosi sunt, aculeis saltem plerisque pal-

lidis quoque. *Abdomen*, in fundo nigrum, in nostro exemplo adeo detritum est, ut remaneant modo pili nonnulli longi pallide fusci, et squamulae nonnullae albae in declivitate antica, ut et vestigia squamularum aeneo-albicantium in lateribus et in dorso versus ea; venter totus squamulis aeneo-albicantibus vestitus fuisse videtur, pilisque pallidis sparsus. *Mamillae* nigrae.

Lg. corp. 4 $^{2}/_{3}$; lg. cephaloth. paene 2 $^{1}/_{6}$, lat. ej. circa 1 $^{1}/_{2}$, lat. front. paullo plus 1; lg. abd. 2 $^{1}/_{2}$, lat. ej. paene 1 millim. Ped. I 4 $^{1}/_{2}$, II paullo plus 4, III circa 4 $^{1}/_{2}$, IV 5 $^{1}/_{2}$ millim. longi; pat. + tib. I paullo plus 1 $^{1}/_{2}$, pat. + tib. III 1 $^{1}/_{2}$, pat. + tib. IV paullo plus 1 $^{3}/_{4}$, metat. + tars. IV parum plus 2 millim.

Mas (detritus), quem singulum vidi, ex Museo Holmiensi mecum communicatus fuit: Cel. Prof. Kinberg eum in Java cepit.

301. **M. vittata** (C. L. Koch), *cephalothorace in fundo nigro, squamulis aeneo-aureis munito; palpis flavo-testaceis; pedibus testaceis, plus minus evidenter nigro-annulatis, pedibus* 1.^{i} *paris reliquis vix robustioribus; abdomine inverse sub-ovato, in fundo nigro et vitta recurva testacea paullo ante anum ornato, quae utrinque usque in ventrem continuatur, ibi cum apicibus posterioribus fasciarum duarum longitudinalium latarum testacearum ventris conjuncta: dorso abdominis squamulis viridi-aeneis et -aureis, vittas transversas formantibus munito.* — ♀ ad. ♂ jun. *Long.* ♀ *circa* 3 $^{3}/_{4}$ *millim.*

Syn.: 1846. *Plexippus vittatus*, C. L. Koch, Die Arachn., XIII, p. 125, Tab. CCCCLIII, fig. 1185.

Femina. — *Cephalothorax*, fere dimidio longior quam latior, patellam + tibiam + metatarsum 1.^{i} paris, et patellam + tibiam + $^{3}/_{4}$ metatarsi 4.^{i} paris longitudine circiter aequat; lateribus in medio paene parallelis et rectis, lateribus postice sat fortiter rotundatis posteriora versus breviter angustatus est, lateribus ante oculos 3.^{ii} paris levissime concavatis (paene rectis) anteriora versus modo paullulo angustatus, antice leviter rotundatus, postice sat late truncatus paulluloque emarginatus. Modice altus est cephalothorax, area inter-oculari transversim leviter convexa; a latere visum dorsum ipsum, quod oculos posticos paullulo pone

medium sitos habet, sat fortiter convexum est, declivitas postica longa, ipso dorso paullo (non dimidio) brevior, paene recta et modice praerupta. Clypei altitudo $^1/_4$ diametri oculi maximi superare videtur. Paullulo pone oculos posticos impressionem sat levem, certo situ /\-formem ostendit cephalothorax, et in eo sulcum minutum, tenuissimum; praeterea plane laevis est, arcubus supra-ciliaribus carens. Quadrangulus *oculorum* $^2/_5$ longitudinis cephalothoracis occupat; paene rectangulus est, postice parum angustior quam antice, circa $^1/_3$ latior quam longior, et modo singuli oculi postici diametro latior postice quam cephalothorax eodem loco. Linea margines superiores oculorum anticorum tangens recta est, vix sursum curvata; medii horum oculorum contingentes sunt inter se, lateralibus anticis fere duplo et dimidio majores, et spatiis evidentibus sed parvis ab iis sejuncti. Oculi 2.ae seriei minuti vix vel parum longius ab oculis posticis quam a lateralibus anticis distant; oculi postici, lateralibus anticis paullo minores et plus diametro sua altius quam ii positi, paullo longius inter se quam a margine cephalothoracis distare videntur. *Sternum* inverse ovatum fere, coxis circa duplo latius; spatium inter coxas 1.i paris labii latitudine multo majus est.

Mandibulae directae, parallelae, sat parvae, sub-cylindratae, paene duplo longiores quam latiores; *maxillae* parum divaricantes, fere duplo longiores quam latiores, labio circa duplo longiores, apice extus rotundatae; *labium* aeque fere latum et longum, apicem versus sensim angustatum. *Palpi* mediocres, partibus patellari et tibiali sub-aequalibus, paullo longioribus quam latioribus, parte tarsali fere duplo et dimidio longiore quam latiore. *Pedes* sat breves, graciles, 1.i paris reliquis vix robustiores; in pedibus anterioribus tibiae patellâ circa dimidio longiores sunt, in pedibus 4.i paris patellâ fere duplo sunt longiores. Parcius pilosi et pubescentes fuisse videntur pedes, aculeis gracilibus armati. In pedibus anterioribus tibiae subter 2. 2. 2. aculeis armatae sunt, et praeterea, ut videtur, 1. 1. utrinque (?); metatarsi anteriores aculeis 2. 2. subter et 1. 1. in lateribus sunt muniti. Metatarsi posteriores non tantum apice aculeati. (Patellae posteriores *fortasse* aculeo praeditae sunt). *Abdomen* inverse ova-

tum fere, postice sub-acuminatum. *Vulva* ex area magna impressa obscura antice bis rotundata constat, quae postice aream ferrugineo-piceam, apice postico in duo tubercula divisam continet. *Mamillae* mediocres, superiorum articulus 2.^{s} brevissimus.

Color. — In exemplo nostro, quod plane detritum est, *cephalothorax* niger est totus, nitidissimus, *sternum* piceum, albicanti-pubescens et vestigiis squamularum viridi-aenearum praeditum, *mandibulae* nigrae, *maxillae* et *labium* picea, apice testacea. *Palpi* flavo-testacei, *pedes* fusco-testacei. *Abdomen* in fundo nigrum est; paullo ante anum, supra, fundus vittam transversam sat latam testaceam retro curvatam vel fractam ostendit, quae utrinque usque in ventrem continuatur, et ita annulum subter satis anguste abruptum format, supra maculâ nigrâ ab ano separatum, infra vero modo annulo angusto abrupto nigro a summo apice ventris pallido disjunctum; ad ipsam basin supra vitta transversa testacea adfuisse videtur (?). In dorso (etiam in vitta pallida apicali) et in lateribus vestigia pauca squamularum viridi-aenearum et cuprearum ostendit abdomen exempli nostri. Venter albicanti-pubescens ante rimam genitalem in medio subfuscus est, utrinque vero testaceus, vulva ferrugineo-picea; pone rimam genitalem niger est, fasciis duabus longitudinalibus latis testaceis, quae levissime incurvae sunt et extus, anterius, quasi angulum formant; postice cum extremitatibus vittae (annuli) illius apicalis testaceae conjunctae sunt hae fasciae, ibi, extus, cum iis angulum formantes, et inter se spatium nigrum posteriora versus sensim paullo angustatum, ipsis fasciis parum latius relinquentes. In utroque latere abdominis, posterius, lineam longitudinalem sub-obliquam pallidam video, cum vitta illa apicali conjunctam. Petiolus flavo-testaceus. *Mamillae* sub-testaceae.

♀ ad. — Lg. corp. 3 $^{3}/_{4}$; lg. cephaloth. 1 $^{5}/_{6}$, lat. ej. paullo plus 1 $^{1}/_{3}$, lat. front. paene 1 $^{1}/_{4}$; lg. abd. 2, lat. ej. paene 1 $^{1}/_{2}$ millim. Ped. I 3, II paene 3, III 3 $^{5}/_{6}$, IV?; pat. + tib. III 1 $^{1}/_{6}$, pat. + tib. IV 1 $^{1}/_{4}$, metat. IV 1 millim.

In *mare jun.* ex Pinang, qui hujus speciei haud dubie est, pedes 4.^{i} paris pedibus 3.^{ii} paris non parum breviores sunt, tibia cum patella 4.^{i} paris vix vel parum longior quam tibia

cum patella 3.ii paris; metatarsus cum tarso 4.i paris tibia cum patella ejusdem paris evidenter longior est. Cephalothorax supra ante oculos posticos squamulis densis aeneo-aureis tectus fuisse videtur, et etiam pone hos oculos squamulis ejusmodi ad magnam partem est vestitus; sternum nigrum est, paullo aeneo-squamulosum, mandibulae nigricantes, apice et extus sub-testaceae, palpi flavi, pedes testacei, paullo nigro-annulati, femoribus anticis, patellis et tibiis in lateribus nigris, reliquis femoribus apice utrinque nigris. Ut in femina, abdomen in fundo vittas duas transversas e squamulis aeneo-aureis formatas anterius et in medio sitas habuisse videtur, et praeterea in apice abdominis (etiam in vitta recurva pallida) vestigia squamularum ejusmodi ostendit.

Feminam, quam singulam male conservatam et plane detritam vidi, ad Singapore cepit Kinberg (Mus. Holm.); marem juniorem in insula Pinang invenerunt Beccari et E. D'Albertis. Alius mas junior, acui affixus et valde corrugatus, et, ut videtur, ejusdem speciei, ad Malaccam a Cel. Kinberg captus fuit et ex Mus. Holm. mecum communicatus. — *Plexippo vittato,* C. L. Koch, ex ins. Bintang, araneam nostram subjcio, etsi a descriptione et figura ejus speciei eo differt, quod *vittam abdominis apicalem in fundo testaceam*, et mamillas testaceas habet. Cephalothorax in nostris exemplis supra plus minus detritus est, quare vittae ejus transversae alternantes nigrae et virides, quas descripsit Koch, in nostris exemplis distingui non possunt. — A *Saltico trochilo,* Dol. ([1]), ex Java, eo saltem differt aranea nostra, quod saltem *tres,* non modo duas, vittas transversas in dorso abdominis habet, et quod cephalothorax ejus vitta posteriore *rubra* caret.

302. **M. albo-cincta** (Thor.).

Syn.: 1877. *Thiania* (?) *albo-cincta*, Thor., Studî, *cet.*, I, Ragni di Selebes, loc. cit., p. 591 (251).

Species in Celebes, ad Kandari, capta. — Non *Thianiae* (C. L. Koch), cujus typus *Th. pulcherrima,* C. L. Koch ([2]), est ha-

([1]) Tweede Bijdrage, *cet.*, loc. cit., p. 19, Tab. X, fig. 5.

([2]) Die Arachn., XIII, Tab. CCCCLX, fig. 1223. — Conf. Uebers. d. Arachn.-Syst., 5, p. 46.

benda, sed *Maeviae* (id.), Thor., adscribenda est haec species nostra, ut jam in his Stud., III, p. 467, diximus.

303. **M. cypria**, n., *cephalothorace in fundo nigro, pube crassa sub-squamuliformi ferrugineo-fusca, intermixta albicanti, tecto; palpis testaceis, apice late ferrugineo-testaceis; pedibus totis fusco-testaceis, albo- et virescenti-squamulosis; abdomine supra squamulis crassis luteo-cupreis ad maximam partem tecto et vittis duabus transversis nigris notato, altera magis inaequali et in medio sub-abrupta paullo ante, altera paullo pone medium sita, ventre squamulis aeneo-albicantibus tecto et fasciis duabus longitudinalibus inaequalibus albis* (*quasi e maculis ternis conflatis*) *in lateribus ornato.* — ♀ ad. *Long. circa* 5 *millim.*

Femina. — Ad formam feminae *M. viridi-fasciatae* ([1]) similis est haec aranea, maribus ejus et formarum supra descriptarum valde dissimilis. — *Cephalothorax*, patellam + tibiam + $^2/_3$ metatarsi 4.[i] paris longitudine circiter aequans, plus $^1/_3$ longior quam latior est, minus altus, desuper visus paene a coxis 3.[ii] paris ad oculos laterales anticos lateribus paene rectis anteriora versus sensim modo paullulo angustatus, posterius lateribus ample et fortiter rotundatis sat breviter et fortiter posteriora versus angustatus, in medio postice sub-truncatus. A latere visum dorsum ejus ante oculos posticos (qui paullo pone medium dorsi ipsius locum tenent, paullo plus diametro sua altius quam oculi laterales antici positi) sat fortiter proclive sed vix convexum est, pone hos oculos paullo minus fortiter declive, vix convexum, et in declivitatem posticam, dimidium dorsi ipsius longitudine superantem, parum abrupte declivem et paene rectam sensim transiens. Arcus supra-ciliares oculorum posticorum sat debiles; altitudo clypei veri vix $^1/_4$ diametri oculi maximi aequat. Quadrangulus *oculorum* circa $^2/_5$ longitudinis cephalothoracis occupat; circa $^1/_4$ latior est quam longior, rectangulus (vix latior postice quam antice), et postice parum (non diametro oculi singuli postici) angustior postice quam cephalothorax eodem loco. Oculi

(1) Vid. Thor., Studi, *cet.*, II, Ragni di Selebes, loc. cit., p. 282.

medii antici, spatio parvo sed evidentissimo disjuncti, plus duplo majores sunt quam oculi laterales antici, a quibus spatiis distant, quae $^1/_3$ diametri oculi lateralis circiter aequant. Linea recta margines superiores oculorum anticorum mediorum tangens laterales anticos paullo sub margine eorum superiore secat. Oculi 2.[ae] seriei minuti locum in medio inter oculos laterales anticos et oculos posticos tenent; oculi postici, lateralibus anticis paullo majores, paullo longius inter se quam a margine cephalothoracis distare videntur. *Sternum* inverse ovatum fere; spatium inter coxas 1.[i] paris labii latitudinem aequat.

Mandibulae directae, cylindrato-conicae, apice oblique truncatae, patellis 1.[i] paris paullo breviores sed iis multo crassiores, vix dimidio longiores quam latiores basi, in dorso ad longitudinem parum convexae, laeves vel modo subtilissime coriaceae et striatae, nitidae, pilis tenuibus sparsae; unguis gracilis, modice longus, leviter curvatus. *Maxillae* labio paene duplo longiores, apice extus fortiter rotundatae. *Labium* parum longius quam latius videtur, apice late rotundato-truncatum (?). *Palpi* basi graciles, dein paullo dilatati: pars patellaris vix dimidio longior est quam latior, cylindrata; pars tibialis eà paullo longior, basi ejus latitudine, a basi apicem versus sensim paullo dilatata, vix dimidio longior quam latior apice; pars tarsalis, quae basi aeque lata est ac pars tibialis apice, partibus duabus prioribus conjunctis paullo brevior est, a basi apicem versus sensim paullo angustata, duplo longior quam latior basi. *Pedes* breviores, 1.[i] et 3.[ii] parium paene aeque longi, 1.[i] paris reliquis paullo robustiores; tibiae 1.[i] paris patellà paullo (non dimidio) longiores sunt, tibiae 4.[i] paris patellà saltem dimidio longiores; tibiae 1.[i] paris circa 3 $^1/_2$ longiores quam latiores videntur; metatarsi ejusdem paris tibià non angustiores sunt. Patellae saltem posteriores aculeum vel aculeos binos habent; in tibiis 1.[i] paris subter 2. 2. 2., antice 1 (1. 1.?) aculeos video, in tarsis hujus paris 2. 2. subter. (Pedes 2.[i] paris in nostro exemplo desunt). Metatarsi 4.[i] paris apice, basi et ad medium aculeati sunt. *Abdomen* inverse subovatum, apice sub-acuminatum. *Vulvae* fuscae formam certo

eruere non potui; in aqua immersa tubercula (foveolas?) duo rotundata inaequalia ostendere visa est.

Color. — *Cephalothorax* in fundo niger, pilis longis sub-erectis nigris praesertim anterius sparsus, et pube crassa ferrugineo-fusca paene squamuli-formi, intermixta albicanti, undique (in lateribus, in genis et supra) tectus, clypei pubescentia tamen saltem ad partem alba; annuli circum oculos anticos luteo-ferruginei. *Sternum* in fundo nigrum. *Mandibulae* et reliquae partes oris ferrugineae. *Palpi* sub-testacei, partibus tibiali et tarsali magis ferrugineis, albo-pubescentes et -pilosi, aeneo-albo-squamulosi, aculeis nigris et fuscis. *Abdomen* in fundo nigricans; supra et in lateribus squamulis crassis nigris et cupreo-luteis (his certo situ, ut videtur, albicantibus, vel, praesertim in declivitate antica, cum squamulis albis mixtis) ita tectus est, ut squamulae cupreae plagam latam basalem aliamque plagam vel vittam transversam mediam (cum illa in medio conjunctam?) ut et plagam latam apicalem forment; dorsum igitur cupreo-luteum dici potest, vittis transversis duabus minus aequalibus nigris. Venter in utroque latere fasciam albam e squamulis formatam secundum longitudinem extensam ostendit, quae fasciae ex ternis maculis conjunctis constare videntur; inter eas venter squamulis aeneo-albicantibus late et dense vestitus est. *Mamillae* superiores nigrae, inferiores obscure fuscae.

Lg. corp. 5; lg. cephaloth. 2 $^1/_2$, lat. ej. 1 $^4/_5$, lat. front. paene 1 $^1/_2$; lg. abd. 2 $^1/_2$, lat. ej. 1 $^3/_4$ millim. Ped. I 4 $^1/_2$, II?, III circa 4 $^1/_2$, IV paene 5 $^1/_2$ millim. longi; pat. + tib. I 1 $^1/_2$, pat. + tib. III circa 1 $^1/_2$, pat. + tib. IV paene 1 $^3/_4$, metat. + tars. IV paullo plus 1 $^3/_4$ millim.

Feminam singulam mutilatam in Java inventam possideo, a Cel. Van Hasselt dono mihi datam.

304. **M. laticlavia**, n., *cephalothorace squamulis viridibus, admixtis, in lateribus, cupreis undique tecto; palpis testaceis, basi late nigris; pedibus sub-testaceis, nigro-fasciatis et -sub-annulatis; abdomine squamulis densis tecto, dorso obscure aeneo lineis tribus transversis albis ornato, prima basali et recurva, reliquis duabus*

versus medium sitis rectis et vittam transversam latam rubram includentibus, area pone has duas lineas plaga vel vitta rubra ornata quoque, area magna ante eas maculis albis sparsa. — ♀ ad. *Long. circa* 6 $^{1}/_{4}$ *millim.*

Femina. — Priori, *M. cypriae*, ad structuram simillima, modo his rebus a descriptione ejus discrepans. *Cephalothorax* patellam + tibiam + dimidium metatarsi longitudine saltem aequat; a latere visum dorsum ante oculos posticos, qui in medio (saltem non pone medium) dorsi ipsius locum tenent et modo diametro sua altius quam laterales antici locati sunt, paullo minus fortiter proclive, sed pone eos paullulo fortius declive est. Quadrangulus *oculorum* postice parum angustior est quam cephalothorax eodem loco; linea recta margines superiores oculorum mediorum anticorum tangens laterales anticos vix secat, modo tangit. *Palpi* graciliores quam in priore specie, versus apicem minus evidenter dilatati; pars patellaris cylindrata est, vix dimidio longior quam latior, pars tibialis eâ paullo longior, a basi apicem versus sensim modo paullulo dilatata, saltem dimidio longior quam latior apice; pars tarsalis paene a basi ad apicem sensim paullo angustata, fere duplo et dimidio longior quam latior. *Pedes* 1.^{i} et 2.^{i} parium eadem longitudine paene sunt, 3.^{ii} paris pedes iis evidenter longiores; eodem modo atque in specie priore aculeati sunt pedes (2.^{i} paris eodem modo ac 1.^{i} paris). *Vulva* ex foveis duabus parvis, septo brevi separatis constat. — Praeterea omnia, quae de structura *M. cypriae* diximus, etiam in hanc speciem cadunt.

Color. — *Cephalothorax* in fundo niger (antice paullo pallidior), squamulis aeneo-viridibus undique tectus, admixtis tamen in lateribus cephalothoracis squamulis cupreis, genis cupreo-squamulosis, squamulis areae inter-ocularis posterius obscurius viridibus; clypeus paullo albicanti-pubescens est, annuli circum oculos anticos ad maximam partem lutei, infra albi. *Sternum* nigrum, tenuiter aeneo-viridi-squamulosum et albicanti-pubescens. *Partes oris* basi nigrae, praeterea sub-ferrugineae. *Palpi* flavo-testacei, parte femorali ad maximam partem nigra, subtiliter aeneo-viridi-squamulosi, sat dense et tenuiter albo- et, apice intus, nigro-pilosi. *Pedes* sub-testacei, nigro-fasciati, aeneo-viridi-squamulosi,

nigro-pilosi et -aculeati; omnes pedes in utroque latere fasciam latam nigram usque a basi femorum secundum maximam partem longitudinis ductam ostendunt, hac fascia tamen intus in patella et in tibiis pedum anteriorum abbreviata et minus lata; articulationes nonnullae nigrae quoque sunt. *Abdomen*, quod in fundo rufescenti-nigrum videtur, squamulis tenuioribus densis tectum est et hoc modo pictum: tres lineas vel vittas angustas transversas albas habet, primam sat brevem et recurvam in declivitate antica locatam, reliquas paene rectas, secundam paullo ante medium et tertiam non parum pone medium dorsi sitam: his duabus lineis dorsum in tres areas dividitur, quarum media reliquis duabus duplo angustior est. Area inter lineas duas anteriores obscure aenea est et maculis parvis albis (et forsitan macula una alterave rubra quoque) conspersa; in area media fascia lata rubra conspicitur, quae limbo nigro antice et postice a lineis illis albis separata fuisse videtur; area magna postica aeneo-nigra est et vestigia plagae vel vittae latae rubrae ostendit. Venter squamulis ad maximam partem argenteis, postice vero, ante mamillas, aeneo-nigris tectus est; utrinque, in medio laterum, maculam magnam inaequalem sub-obliquam albam ostendit, ante quam fascia brevis inaequalis alba (maculae duae albae?) a basi abdominis retro ducta conspicitur. *Mamillae* nigrae; superiores aeneo-squamulosae fuisse videntur.

Lg. corp. 6 $^1/_4$; lg. cephaloth. 2 $^1/_2$, lat. ej. 1 $^3/_4$, lat. front. 1 $^1/_2$; lg. abd. 3 $^1/_2$, lat. ej. paene 2 millim. Ped. I paullo plus 4, II 4, III 4 $^3/_4$, IV 6 millim. longi; pat. + tib. I 1 $^1/_2$, pat. + tib. III paene 1 $^1/_2$, pat. + tib. IV 1 $^3/_4$, metat. + tars. IV 2 millim.

Singulum exemplum femineum pulcherrimae hujus araneolae ad Sungei Bulu Sumatrae invenit Cel. Beccari.

Species *Maeviae* nostrae supra sub n.is 396 - 305 enumeratae generis *Amyci*, L. Koch (et Keys.), sunt, *non* vero *Amyci*, C. L. Koch: vid. haec Stud., III, p. 467. In feminis hujus generis metatarsus cum tarso 4.i paris *non* semper evidenter longior est quam tibia cum patella ejusdem paris (conf. L. Koch, Die Arachn. Austral., p. 1473).

Gen. **Gelotia** (1), N.

Cephalothorax modice altus et longus, antice modice proclivis, desuper visus anteriora versus non vel parum angustatus; clypei altitudo $^1/_3$ diametri oculi maximi vix aequat.

Oculi magni, praesertim medii antici, qui valde prominentes sunt et spatiis modo parvis a lateralibus anticis separati; linea margines superiores oculorum anticorum tangens fere recta est. Quadrangulus oculorum plus $^2/_5$ sed non dimidium longitudinis cephalothoracis occupat; circa $^1/_4$ latior est quam longior, et paullulo latior antice quam postice, ubi non multo angustior est quam cephalothorax eodem loco. Oculi 2.ae seriei vix vel non solito majores, in medio inter oculos posticos et laterales anticos positi (2); oculi postici, circiter diametro sua altius quam laterales antici locati, spatio inter se distant, quod non vel modo paullo minus est quam id, quo a margine cephalothoracis remoti sunt. Sternum coxis latius; spatium inter coxas 1.i paris labii latitudinem circiter aequat.

Mandibulae mediocres, sub-directae (ita saltem in ♀).

Maxillae labio circa duplo longiores.

Labium non vel modo paullo longius quam latius, apice truncatum.

Palpi feminae apicem versus non dilatati.

Pedes longiores, graciles (metatarsis et tarsis pedum 1.i et 4.i parium praesertim gracilibus), ita: IV, I, II, III, longitudine se excipientes; tibiae 4.i paris sub-clavatae sunt; tibia cum patella 4.i paris longior quam tibia cum patella 3.ii paris, sed brevior quam metatarsus cum tarso 4.i paris. Tibiae etiam supra aculeatae sunt, 1.i paris subter saltem interdum fascia pilorum densorum munitae; metatarsi 4.i paris non apice tantum aculeati.

Abdomen longius; mamillae quoque sat longae.

Typus: *G. frenata*, n.

(1) *Gelotius* est nom. propr. Romanum.

(2) Excepto in *G.* (?) *bimaculata*, n.

Hoc genus fere intermedium est inter *Maeviam* et *Cocalum Linum*que, ab his duobus generibus cephalothorace multo minus alto et proclivi, et oculis 2.ⁱ seriei vix vel non solito majoribus praecipue diversum, a formis, quas gen. *Maeviae* subjungimus, tibiis 4.ⁱ paris sub-clavatis metatarsisque hujus paris tibiâ abrupte angustioribus, tibiis etiam supra aculeatis, cet., differens.

305. **G. frenata**, n., *cephalothorace squamulis ferrugineo-cupreis et, ad partem, viridi-aeneis et aureis quoque tecto, fascia supra-marginali alba anterius latissima in utroque latere ornato; pedibus testaceo-fuscis et nigricanti-sub-annulatis, squamulis sub-cupreis vestitis et annulis albis e pube formatis cinctis; abdomine saltem ad maximam partem, supra, squamulis sub-cupreis et -aeneo-viridibus tecto, in utroque latere fascia lata inaequali antice alba, postice pallide fusca secundum paene totam longitudinem extensa notato.* — ♀ ad. *Long. circa* 7 *millim.*

Femina. — *Cephalothorax* saltem $^1/_3$ longior quam latior, aeque paene longus ac tibia cum patella 1.ⁱ et 4.ⁱ parium, desuper visus a basi coxarum 1.ⁱ paris, postice, lateribus paene rectis et parallelis anteriora versus sensim parum dilatatus, pone coxas illas lateribus primum sat leviter rotundatis, denique rectis posteriora versus sensim sat fortiter angustatus, postice truncatus, latitudine frontis leviter rotundatae maximam cephalothoracis latitudinem aequanti. Altus est cephalothorax, dorso ipso a latere viso ante oculos posticos — qui non parum pone medium ejus, et diametro sua altius quam oculi laterales antici locum tenent — modice proclivi et levissime convexo, pone eos eodem modo declivi et, anterius, parum convexo, atque in declivitatem posticam sensim transeunti, hac declivitate dimidium reliqui dorsi longitudine non parum superanti, satis praerupta et ad maximam partem recta. Clypei altitudo vix $^1/_4$ diametri oculi maximi superat. Arcus supra-ciliares oculorum posticorum obsoleti sunt; inter oculos posticos impressio sat magna sed parum profunda conspicitur, et in et paullo pone eam sulcus ordinarius sat longus, diametrum oculi postici longitudine aequans. *Oculi* medii antici valde magni et prominentes, inter se con-

tingentes, a lateralibus, quibus parum plus duplo majores sunt, spatiis modo parvis disjuncti; linea margines superiores oculorum anticorum tangens recta est. Quadrangulus oculorum plus $^2/_5$ sed non dimidium longitudinis cephalothoracis occupat; circa $^1/_4$ latior est quam longior, et paullo latior antice quam postice, ubi modo singuli oculi postici diametro angustior est quam cephalothorax eodem loco. Oculi 2.ae seriei, solito non majores, vix vel non longius ab oculis posticis quam a lateralibus anticis distant; oculi postici, his oculis parum minores, vix longius a margine postico quam inter se distant. *Sternum* ovatum; spatium inter coxas 1.i paris labii latitudinem aequant.

Mandibulae mediocres, paene directae, cylindrato-ovatae, apice oblique rotundato-truncatae, patellas 1.i paris longitudine aequantes iisque paullo crassiores, vix duplo longiores quam latiores, ad ipsam basin sub-geniculato-convexae, praeterea in dorso ad longitudinem parum convexae, nitidae, subtilissime transversim striatae; sulcus unguicularis postice, intus, tribus dentibus armatus videtur, antice saltem binis dentibus, exteriore eorum reliquis majore. Unguis mediocris. *Maxillae* mediocres, paullo divaricantes, labio duplo longiores; *labium* vix longius quam latius, apice late truncatum. *Palpi* sat graciles et longi, cylindrati, non versus apicem dilatati; pars patellaris duplo longior est quam latior, pars tibialis fere triplo longior quam latior; pars tarsalis quadruplo longior est quam latior, versus medium supra aculeis tribus longis fortibus sub-appressis armata. *Pedes* sat longi, graciles, praesertim metatarsi et tarsi, illi in pedibus 1.i et 4.i parium tibiâ abrupte angustiores. Tibiae patellâ circa duplo longiores sunt, in pedibus 4.i paris patellâ paullo plus duplo longiores; metatarsi 1.i paris tibiâ modo paullo breviores, tarso plus dimidio sed non duplo longiores. Pedes 1.i paris reliquis vix robustiores, tibiae tamen paullulo incrassatae et subter pilis densis sed non multo longis, fasciam vel « fimbriam » formantibus vestitae; tibiae 4.i paris, quae apice paullo incrassatae sunt, apice subter eodem modo, sed etiam brevius, sunt pilosae. Praeterea minus dense pilosi sunt pedes, squamulis et pube tecti; aculeis multis longis et sub-appressis armati sunt. In fe-

moribus usque ad 8 aculeos video; omnes patellae aculeis binis sunt munitae; tibiae omnes supra binos aculeos habent. Tibiae 1.ⁱ paris subter 2. 2. 2., antice, postice et supra 1. 1. aculeos ostendunt; metatarsi ejusdem paris subter 2. 2., antice et postice 1. 1. aculeis, praeter corona aculeorum saltem 4 in apice, muniti sunt; pedes 2.ⁱ paris eodem modo aculeati videntur. Metatarsi 4.ⁱ paris secundum totam longitudinem aculeati sunt. *Abdomen* saltem duplo longius quam latius, ovato-lanceolatum; *vulva* e fovea sat magna profunda oblonga postice angustata constare videtur. *Mamillae* longiores, superiorum art. 1.ˢ cylindratus, paene triplo longior quam latior, 2.ˢ sub-conicus, aeque longus ac latus; mamillae inferiores superioribus parum breviores sed non parum crassiores sunt, conico-cylindratae, art. 2.° brevissimo.

Color. — *Cephalothorax* in fundo piceo-fuscus est, pube densa cupreo-ferruginea saltem ad magnam partem superius vestitus, pube vel squamulis viridi-aeneis et aureis in et paullo pone aream inter-ocularem (in nostro exemplo paene plane detritam) munitus quoque, fascia lata supra-marginali alba e pube formata in lateribus cinctus, hac fascia anterius latissima, usque ab oculis anticis lateralibus ad oculos posticos pertinenti, posterius angustiore, et fascia etiam angustiore cupreo-ferruginea ab ipso margine cephalothoracis separata. Clypeus, in margine dense albo-pilosus, utrinque pube alba in formam trianguli tectus est: praeterea vero fuscus vel cupreus fuisse videtur. Annuli circum oculos anticos ferrugineo-rubri, infra albicantes. *Sternum* sub-fuscum et, ut coxae et femora subter, crassius albo-pilosum. *Mandibulae* ferrugineo-fuscae, pilis albis sparsae. *Maxillae* et *labium* obscurius fusca. *Palpi* testaceo-fusci, albo-pilosi et -pubescentes, apice nigro-pubescentes quoque; pubes alba binas maculas transversas sive annulos abruptos supra in partibus patellari, tibiali et tarsali format. *Pedes* in fundo testaceo-fusci (versus basin subter magis testacei) et minus evidenter nigricanti-annulati: femora supra nigricanti-variata sunt, femora 1.ⁱ paris intus quoque sub-infuscata, tibiae, praesertim posteriores, saltem apice late infuscatae vel nigricantes, metatarsi apice et versus apicem annulo nigro muniti; annulis angustis albis e pube formatis,

saltem in tibiis et metatarsis binis, praediti sunt pedes, et supra in femoribus paullo albo-pubescentes quoque, praeterea vero squamulis tenuibus sub-cupreis vestiti. Pili illi densi subter in tibiis 1.ⁱ et 4.ⁱ parium nigri sunt, ut aculei. *Abdomen* in fundo nigricanti-fuscum videtur; supra pube vel squamulis densis fusco-cupreis et aeneis saltem ad maximam partem tectum est maculisque parvis nigris sparsum (?); in utroque latere, superius, fasciam longitudinalem latam inaequalem, e pube densa formatam habet, quae anterius alba est, posterius fusco-alba. Latera inferius, cum ventre utrinque, nigra sunt, paullo cupreo-squamulosa; secundum medium venter albicanti-pilosus et cupreo-albicanti-squamulosus est. *Mamillae* nigrae.

Lg. corp. 7; lg. cephaloth. paullo plus 3 $^1/_3$, lat. ej. (frontis) 2 $^1/_2$; lg. abd. 4; lat. ej. 2 millim. Ped. I 10, II 8 $^1/_2$, III paene 8, IV 11 $^1/_2$ millim. longi; pat. + tib. I 3 $^1/_2$, pat. + tib. III 2 $^5/_6$, pat. + tib. IV 3 $^1/_2$; metat. + tars. I paene 3 $^1/_2$, metat. + tars. IV 4 $^1/_2$ millim.

Feminam singulam satis detritam vidi, a Cel. Beccari ad Sungei Bulu Sumatrae captam.

306. **G.** (?) **bimaculata**, n., *cephalothorace in fundo piceo-fusco, oculis* 4 *posterioribus macula nigra intus limitatis; linea oculos anticos supra tangenti paullo deorsum curvata, oculis* 2.ᵃᵉ *seriei multo longius ab oculis posticis quam a lateralibus anticis remotis; pedibus in fundo sub-fuscis, paullo pallido-annulatis, tarsis testaceis; abdomine in fundo sub-fusco, ventre postice maculis duabus sat magnis flaventibus ornato; tibiis supra aculeis carentibus; tibiis* 1.ⁱ *paris subter* 2. 2. 2., *antice et postice* 1. 1. *aculeis munitis, metatarsis anterioribus modo* 2. 2. *aculeis, subter sitis; vulva ex impressione magna inverse sub-ovata constanti, quae anterius costa humiliore, posterius alia costa altiori limitatur et septo humili angusto persecta est.* — ♀ ad. *Long. circa* 9 $^1/_2$ *millim.*

Femina. — *Cephalothorax*, altus et dimidio longior quam latior, tibia cum patella 4.ⁱ paris paullo longior est, tibiam cum patella 1.ⁱ paris longitudine saltem aequans; desuper visus lateribus paene rectis a medio paene usque ad oculos laterales anticos

sensim modo paullulo angustior evadit, praeterea lateribus modice rotundatis posteriora versus fortius angustatus est; frons sat leviter rotundata. A latere visum dorsum ipsum ante oculos posticos (qui non parum pone medium ejus locum tenent) sat fortiter proclive et rectum, vix convexum, est, pone eos lenius declive et primum rectum vel potius paullulo concavatum, dein convexum et in declivitatem posticam satis abrupte transiens; quae declivitas valde praerupta est, parum convexa, paene recta et dorso ipso non multo (saltem non dimidio) brevior. In medio inter oculos posticos impressio magna sub-triangula conspicitur, et in ea sulcus brevis, diametrum oculi postici longitudine vix vel non aequans. Arcus supra-ciliares horum oculorum satis obsoleti. Clypei altitudo $^1/_3$ diametri oculi maximi vix vel non aequat. Quadrangulus *oculorum* plus $^2/_5$ longitudinis cephalothoracis occupat; paullo latior est antice quam postice, fere $^1/_4$ latior quam longior, et postice parum (non diametro singuli oculi) angustior quam cephalothorax eodem loco. Oculi medii antici, valde magni et inter se contingentes, lateralibus anticis paene triplo majores sunt et spatiis modo minutis ab iis remoti; linea oculos anticos supra tangens paullo deorsum curvata est; linea recta per centra mediorum horum oculorum ducta laterales anticos paullo supra marginem inferiorem secat. Oculi 2.ae seriei, non solito majores (posticis oculis circa 5.plo minores), paene duplo longius ab oculis posticis quam a lateralibus anticis distant. Oculi postici laterales anticos magnitudine saltem aequant, plus diametro sua altius quam ii locati; paullo longius a margine cephalothoracis quam inter se remoti sunt. *Sternum* ovatum, coxis non parum latius.

Mandibulae deorsum et paullo anteriora versus directae, cylindrato-ovatae fere, duplo longiores quam latiores, femora 1.i paris latitudine aequantes, supra ad basin fortiter geniculato-convexae et hic extus fortiter impressae, ita ut latus mandibulae exterius ad basin sinuatum evadat, tuberculo oblongo basali munitum; dorsum mandibulae praeterea paene rectum, laeve et nitidum est. Sulcus unguicularis longus antice ciliatus est et dentibus 4 armatus, quorum duo magni sunt, reliqui duo, intus siti, parvi; postice quoque 4 dentibus mediocribus densioribus est instructus.

Maxillae longiores, non parum divaricantes, labio saltem duplo longiores; intus, apud labium, sub-excavatae sunt, apice intus oblique truncato, praeterea rotundato; *labium* paullo longius quam latius, in lateribus leviter rotundatum, apice late truncatum. *Palpi* sat longi et graciles; pars patellaris paene duplo et dimidio longior est quam latior, pars tibialis triplo longior quam latior, pars tarsalis etiam longior. *Pedes* sat longi et graciles, metatarsis tarsisque posterioribus praesertim gracilibus. Pedes 1.[i] paris reliquis parum robustiores sunt, tibiae 4.[i] paris apicem versus paullo incrassatae; basis metatarsorum hujus (4.[i]) paris apice tibiae fere duplo angustior est. Tibiae omnes patellà multo (circa duplo) longiores sunt. Aculeis sat crebris (in exemplis nostris ad maximam partem detritis) armati sunt pedes. Femora aculeis 7 - 8 praeditae fuisse videntur, patellae utrinque aculeum habent; tibiae tum 1.[i] quum 2.[i] paris subter 2. 2. 2., antice et postice 1. 1. aculeis armati sunt: supra in tibiis nullum aculeorum vestigium video. Metatarsi anteriores modo 2. 2. aculeos longos subter sitos habent; metatarsi posteriores ad basin, medium et apicem aculeati sunt. *Abdomen* fere duplo longius quam latius, paene ellipticum, punctis 4 impressis anterius in dorso munitum. *Vulva* ex area magna oblonga impressa paene inverse ovata, cornea, ferruginea (apice antico rotundato nigro) constat, quae anterius angustior est et ibi costa minus elevata fortiter recurva definitur, postice et in lateribus posterius vero costa alia multo altiori limitatur; per totam longitudinem costa tenui recta in duas est divisa, quae cum costa illa posteriore quasi anchoram format. *Mamillae* longae: art. 2.[s] superiorum parvus quidem sed aeque longus ac latus.

Color. — *Cephalothorax* in fundo piceo-fuscus, utrinque macula nigra ad oculos posticos intus, aliaque intus apud oculos laterales anteriores sita, notatus; verisimiliter pube cinereo-ferruginea saltem ad partem vestitus fuit, cujus vestigia in vicinitate oculorum et versus margines partis thoracicae video; clypeus albicanti-pilosus est, annuli circum oculos medios anticos albicantes, ad partem sub-rufescentes. *Sternum* cinereo-albicanti-pilosum cum *maxillis* et *labio* sub-piceum. *Mandibulae* ferrugineo-piceae, saltem intus

versus basin crasse albicanti-pilosae. *Palpi* ferrugineo-picei, apice nigricantes, fusco-pilosi, parte tarsali pilis longis densis magis patentibus subter, praesertim magis intus, vestita; saltem hic illic supra palpi pube sub-ferruginea et albicanti vestiti et variati sunt. *Pedes* in fundo sub-fusci, annulis parum distinctis clarioribus, tarsis sub-testaceis; hic illic vestigia pilositatis nigrae et pubescentiae albicantis et sub-ferrugineae ostendunt. *Abdomen* in fundo sub-fuscum vel testaceo-nigricans est; in nostris exemplis supra plane est detritum; venter vero paullo clarior vestigia pubescentiae vel squamularum albicantium et ferruginearum ostendit, praeterea maculis duabus sat magnis flaventibus e pube densa formatis ornatus, quae non multo ante mamillas, versus latera abdominis, sitae sunt. *Mamillae* sub-fuscae.

Lg. corp. 9 $^1/_2$; lg. cephaloth. 4 $^1/_2$, lat. ej. 3, lat. front. paene 3; lg. abd. paullo plus 5, lat. ej. 2 $^3/_4$ millim. Ped. I paullo plus 11, II 10, III 8 $^1/_2$, IV? (sine tarso 11 $^3/_4$), millim. longi; pat. + tib. I 4 $^1/_3$ (tib. 2 $^3/_4$), pat. + tib. III paene 3 $^1/_4$, pat. + tib. IV 4 $^1/_5$ (tib. paullo plus 3), metat. IV 3 $^1/_2$ millim.

Feminas duas (adultam et juniorem) valde mutilatas et detritas hujus speciei, quae maculis duabus flaventibus ventris facile internosci potest, ad Sarawak in Borneo a Doria et Beccari captas vidi. — Cunctanter gen. *Gelotiae* hanc araneam subjicio: differt a forma typica hujus generis oculis 2.^{ae} seriei multo longius ab oculis posticis quam a lateralibus anticis remotis, et defectu aculeorum supra in tibiis, qua nota et a *Lino* et a *Cocalo* differt quoque. Linea oculos 4 anticos supra tangens in *G.* (?) *bimaculata* evidenter deorsum curvata est, ut in plerisque formis gen. *Cocali*, a quo genere *G.* (?) *bimaculata* non tantum cephalothorace minus alto, verum etiam oculis 2.^{ae} seriei non solito majoribus differt, a *Lino* cephalothorace longiore et humiliore, cet., discrepans. Utrum pedes « fimbriatos » habeat haec species, necne, ex exemplis nostris detritis videri non potest. Nescio an melius proprio generi, quod *Policha* (1) appellari posset, adscribenda sit.

(1) *Polĭchus* est nom. propr. mythol.

Gen. **Linus**, Peckh., 1885.

307. **L. fimbriatus** (Dol.).

Syn.: 1859. *Salticus fimbriatus*, Dol., Tweede Bijdr., *cet.*, loc. cit., p. 22, Tab. V, fig. 8-8.b
1878. *Sinis fimbriatus*, Thor., Studi, *cet.*, II, Ragni di Amboina, loc. cit., pp. 270 et 310.
1881. » » id., ibid., III, Ragni dell'Austro-Malesia, *cet.*, loc. cit., p. 499.

Feminas duas adultas hujus speciei ad Sungei Bulu Sumatrae cepit Cel. Beccari. Ceterum et in Austro-malesia (ins. Amboina, Sorong et Yule) et in Nova Hollandia inventa est haec aranea. — Exempla ex Sumatra cephalothoracem vix vel parum longiorem quam tibiam cum patella 4.i paris habent; vestigia fasciculorum pilorum ejusmodi atque in abdomine etiam in cephalothorace ostendunt.

Mas ex Boven Rawas Sumatrae, quem *Sinim fimbriatum* (Dol.) appellavit Cel. Van Hasselt (1), et cujus palpum delineavit, ad aliam speciem (quae *Linus* (?) *dentipalpis* vocari potest) haud dubie est referendus, quum figura palpi ejus valde a palpo veri *L.* (*S.*) *fimbriati* differat: conf. descriptionem hujus, quam loc. cit., II, p. 271 dedimus.

Loco *Sinis*, Thor., 1878, quod nomen jamdudum in aliis bestiolis usurpatum erat (*Sinis*, Heer, 1862 [Coleopt.]), *Linus* hoc genus a Cel. Peckham (2) appellatum fuit.

Gen. **Cocalus** (C. L. Koch), 1846.

308. **C. salax**, Thor.

Syn.: 1877. *Cocalus salax*, Thor., Studi, *cet.*, I, Ragni di Selebes, loc. cit., p. 594 (252).

Species ad Kandari, in Celebes, inventa.

(1) Midden Sumatra, *cet.*, Aran., p. 50, Pl. V, fig. 16.
(2) G. W. et E. G. Peckham, On the Genera of the Family Attidae, *in* Proceed. of the Wisconsin Acad. of Science, Arts and Letters, 1885, p. 264.

309. **C. ramipalpis**, n., *cephalothorace in fundo sub-fusco vel -testaceo, oculis utriusque lateris in fascia vel macula oblonga nigra positis; clypeo in mare cum basi mandibularum et palpis intus pube densa alba tecto; pedibus sub-testaceis, parum distincte nigricanti-annulatis, tibiis anterioribus supra aculeis* 1. 1., *posterioribus tibiis supra* 1 *aculeo, tibiis anterioribus praeterea subter* 2. 2. 2., *antice et postice* 1. 1. *aculeis munitis; metatarsis anterioribus subter* 2. 2. 2., *antice et postice* 1. 1. 1. *aculeis armatis; abdomine in fundo cinerascenti-testaceo; latere exteriore partis tibialis palporum in mare in procursum longissimum deorsum curvatum producto, qui ipso apice spina longa gracili continuatur et praeterea ibidem spinula instructus est, apice partis tibialis subter in procursum fortem sursum curvatum producto; vulva ex area elevata transversa constanti, quae sulco medio longitudinali sub-bipartita est.* — ♂ ♀ ad. *Long.* ♂ *circa* 5, ♀ *circa* 7 $^1/_2$ *millim.*

Mas. — *Cephalothorax* circiter $^1/_4$ longior quam latior, patellam + tibiam + $^1/_4$ metatarsi 4.ⁱ paris longitudine aequans, antice levissime rotundatus, lateribus pone oculos seriei 2.ᵆ, praesertim posterius, sat fortiter (in medio tamen levius) rotundatis, lateribus spatio brevissimo ante oculos illos paene parallelis; postice anguste rotundato-truncatus est cephalothorax. Altissimus est, dorso ipso a latere viso ante oculos posticos (qui non parum pone medium ejus et plus diametro sua altius quam oculi laterales antici locum tenent) valde proclivi, praesertim ante oculos 2.ᵆ seriei, paulloque convexo, praesertim pone hos oculos; pone oculos posticos dorsum ipsum sat fortiter declive est et convexum, in declivitatem posticam valde praeruptam, longam (dimidio reliqui dorsi longiorem) et paene rectam sensim transiens. Arcus supra-ciliares oculorum posticorum obsoleti; apud oculos 2.ᵆ seriei intus, magis postice, elevatio humillima conspicitur; sulcus ordinarius, in impressione magna sed levi inter oculos posticos initium capiens, longus est, diametro oculi postici fere duplo longior. Altitudo clypei, pilis longis densis vestiti, $^1/_4$ diametri oculi maximi superare visa est. *Oculi* antici inter se contingentes, medii praesertim valde magni et prominentes, et lateralibus triplo majores; linea margines superiores oculorum anticorum

tangens recta vel potius paullo deorsum curvata est. Quadrangulus oculorum saltem $^{2}/_{5}$ longitudinis cephalothoracis occupat; rectangulus est, saltem non latior postice quam antice, vix $^{1}/_{4}$ latior quam longior, et vix vel non dupla oculi postici diametro angustior postice quam cephalothorax eodem loco. Oculi 2.^{ae} seriei, qui ut in reliquis hujus generis formis magni sunt, oculis posticis circa triplo sunt minores, et non parum longius ab his oculis quam ab oculis lateralibus anticis remoti; spatium, quo inter se distant, non parum minus est quam spatium, quo distant oculi postici inter se. Oculi postici anticos laterales paene aequare videntur; spatium, quo inter se distant, minus est quam spatium, quo a margine cephalothoracis sunt remoti. *Sternum* circa duplo longius quam latius, sub-ellipticum, coxis paullo latius; spatium inter coxas 1.^{i} paris labii latitudinem vix aequat.

Mandibulae parvae, directae, parallelae, cylindratae, patellas 1.^{i} paris longitudine et latitudine vix aequantes, duplo longiores quam latiores, ungui sat brevi. *Maxillae* mediocres, paullo divaricantes, apice rotundatae, labio duplo longiores; *labium* parum longius quam latius, apice rotundato-truncato. *Palpi* sat breves, fortes, clava femora 1.^{i} paris latitudine paullo superanti. Pars patellaris, vix longior quam latior, apice supra in procursum porrectum brevem sat crassum sub-conicum glabrum est producta; pars tibialis forma mirabili est, parte patellari vix longior sed multo latior, transversim sub-ovata: latus ejus exterius in procursum valde longum, fortem, apice subter valde oblique truncatum, basi foras, dein vero deorsum et paullo anteriora versus directum paulloque curvatum est productum, qui ipso apice in spinam longam gracilem paene eodem modo directam (sed basi angulum obtusissimum cum ipso procursu formantem) et curvatam excurrit, hac spina ipsa basi intus spinula minuta gracili armata, quae spinula ea quoque in ipso apice procursus sita dici potest, cum spina illa rectos angulos paene formans; apice subter pars tibialis in procursum fortem sursum curvatum producta est. Pars tarsalis magna, sub-ovata, basi oblique truncata, apice sub-acuminata; bulbus subter sub-planus, simplicissimus. *Pedes* mediocres, formâ ordinariâ, apicem versus sensim angustati, 1.^{i}

paris reliquis breviores; tibiae anteriores patellâ circa dimidio longiores sunt, tibiae 4.ⁱ paris patellâ plus duplo longiores. Aculeis multis longis (in metatarsis 1.ⁱ paris praesertim longis et paullo magis patentibus) armati sunt pedes: femora 6 - 7 aculeos habent, patellae omnes binos aculeos; tibiae posteriores etiam supra aculeo munitae sunt. Tibiae anteriores subter 2. 2. 2., antice, postice et supra 1. 1. aculeis sunt armatae, metatarsi anteriores subter 2. 2. 2., antice et postice 1. 1. 1. Metatarsi posteriores versus basin, medium et apicem aculeati. *Abdomen* angustius sub-ovatum. *Mamillae* longae, superiorum art. 1.ˢ cylindratus et saltem triplo longior quam latior, art. 2.ˢ sub-conicus, saltem dimidio longior quam latior; mamillae inferiores superioribus parum breviores sed paullo crassiores, conico-cylindratae, art. 2.º brevissimo.

Color. — *Cephalothorax* (in exemplo plane detrito) testaceo-fuscus vel nigricans est, parte thoracica secundum medium pallidiore et vestigiis fasciae (seriei macularum?) supra-marginalis pallidioris utrinque munitum; oculi utriusque lateris in plaga oblonga nigra positi sunt. Clypeus saltem utrinque cum genis et basi *mandibularum* fusco-testacearum pube longa densa alba tectus est, annuli angusti circum oculos medios anticos albi quoque. *Palpi* basi late testacei et saltem intus in partibus femorali, patellari et tibiali pube longiore densa alba vestiti; partes tibialis et tarsalis sub-fuscae vel -testaceae, in marginibus (cum procursibus illius) nigris. *Pedes* pallide fusco-testacei, femoribus 1.ⁱ paris apice nigricantibus, tibiis et metatarsis hujus paris paullo infuscatis; saltem in pedibus posterioribus metatarsi vestigia annulorum ternorum obscuriorum ostendunt. Pube alba vel albicanti verisimiliter vestiti fuerunt pedes; aculei nigri sunt. *Abdomen* cum mamillis in fundo cinerascenti-testaceum, vestigiis pubescentiae pallidae in dorso; venter albido-pubescens est.

FEMINA ad formam a mare his rebus differt: paullo major est, dorso ipso cephalothoracis a latere visi ante oculos posticos valde proclivi non convexo, sed recto, pone hos oculos minus declivi et paene recto quoque; clypei altitudo non $^1/_4$ diametri oculi maximi aequat. *Mandibulae* majores quam in mare, pa-

tellis 1.ⁱ paris non parum crassiores, duplo longiores quam latiores, in dorso ad longitudinem modice convexae, pilis sparsae. *Palpi* longi et sat graciles; pars patellaris duplo, pars tibialis paene triplo longior est quam latior, pars tarsalis etiam longior, cylindrata, apice obtusa. Metatarsus cum tarso 4.ⁱ paris tibiam cum patella ejusdem paris longitudine aequat, non superat; aculei metatarsorum non magis quam reliqui patentes videntur. *Abdomen* nescio an brevius et inverse ovatum fuerit. *Vulva* ex area elevata sat magna nitida nigra constat, quae circa duplo latior est quam longior, sulco medio longitudinali sub-bipartita, in medio antice sub-emarginata, postice late truncata.

Color fundi ut in mare fere est, parte thoracica tamen pallidiore, sub-testacea; in clypeo et circum oculos anticos saltem inferius vestigia pubescentiae flavo-albicantis adsunt, et etiam inter oculos utriusque lateris vestigia pubescentiae pallidae video. *Mandibulae* testaceae sunt, pilis pallidis sparsae; *palpi* testacei, apicem versus paullo saturatius colorati; albicanti-pubescentes sunt et, ut pedes, aculeis pallide fuscis armati. *Pedes* sub-testacei quoque, eodem modo atque in mare sub-annulati. *Abdomen* in fundo cinerascenti-testaceum, vestigiis pubescentiae pallide fuscae et albicantis in dorso et in lateribus; venter pallido-pubescens. *Mamillae* testaceo-fuscae.

♂. — Lg. corp. 5; lg. cephaloth. 2 $^1/_2$, lat. ej. 1 $^5/_6$, lat. front. circa 1 $^1/_2$; lg. abd. 2 $^1/_2$, lat. ej. 1 $^1/_2$ millim. Ped. I 5, II 5, III 5 $^1/_2$, IV 7 millim. longi; pat. + tib. I 1 $^3/_4$, pat. + tib. III 1 $^5/_6$, pat. + tib. IV 2 $^1/_5$, metat. + tars. IV 2 $^1/_2$ millim.

♀. — Lg. corp. 7 $^1/_2$; lg. cephaloth. 3 $^1/_2$, lat. ej. paene 2 $^1/_2$, lat. front. 2; lg. abd. 4, lat. ej. circa 2 $^1/_2$ millim. Ped. I 7, II 7, III 7 $^1/_2$, IV 10 $^1/_2$ millim. longi; pat. + tib. I 2 $^2/_3$, pat. + tib. III 2 $^1/_2$, pat. + tib. IV 3, metat. + tars. IV 3 millim.

Duo exempla plane detrita, masculum et femineum, vidi, in Sumatra a Forbes capta et a Cambridge mecum communicata. Abdomen exempli feminei non tantum detritum, verum etiam corrugatum est.

Gen. **Euophrys** (C. L. Koch), 1835.

310. **E. Giebelii**, n., *cephalothorace in fundo fusco-testaceo, area inter-oculari utrinque fascia nigra oculos utriusque lateris conjungenti notato, summo margine laterali et linea longitudinali in medio utriusque lateris nigris quoque; pedibus fusco-testaceis, paullo nigro-annulatis, patellis posterioribus aculeatis; abdomine brevi, antice in medio retuso, in fundo cinerascenti-testaceo, maculis parvis et punctis nigris antice sparso, et utrinque, ad latera dorsi, vittis transversis binis latis inaequalibus sub-obliquis nigris notato, quarum anteriores duae paullo ante medium dorsi sitae sunt et maculam nigram inter se, anterius, comprehendunt, reliquae duae versus anum locum tenent: maculis parvis nigris inter has duas vittas in seriem longitudinalem digestis.* — ♀ ad. *Long. circa* 4 *millim.*

Femina. — *Cephalothorax* $^1/_3$ longior est quam latior, patellam + tibiam + dimidium metatarsi 4.[i] paris longitudine circiter aequans; lateribus postice rotundatis sat brevi spatio posteriora versus non multo est angustatus, lateribus praeterea usque ad oculos laterales anticos parallelis et paene rectis; antice modo levissime rotundatus est, postice late truncatus. Altissimus est, dorso ipso a latere viso ante oculos posticos (qui longe pone medium dorsi ipsius locum tenent) fortiter proclivi et parum convexo, paene recto, pone eos paullo levius declivi paulluloque convexo; declivitas postica sat lenis (non praerupta) est, recta et dimidio dorsi ipsius evidenter longior. Laevis et nitidus est cephalothorax, arcubus supra-ciliaribus oculorum posticorum debilibus; in medio inter oculos posticos foveam levissimam nec magnam nec transversam ostendit, et in ea sulcum brevissimum et omnium tenuissimum. Clypei reclinati altitudo non $^1/_3$ diametri oculi maximi aequare est visus. *Oculi* sat magni; quadrangulus eorum magnus, plus $^2/_5$ sed non dimidium longitudinis cephalothoracis occupans; circa $^1/_3$ latior est quam longior, paullulo latior antice quam postice, ubi modo paullo (circiter oculi singuli postici diametro) angustior est quam cephalothorax eodem loco. Oculi medii antici, spatio minuto dis-

juncti, oculis lateralibus anticis saltem duplo majores sunt et ab iis spatiis remoti, quae $^1/_3$ diametri oculi lateralis vix aequant. Linea recta oculos medios anticos supra tangens laterales anticos paullo sub margine superiore secat. Oculi minuti 2.[ae] seriei plane in medio inter oculos posticos et oculos laterales anticos locum tenent; oculi postici, lateralibus anticis paullo minores, et paullo plus diametro sua altius quam ii locati, fere aeque longe inter se atque a margine cephalothoracis remoti videntur. *Sternum* non multo longius quam latius, coxis multo latius, antice late emarginato-truncatum: spatium inter coxas 1.[i] paris maxillarum et labii latitudinem aequare videtur.

Mandibulae parallelae, paullo reclinatae, faciei altitudinem longitudine vix vel parum superantes, paene duplo longiores quam latiores, tibiis anticis paullo crassiores; fere ovato-cylindratae sunt, in dorso ad longitudinem modo leviter convexae, laeves, nitidae. *Maxillae* parallelae, breves, apice late rotundato-truncatae, labio paene duplo longiores; *labium* parum longius quam latius est visum. *Palpi* mediocres; pars patellaris circa $^1/_3$ longior est quam latior, pars tibialis eà paullulo longior, dimidio longior quam latior, pars tarsalis etiam paullo longior, duplo longior quam latior, sub-acuminata. *Pedes* breves, ut videtur ita: IV, III, I, II, longitudine se excipientes; sat robusti sunt, anteriores posterioribus parum fortiores. Tibiae anteriores patellà parum longiores sunt, tibia 4.[i] paris patellà fere dimidio longior; metatarsus 1.[i] paris tarso paullo (non dimidio) longior est. Tibia cum patella 4.[i] paris evidenter longior est quam tibia cum patella 3.[ii] paris; metatarsus cum tarso 4.[i] paris tibiam cum patella longitudine aequare videtur. Femora supra 3. 1. 1. aculeos habent, patellae saltem posteriores aculeum utrinque. Tibiae anteriores subter 2. 2. 2. aculeis munitae sunt et postice (utrinque?) 1. 1. aculeis; metatarsi anteriores subter 2. 2. aculeis longis sunt armati et, ut videtur, postice (num antice quoque?) 1. 1. aculeis. Metatarsi 4.[i] paris non tantum apice aculeati sunt. *Abdomen*, parum longius quam latius, in lateribus praesertim posterius fortiter rotundatum est, antice sat late truncatum et in medio paullo emarginatum vel retusum, postice

brevissime sub-acuminatum. *Vulva* ex area sat magna oblonga pallide fusca (utrinque anterius obscure fusca) constat, quae anteriora versus sensim est angustata, postice late et levissime rotundata: ad angulos posticos maculam parvam obscuriorem ostendit, et paullo ante has maculas alias duas maculas (foveolas?) etiam minores paullo obliquas nigras, cum iis trapezium breve et antice multo angustius quam postice formantes. *Mamillae* sat longae videntur.

Color. — *Cephalothorax* in fundo fusco-testaceus, area interoculari sub-infuscata et utrinque fascia inaequali longitudinali nigra, oculos utriusque lateris conjungenti, notata, summo margine laterali nigro quoque; fere in medio laterum linea longitudinalis nigricans postice abbreviata conspicitur, quae lineae postice, in declivitate postica, inter se appropinquant; sulcus ordinarius centralis et stria parva pone eum nigricantes quoque. Pilis longioribus sub-erectis nigris anterius sparsus est cephalothorax; vestigia pubescentiae testaceo-albicantis hic illic ostendit. Annuli angusti circum oculos anticos testaceo-albicantes sunt; clypeus pilis longis albicantibus est sparsus. *Sternum* testaceo-fuscum. *Mandibulae* fusco-testaceae, *maxillae* et *labium* paullo obscuriora. *Palpi* pallidius fusco-testacei. *Pedes* fusco-testacei, paullo nigro-annulati: femora posteriora basi supra nigricantia sunt, patellae, tibiae et metatarsi (hi praesertim evidenter) apice anguste nigri. *Abdomen* in fundo cinerascenti-testaceum, nigro-maculatum: ad basin, supra, punctis et maculis parvis nigris sparsum est; dein, paullo ante medium, ad latera, duas maculas vel vittas transversas breves latas inaequales paulloque obliquas nigras ostendit dorsum, et in medio inter eas, anterius, maculam minorem inaequalem nigram; etiam postice, versus anum utrinque, vittam lateralem transversam inaequalem (quasi e lineis confusam) nigram habet, et inter has vittas puncta pauca nigra in seriem longitudinalem ordinata. Latera abdominis nigro-striata et -punctata sunt; venter postice paullo nigricanti-maculatus est visus. Pube testaceo-albicanti ad magnam partem vestitum fuisse videtur abdomen. *Mamillae* cinereo-testaceae.

Lg. corp. 4; lg. cephaloth. 2, lat. ej. (front.) 1 $^1/_2$; lg. abd. 2, lat. ej. paene 2 millim. Ped. I circa 3 (pat. + tib. paullo plus 1, metat. + tars. paene 1), II paene 3, III circa 3 $^3/_4$, IV paene 4 millim. longi; pat. + tib. III 1 $^1/_6$, pat. + tib. IV 1 $^1/_4$, metat. + tars. IV 1 $^1/_4$ millim.

Exemplum singulum detritum a me visum ad Tcibodas in ins. Java cepit Beccari.

Gen. **Orcevia** (1), n.

Cephalothorax non parum longior quam latior, lateribus in medio, paene usque ad oculos 2.ae seriei, parallelis et rectis vel parum rotundatis, dein anteriora versus sensim angustatus; minus altus est, dorso ipso sat longo, sub-depresso; altitudo clypei vix vel non $^1/_4$ diametri oculi maximi aequat.

Quadrangulus oculorum, $^1/_3$–$^2/_5$ longitudinis cephalothoracis occupans, circa $^1/_3$ latior est quam longior, et paullo latior antice quam postice, ubi non parum (circa dupla diametro oculi postici) angustior est quam cephalothorax eodem loco. Series oculorum anticorum sat leviter sursum est curvata; oculi parvi 2.ae seriei fere in medio (vel paullulo pone medium) inter oculos posticos et laterales anticos locum tenent. Oculi postici, lateralibus anticis paullo minores et vix diametro sua altius quam ii positi, saltem aeque longe inter se atque a margine cephalothoracis remoti sunt.

Sternum coxis latius; spatium inter coxas 1.i paris labii latitudinem superat.

Mandibulae reclinatae vel directae, parallelae.

Maxillae parallelae, breviores, apice rotundatae, labio circa duplo longiores.

Labium non vel parum longius quam latius, apice truncatum.

Palpi feminae breves, parte tarsali intus pilis densis crassis patentibus vestita.

(1) *Orcevia* est nom. propr. latinum.

Pedes, breves, ita: I, IV, II, III, vel IV, I, II, III (III, II), longitudine se excipiunt; sat robusti sunt, anteriores (vel saltem 1.[i] paris) posterioribus paullo robustiores. Tibiae sex anteriores (excepto 1.[i] paris in ♂) patellâ vix vel non longiores sunt; tibia cum patella 4.[i] paris longior est quam tibia cum patella 3.[ii] paris: metatarsus cum tarso 4.[i] paris brevior quam tibia cum patella ejusdem paris. Metatarsi 4.[i] paris praeter apice non vel parum aculeati sunt.

Abdomen ovatum vel inverse ovatum, non multo depressum. Mamillae mediocres.

Typus: *O. Keyserlingii*, n.

Species duae, quas huic generi adscribo, formis gen. *Menemeri* (Sim.), nob., et *Lauharullae*, Keys., valde affines sunt: differunt ab iis structura cephalothoracis, qui, excepto (postice et) brevi spatio antice, latera parallela habet, ita praesertim in *O. eucola*, cujus cephalothorax fere eâdem est formâ atque in *Marptusis* illis, quas sup., p. 305, *Thianiam* appellandas dixi, et in gen. *Nicylla*, n. (vid. infra); quae species tamen cephalothoracem multo humiliorem habent. Figura *Erganis cognatae*, Keys., (Die Arachn. Austral., Tab. CXVIII, fig. 3) magnam similitudinem quoad formam cephalothoracis cum *Orceviis* nostris prae se fert.

311. **O. Keyserlingii**, n., *cephalothorace in fundo piceo, crasse luteo-pubescenti; mandibulis nigro-piceis, plus minus aeneo-micantibus, palpis testaceo-fuscis, in ♀ apice nigro-piceis; pedibus testaceo-fuscis, nigro-annulatis,* 1. *paris ad maximam partem* (*apice*) *piceis, in mare sat longis, in femina brevissimis, metatarsis* 4.[i] *paris modo apice aculeatis; abdomine ovato-elliptico, supra nigricanti et luteo-pubescenti; palpis maris brevibus, deflexis, parte tibiali transversa et apice extus in spinam valde longam deorsum et anteriora versus curvatam exeunti, parte tarsali in femina anguste triangula; vulva ex maculis duabus rotundatis parvis fuscis, spatio earum diametrum saltem aequanti disjunctis constanti.* — ♂ ♀ ad. *Long.* ♂ *circa* 4 $^{1}/_{5}$, ♀ 3 $^{3}/_{4}$–5 $^{1}/_{2}$ *millim.*

Mas. — *Cephalothorax* saltem $^{1}/_{3}$ longior quam latior, parum longior quam tibia cum patella 1.[i] paris, patellam + tibiam +

$^{2}/_{3}$ metatarsi 4.^i paris longitudine circiter aequans, lateribus in medio parum rotundatis et paene parallelis, anterius vero, saltem ante oculos 2.^ae seriei, anteriora versus sensim paullo angustatus, posterius lateribus sat leviter rotundatis posteriora versus sensim sat fortiter angustatus, antice levissime rotundatus, postice rotundato-truncatus. Minus altus est cephalothorax, dorso ipso supra paene plano, a latere viso longo et ante oculos posticos — qui in vel potius paullo ante medium ejus locum tenent — modo leviter proclivi et paullo convexo, pone eos antice librato et recto, postice vero convexo paulloque declive et in declivitatem posticam valde praeruptam, rectam et dimidio ipsius dorsi non multo longiorem abrupte transeunti. Arcus supra-ciliares oculorum posticorum humillimi, elevationes ordinariae inter oculos anteriores utriusque lateris, intus, sitae vix ullae; impressio media paullo pone oculos posticos parva, sulco medio brevi, diametrum oculi postici longitudine vix aequanti. Clypeus reclinatus, humilis, altitudine vix $^{1}/_{4}$ diametri oculi maximi superans *Oculi* magni; antici omnes sub-contingentes inter se, medii eorum lateralibus circa duplo majores; linea recta medios supra tangens laterales paullo sub margine superiore secat. Quadrangulus oculorum circa $^{2}/_{5}$ longitudinis cephalothoracis occupat; circiter $^{1}/_{3}$ latior est quam longior, paullo latior antice quam postice, ubi paene dupla oculi postici diametro angustior est quam cephalothorax eodem loco. Oculi parvi 2.^ae seriei paullo longius a lateralibus anticis quam a posticis oculis locum tenent; oculi postici, lateralibus anticis paullo minores et paene diametro sua altius quam ii positi, spatio vix vel parum majore inter se quam a margine cephalothoracis distant. *Sternum* inverse ovatum; spatium inter coxas 1.^i paris labii latitudinem saltem aequat.

Mandibulae directae, parallelae, sat parvae, paene duplo longiores quam latiores, ovato-cylindratae, apice truncatae, dorso versus basin ad longitudinem leviter convexo, praeterea recto, transversim convexo et striato; unguis brevis. *Maxillae* paene parallelae, breviores, fere duplo longiores quam latiores, labio duplo longiores, apice intus et extus truncato-rotundatae; *labium* vix longius quam latius, apicem truncatum versus sensim an-

gustatum. *Palpi* brevissimi, clava sat parva, tibiam 1.^{i} paris latitudine vix superanti. Pars femoralis compressa, sat lata, brevis (non triplo longior quam latior), deorsum curvata, vel subter ad recipiendum bulbum emarginata; pars patellaris vix vel parum longior est quam latior, pars tibialis eâ saltem dimidio brevior, transversa, paullo obliqua, latere exteriore in spinam longissimam (latitudine partis tibialis saltem duplo longiorem) sed non fortem producto, quae spina, anteriora versus, deorsum et foras directa, inaequaliter (fere bis) deorsum curvatur, apice ipso dilatato et oblique truncato, vel potius subter (intus) in triangulum parvum dilatato. Pars tarsalis prioribus duabus conjunctim non parum longior et latior est, sub-ovata, a basi rotundata apicem versus sat fortiter angustata; bulbus magnus et postice valde altus, antice excavatus, hac excavatione spina longiore nigra curvata vel sub-tortuosa postice et extus cincta. *Pedes* breves, sat graciles, 1.^{i} paris tamen longi et reliquis paullo robustiores; femora hujus paris, ut 2.^{i}, compressa et sat lata sunt; tibia 1.^{i} paris cylindrata, circa 4.plo longior quam latior, metatarsus basi tibiâ paullo angustior, apicem versus sensim paullulo angustatus, tarso duplo longior, cum tarso tibiâ paullulo longior. Tibiae 1.^{i} et 4.^{i} parium patellâ paene dimidio, reliquae tibiae patellâ parum sunt longiores. Patellae posteriores aculeum postice habent. Tibiae supra aculeis carent: tibiae 1.^{i} paris saltem subter 2. 2. 2. aculeis gracilibus munitae sunt, metatarsi anteriores saltem 2. 2. subter; in pedibus 2.^{i} paris tibiae praeterea saltem aculeum antice, metatarsi praeterea antice et postice 1. 1. aculeos habent. Metatarsi 3.^{ii} paris, non vero 4.^{i}, etiam versus basin, non tantum apice, aculeati sunt. *Abdomen* ovato-ellipticum, plus dimidio longius quam latius.

Color. — *Cephalothorax* piceus, pube crassa lutea sat densa vestitus, etiam in clypeo et circum oculos anticos luteo-pubescens. *Sternum* testaceo-fuscum. *Mandibulae* nigro-piceae. *Maxillae* et *labium* piceo-ferruginea. *Palpi* fusco-testacei. *Pedes* fusco-testacei quoque, nigro-annulati, nigro-pilosi et saltem hic illic luteo-pubescentes: pedes 1.^{i} paris tamen nigro-picei sunt, basi late testaceo-fusci, patellis quoque paullo pallidioribus, femoribus

apicem versus late nigricantibus; in pedibus 2.[i] paris femora apice latissime (praesertim postice) nigricantia sunt, tibiae basi excepta nigro-picei, metatarsi et tarsi piceo-fusci; in pedibus posterioribus femora magis apicem versus latissime nigricantia sunt, tibiae et metatarsi apice nigricantes. *Abdomen* supra in fundo fuscum, pube sat densa crassa luteo-flava vestitum; venter pallidior. *Mamillae* testaceae.

Femina. — *Cephalothorax*, paene dimidio longior quam latior, patellam + tibiam + metatarsum 1.[i] paris, et patellam + tibiam + $^2/_3$ metatarsi 4.[i] paris longitudine circiter aequat; ad formam est ut in mare diximus. *Oculi* ut in eo quoque, postici oculi tamen paullulo pone medium dorsi ipsius locati. *Mandibulae* paullo crassiores quam in eo, modo dimidio longiores quam latiores, subtiliter coriaceae et, ad apicem, striatae. *Sternum*, *maxillae* et *labium* ut in mare. *Palpi* mediocres, parte patellari paene dimidio longiore quam latiore, parte tibiali eà paullo breviore, vix longiore quam latiore; pars tarsalis prioribus duabus conjunctis paullo brevior et basi paullulo angustior est, a basi ad apicem sub-acuminatum sensim angustata, et sat dense (in latere interiore densissime) pilosa. *Pedes* minus dense pilosi, anteriores brevissimi, posterioribus breviores et paullo robustiores. In pedibus 1.[i] paris tibia cylindrata est, vix plus duplo longior quam latior, et vix vel non longior quam patella; metatarsus 1.[i] paris tarso vix dimidio est longior, cum tarso tibià evidenter longior; a basi metatarsi usque ad apicem tarsi hi pedes, ut pedes 2.[i] paris, sensim angustati sunt, desuper visi. Ut in mare aculeati sunt pedes, eo excepto quod tibiae 2.[i] paris subter 2. 2. 1., antice 1. 1., metatarsi ejusdem paris subter 2. 2., antice 2. 2. aculeos modo habere visi sunt, et quod patellae etiam posteriores aculeis carent (?). Unguiculi tarsorum solito longiores videntur. *Abdomen* ovato-ellipticum. *Vulva* ex maculis duabus parvis rotundatis fuscis ante rimam genitalem sitis constat, quae spatio diametrum suam saltem aequanti disjunctae sunt.

Color. — *Cephalothorax* nigro-piceus, nigro-pilosus, crasse luteo-pubescens, annulis circum oculos anticos saltem utrinque luteis, praeterea nigris. Clypeus pilis brevioribus nigris sparsus.

Sternum testaceo-fuscum. *Mandibulae* nigro-piceae, sub-aeneo-micantes. *Maxillae* et *labium* piceo-fusca. *Palpi* testaceo-fusci, nigro-pilosi, partibus tibiali et tarsali nigro-piceis. *Pedes* testaceo-fusci, nigro-annulati, anteriores magis testaceo-picei: pedes 1.i paris tibiam, metatarsum et tarsum nigro-picea vel picea habent, et femur in medio ad magnam partem infuscatum vel nigricans; pedes 2.i paris eodem sunt colore ac pedes 1.i paris, modo paullo clariores; in pedibus posterioribus femora versus apicem vel in medio, saltem utrinque, late nigricantia sunt, et tibiae apice nigricantes. *Abdomen* nigricans, crasse sub-luteo-pubescens, ventre clariore. *Mamillae* sordide testaceae.

♂. — Lg. corp. 4 $^1/_5$; lg. cephaloth. 2 $^1/_3$, lat. ej. 1 $^3/_4$, lat. front. circa 1 $^2/_3$; lg. abd. 2 $^1/_5$, lat. ej. 1 $^1/_3$ millim. Ped. I 5, II circa 3 $^2/_3$, III paullo plus 3 $^1/_2$, IV 4 $^3/_4$ millim. longi; pat. + tib. I 2 $^1/_4$, pat. + tib. III 1 $^1/_4$, pat. + tib. IV 1 $^1/_2$; metat. + tars. IV 1 $^1/_4$ millim.

♀. — Lg. corp. 5 $^1/_2$; lg. cephaloth. 2 $^1/_2$, lat. ej. 1 $^3/_4$, lat. front. paene 1 $^3/_4$; lg. abd. paullo plus 3, lat. ej. 2 $^1/_4$ millim. Ped. I 4 $^1/_4$, II 3 $^5/_6$, III circa 3 $^5/_6$, IV 5 millim. longi; pat. + tib. I 1 $^1/_2$, pat. + tib. III 1 $^1/_4$, pat. + tib. IV paene 1 $^1/_2$; metat. + tars. IV 1 $^1/_3$ millim.

Exempla paucissima vidi hujus speciei, a Cel. Beccari in monte Singalang Sumatrae detectae.

312. **O. eucola**, n., *cephalothorace in fundo piceo (dorso pone oculos posticos transversim in formam plagae sub-lunatae paullo clariore), nigro-piloso et pube luteo-aurea crassiore munito; palpis apicem versus piceis et dense nigro-pilosis, parte tibiali modo paullo longiore quam latiore; pedibus anterioribus piceis, brevibus et, praesertim* 1.i *paris, robustis, posterioribus pedibus sub-testaceo-fuscis, piceo-sub-annulatis; metatarsis* 4.i *paris non modo apice, verum etiam versus basin aculeatis; abdomine ovato, in fundo nigro-fusco* (?), *supra pube luteo-aurea munito; vulva ex maculis duabus sub-elevatis piceis sat magnis et circulis duobus minutis impressis pallidis paullo ante eas sitis formata.* — ♀ ad. *Long. circa* 6 $^1/_2$ *millim.*

Femina. — *Cephalothorax*, qui patellam + tibiam + metatarsum 1.[i] paris, vel patellam + tibiam + dimidium metatarsum 4.[i] paris longitudine circiter aequat, vix dimidio longior quam latior est, minus altus, anterius sursum paullulo dilatatus, lateribus posterius leviter rotundatis posteriora versus breviter et sat fortiter angustatus, lateribus in medio rectis (immo paullulo concavatis) usque ad oculos seriei 2.[ae] sensim parum dilatatus, ante hos oculos lateribus rotundatis anteriora versus sat fortiter angustatus, antice leviter rotundatus, postice in medio sat late sub-truncatus. Dorsum ipsum cephalothoracis longum est, a latere visum ante oculos posticos, qui in medio ejus locum tenent, paene rectum et libratum, pone eos modo paullulo altius et paullo declive, et in declivitatem posticam ipso dorso circa dimidio breviorem, rectam et modice declivem sensim transiens. In medio paullulo pone oculos posticos foveam sat parvam ostendit cephalothorax, et in fundo ejus sulcum tenuem sat brevem; praeterea laevis est, arcubus supra-ciliaribus oculorum posticorum parum expressis. Altitudo clypei non $^1/_4$ diametri oculi maximi aequat. Quadrangulus *oculorum*, circa $^1/_3$ latior quam longior, vix $^2/_5$ longitudinis cephalothoracis occupat; paullo latior est antice quam postice, ubi saltem dupla oculi postici diametro angustior est quam cephalothorax eodem loco. Linea recta margines superiores oculorum mediorum anticorum tangens laterales anticos inter marginem superiorem et centrum secat. Oculi medii antici, inter se sub-contingentes, magnitudine mediocri sunt, lateralibus anticis parum plus duplo majores et ab iis spatiis disjuncti, quae circiter $^1/_3$ diametri oculi lateralis aequant. Oculi 2.[ae] seriei minuti plane in medio inter oculos posticos et laterales anticos locati videntur; oculi postici, lateralibus anticis evidenter minores, diametro sua altius quam ii positi sunt, et inter se spatio remoti, quod paullo majus est quam spatia, quibus a marginibus lateralibus cephalothoracis distant. *Sternum* coxis circa dimidio latius, inverse circulato-ovatum, fortius convexum (in medio tamen planum, hac area plana in nostro exemplo albicanti — num ita semper?); spatium inter coxas 1.[i] paris labii latitudinem aequat.

Mandibulae directae, parallelae, plus dimidio, paene duplo longiores quam latiores, fortes, femoribus anticis tamen angustiores, sub-cylindratae, a fronte visae in latere exteriore leviter convexo-arcuatae, apice parum oblique truncatae, versus basin sub-geniculato-convexae, praeterea in dorso modo leviter convexae, nitidae, transversim rugoso-striatae, versus basin coriaceae; unguis brevis et fortis. *Maxillae* paene parallelae, circa duplo longiores quam latiores, labio non duplo longiores, apice, praesertim extus, rotundatae; *labium* paullo longius quam latius videtur, lateribus leviter rotundatis apicem versus angustatum. *Palpi* sat breves et robusti, in partibus tibiali et tarsali dense pilosi, ita ut apicem versus paullulo incrassati videantur; pars patellaris paene dimidio longior est quam latior, pars tibialis modo paullo longior quam latior, pars tarsalis eâ saltem duplo longior, circa triplo longior quam latior, a medio ad apicem sub-obtusum lateribus levissime rotundatis sensim angustatum. *Pedes* anteriores, praesertim 1.ⁱ paris, breves et robusti, posteriores minus robusti; sat dense pilosi sunt pedes et aculeis mediocribus (in 1.ⁱ paris tibiis et metatarsis paullo majoribus) armati. In pedibus 1.ⁱ paris femora compressa et supra sat fortiter convexo-arcuata sunt, patellae tibiis non breviores sed potius paullulo longiores, tibiae sub-cylindratae et vix duplo et dimidio longiores quam latiores, metatarsi iis paullo breviores et dimidio angustiores, et sensim apicem versus paullo angustati, tarsi etiam breviores et apicem obtusum versus sensim paullo fortius angustati. Etiam in pedibus 2.ⁱ et 3.ⁱⁱ parium patellae tibiam longitudine circiter aequant; in pedibus 4.ⁱ paris tibia patellâ saltem dimidio longior est. Patellae saltem 3.ⁱⁱ paris aculeum postice ostendunt; tibiae 1.ⁱ paris modo subter 2. 2. 2. aculeos habent, et 2.ⁱ paris tibiae praeterea 1 aculeum antice; metatarsi anteriores 2. 2. aculeis subter muniti sunt. Metatarsi 4.ⁱ paris 2 aculeos apice habent, et praeterea 1 aculeum subter, magis versus basin. *Abdomen* ovatum, apice sub-acuminatum. Area *vulvae* pallide fusca duas maculas sat magnas piceas, ut videtur paullo elevatas et spatio diametro sua paullo majore disjunctas ostendit, et duos circulos minutos impressos pallidos postice nigro-marginatos paullo ante has ma-

culas sitos et spatio paullo minore separatos. *Mamillae* mediocres, superiores multo angustiores quam inferiores, art. 2.° angusto, sub-cylindrato et paene duplo longiore quam latiore.

Color. — *Cephalothorax* in fundo nigro-piceus, pilis brevibus sub-erectis nigris sat densis saltem in parte cephalica sub-hirsutus, pilisque longioribus nigris sparsus, qui antice, in et versus frontem, magis porrecti sunt, postice in cephalothorace paene erecti; pube vel pilis brevibus appressis luteis vel sub-aureis praeterea munitus est, quorum in exemplo nostro detrito remanent vestigia pauca in area inter-oculari et sub oculis lateralibus anterioribus, praesertim vero transversim in parte thoracica, quae hic in fundo paullulo pallidior videtur. Clypeus saltem in medio marginis pilis longioribus cinerascentibus praeditus est; inter oculos anticos vestigia pubescentiae luteae video. *Sternum* ferrugineo-fuscum (in medio albicans? — vid. supra). *Mandibulae* nigrae, saltem intus, magis versus basin, pilis nonnullis longioribus pallidis munitae. *Maxillae* et *labium* picea. *Palpi* basi late sub-testaceo-picei, praeterea (saltem partibus tibiali et tarsali) nigro-picei, nigro-pilosi. *Pedes* 1.[i] et 2.[i] parium picei, apice non clariores, coxis et trochanteribus testaceo-fuscis, patellis quoque basi subter paullo pallidioribus; sat dense nigro-pilosi sunt, ut pedes posteriores, qui obscure testaceo-fusci sunt, coxis, trochanteribus et basi femorum late (ita praesertim subter) fusco-testaceis, femoribus praeterea, i. e. apice, late nigro-piceis, patellis apice et tibiis utrinque (praesertim apice) piceis. Color *abdominis* in nostro exemplo detrito in fundo nigro-fuscus est; dorsum ejus pube luteo-aurea est munitum, praesertim ad basin et versus latera, posterius. Venter pallide sub-fuscus. *Mamillae* fuligineo-testaceae, apice pallide testaceae.

Lg. corp. 6 $^1/_2$; lg. cephaloth. 3, lat. ej. 2 $^1/_4$; lg. abd. 3 $^1/_2$, lat. ej. 2 $^1/_4$ millim. Ped. I circa 5, II 4 $^1/_2$, III 5, IV 7 millim. longi; pat. + tib. I 2 $^1/_4$, pat. + tib. III 1 $^4/_5$, pat. + tib. IV parum plus 2, metat. + tars. IV 2 millim.

Singulam feminam ad Ajer Mancior Sumatrae invenit Cel. Beccari. — Transitum a specie typica gen. *Orceviae* (et a gen. *Menemero*) ad partem illam gen. *Marptusae*, quam sup., p. 305

Thianiam vocandam censui, formare videtur haec species, gen. *Nicyllae*, n., (de qua vid. infra) affinis quoque. — *Plexippo hepatico*, C. L. Koch [1], ex ins. Pulo Loz, et *P. nigrifronti*, id. [2], ex ins. Bintang, sat similis videtur haec aranea.

Gen. **Plexippus** (C. L. Koch), 1846.

(= *Menemerus*, Thor., in his Stud., I—III).

Nomen genericum *Plexippus* in formis proxime sequentibus *Menemero* anteferendum esse videtur: conf. haec Stud., III, pp. 500 et 501.

313. **P. Paykullii** (Aud. *in* Sav.).

Syn.: 1827. *Attus Paykullii*, Aud., *in* Sav., Descr. de l'Égypte, 2.e Éd., XXII, p. 172, Pl. VII, fig. 22.
1881. *Menemerus* (?) *Paykullii*, Thor., Studî, *cet.*, III, Ragni dell' Austro-Malesia, *cet.*, loc. cit., p. 501 (*ubi cet. syn. videantur*).
1883. *Menemerus Paykullii*, Keys., in L. Koch, Die Arachn. Austral., p. 1461.

Praeter exempla utriusque sexus ex Java, ab amico Van Hasselt mihi data, marem et feminam a Doria et Beccari ad Sarawak in Borneo inventos et feminam ex Sumatra (« Spelunca Bua, in Padang Superiore » signatam) a Beccari captam ante oculos habeo. Secundum Cel. Simon haec species (paene cosmopolitis) in Nova Caledonia [3], in India [4] et in Arabia [5] vitam degit; Pavesi quoque exempla ex Arabia vidit, ut ex

(1) Die Arachn., XIII, p. 109, Tab. CCCCL, fig. 1171.

(2) Id., ibid., p. 110, Tab. CCCCL, fig. 1172.

(3) Simon, Matér. pour servir à une faune arachn. de la Nouvelle Calédonie, *in* Comptes-rendus de la Soc. Ent. de Belgique (1880), p. (11).

(4) Matér. pour servir à la faune arachn. de l'Asie mérid. I. Arachn. recueillis à Wagra Karoor près Gundacul, District de Bellary. II. Arachn. recueillis à Ramnad, District de Madura, *in* Bull. de la Soc. Zool. de France, X (1885), pp. (7) et (29).

(5) [Viaggio ad Assab nel Mar Rosso, *cet.*, II.] Simon, Étude sur les Arachn. de l'Yemen mérid., *in* his Annal., XVIII, p. 213 (9).

Massaua ([1]) et ex Scioa (Abyssinia) ([2]); Simon ex Graecia ([3]) et ex Hispania ([4]) eam obtinuit. De locis multissimis, ubi praeterea captus fuit *P. Paykullii*, vid. Thor., loc. cit.

314. **P. culicivorus** (Dol.).

Syn.: 1859. *Salticus culicivorus*, Dol., Tweede Bijdr., *cet.*, loc. cit., p. 14, Tab. IX, fig. 5.
1881. *Menemerus* (?) *culicivorus*, Thor., Studî, *cet.*, III, Ragni dell'Austro-Malesia, *cet.*, loc. cit., p. 508 (*ubi cet. syn. videantur*).

Cel. Beccari feminas paucas hujus araneae in Sumatra ad Kaju tanam, Ajer Mancior et Sungei Bulu cepit; Van Hasselt ([5]) exempla utriusque sexus ex Paja Kumbuh, Silago et Klumpang vidit. Praeterea in Java, Celebes et Amboina inventa est: vid. Thor., loc. sup. cit.

Mares hujus speciei et *P. Paykullii* satis inter se differunt, praesertim quoad formam palporum (conf. descriptiones nostras in his Stud. II, p. 237, et III, p. 502); feminae vero harum aranearum saepe non facile nisi formâ vulvae paullo diversà dignosci possunt. In *P. Paykullii* vulva aream nigram vix vel non longiorem quam latiorem format; in *P. culicivoro* contra area vulvae nigra multo longior et angustior est, fere duplo longior quam latior. *P. Paykullii* plerumque non parum major est quam *P. culicivorus*. In hoc quadrangulus oculorum antice evidenter paullo latior quam postice mihi quidem videtur; quod ita vix in *P. Paykullii* est.

315. **P. gausapatus**, n., *cephalothorace in fundo nigricanti, pube crassa cinereo-albicanti, intermixta rubro-fusca, tecto, in area inter-oculari pube aureo-fusca quoque vestito, et fascia longitudinali*

([1]) Pavesi, Aracnidi raccolti dal conte Bouturlin ad Assab e Massaua, *in* Bull. della Soc. Ent. Ital., XVII (1885), pp. 199 (3) e 200 (4).

([2]) Pavesi, Studi sugli Aracnidi Africani. III. Aracn. del Regno di Scioa, *in* his Annal., XX (1883), p. 87.

([3]) Études Arachn. XXIII. Matér. pour servir à la faune arachn. de la Grèce, *in* Ann. de la Soc. Ent. de France, 6.e Sér., V (1885), p. 307.

([4]) Note sur les Arachn. recueillis par M. Weyers à Aguilar, Province de Murcie, *in* Comptes-rendus de la Soc. Ent. de Belgique, 1881, p. (9).

([5]) Midden Sumatra, *cet.*, Aran., p. 48.

media pallida cinereo-albicanti-pubescenti saltem in parte thoracica notato; clypeo pilis cinereo-albis vestito; palpis et pedibus testaceo-fuscis, nigro-sub-annulatis; abdominis dorso cinerascenti, fascia media longitudinali pallida anterius angustiore, posterius lata et hic utrinque paullo bi-angulata notato, hac fascia anterius albicanti et colore cinereo-fusco geminata, tum, pone angulos, magis cinereo-fusca, et denique, apice, obscure aenea; ventre cinerascenti, nigro-punctato, lineis tribus longitudinalibus nigris (*vel interdum fascia singula lata nigra?*) *notato.* — ♀ ad. *Long. circa* 11 $^{1}/_{4}$ *millim.*

Femina. — *Cephalothorax* circa $^{1}/_{3}$ longior est quam latior, patellam + tibiam + metatarsum 1.ⁱ paris longitudine aequans, paullulo brevior quam patella + tibia + metatarsus 4.ⁱ paris; antice levissime rotundatus est, ante coxas 2.ⁱ paris lateribus modo leviter rotundatis anteriora versus sensim paullo (ante oculos 2.æ seriei fortius) angustatus, lateribus pone coxas illas fortiter rotundatis posteriora versus fortius angustatus, in medio postice truncatus. Modice altus est cephalothorax, dorso ipso a latere viso ante oculos posticos (qui in medio dorsi ipsius, et saltem diametro sua altius quam oculi laterales postici positi sunt) modice proclivi et leviter convexo, pone hos oculos leviter declivi et paene recto; declivitas postica satis praerupta, dimidium dorsi ipsius longitudine superans, recta. Clypei altitudo dimidiam oculi maximi diametrum superare videtur. Arcus supraciliares oculorum posticorum debiles; elevatio illa utrinque pone oculos laterales anticos (sive ante oculos 2.æ seriei), intus, sita humillima est. In medio inter oculos posticos late et leviter impressus est cephalothorax et hic posterius sulco brevi munitus. Quadrangulus *oculorum* plus $^{1}/_{3}$, vix vero $^{2}/_{5}$ longitudinis cephalothoracis occupat; plus $^{1}/_{3}$ latior est quam longior, plane rectangulus, vix dupla oculi postici diametro angustior postice quam cephalothorax eodem loco. Linea recta margines superiores oculorum anticorum mediorum tangens laterales anticos inter centrum et marginem superiorem secat. Oculi medii antici mediocres, inter se contingentes, lateralibus anticis plus duplo majores et ab iis spatiis remoti, quae dimidiam oculi lateralis diametrum vix aequant. Oculi 2.æ seriei minuti, paullo longius ab oculis

posticis quam a lateralibus anticis remoti. Oculi postici paullo minores quam laterales antici; spatium, quo inter se distant, saltem aeque magnum est atque id, quo a margine cephalothoracis sunt remoti. *Sternum* sub-ovatum, coxis parum latius; spatium inter coxas 1.ⁱ paris labii latitudinem aequat.

Mandibulae directae, sub-cylindratae, apice oblique truncatae, paene duplo longiores quam latiores; patellis 1.ⁱ paris paullo breviores sed parum angustiores sunt, in dorso modo leviter ad longitudinem convexae, pilis longis crassis sat dense sparsae. Sulcus unguicularis dentibus mediocribus tribus, duobus antice, intus, singulo postice, armatus est; unguis mediocris. *Maxillae* parallelae, sub-ovatae, non longae, labio vix duplo longiores; *labium* paullo longius quam latius, apicem sub-truncatum versus paullo angustatum. *Palpi* minus robusti, pube crassa vestiti et, ut pedes, pilis longis et sat crassis undique hirsuti; pars patellaris saltem dimidio longior est quam latior, pars tibialis eà vix longior, paullo plus dimidio longior quam latior, pars tarsalis prioribus duabus conjunctis non parum brevior, apice obtusissima. *Pedes* breves et robusti, anteriores posterioribus robustiores; tibiae anteriores patellam longitudine modo aequant; tibiae 3.ⁱⁱ paris patellà parum, tibiae 4.ⁱ paris patellà paullo (non dimidio) longiores sunt. Tibia cum patella 4.ⁱ paris parum sed evidenter longior est quam tibia cum patella 3.ⁱⁱ paris. Femora 6-7 aculeos habere videntur, patellae anteriores aculeum saltem antice, posteriores patellae aculeum et antice et postice. Tibiae omnes supra aculeis carent; anteriores tibiae modo subter 2. 2. 2. et antice 1. 1. aculeos sat fortes habent, metatarsi anteriores modo 2. 2. subter. Metatarsi 4.ⁱ paris ad basin, medium et apicem aculeati sunt. *Abdomen* sub-ovatum, postice sub-acuminatum, ut cephalothorax pube crassa vestitum et pilis longis sub-erectis sparsum. *Vulva* ex fovea sat magna antice rotundata pallida constat, quae postice callo transverso nigro occupatur; hic callus foveolas duas rotundas ostendit, quae septo longitudinali angusto separatae sunt. *Mamillae* superiores cylindratae, art. 1.° saltem triplo longiore quam latiore, art. 2.° obtuso, aeque fere longo et lato; inferiores mamillae superioribus parum breviores sed

paullo crassiores sunt, conico-cylindratae, art. 2.° latiore quam longiore.

Color. — *Cephalothorax* in fundo nigricans est, fascia media longitudinali testaceo-fusca non multo lata in parte thoracica notatus, area inter-oculari pallidiore quoque; pube crassa cinereo-albicanti, intermixta rubro-fusca, vestitus est, area inter-oculari magis aureo-fusca, paullo albicanti- et rubro-fusco-maculata; pubescentia albicans fasciam mediam longitudinalem non ita latam in parte thoracica format, quae fascia etiam inter oculos inaequaliter continuata videtur. Clypeus pilis valde longis cinereo-albis in medio vestitus est, in lateribus pube longa crassa ejusdem coloris; annuli circum oculos anticos infra cinereo-albicantes sunt, superius ad partem sub-ferruginei quoque. *Sternum* testaceum, albicanti-pilosum. *Mandibulae* sub-piceae, apice paullo pallidiores, pilis albicantibus, praesertim versus basin longis, sparsae; *maxillae* et *labium* sub-picea, apice pallida. *Palpi* fusco-testacei, partibus patellari, tibiali et tarsali annulo angusto basali nigro notatis; pube albicanti pilisque nigris et (praesertim) albicantibus vestiti sunt. *Pedes* testaceo-fusci, femoribus magis testaceis, apice nigris; patellae, tibiae et metatarsi basi et apice (saltem utrinque) nigra sunt. Pube albicanti et fusca vestiti sunt pedes, pilis albis et nigris hirsuti, aculeisque nigris armati. *Abdomen* cinerascens dicendum, pube ad maximam partem cinerascenti vestitum; secundum totam longitudinem dorsi fascia pallidiore inaequali, anterius angustiore, posterius lata, ornatum est, quae utrinque, posterius, breviter bi-dentata vel -angulata est, angulis anterioribus parvis fere in medio dorsi sitis, posterioribus, qui paullo fortiores sunt, paullo longius ab ano quam ab iis remotis; haec fascia cinereo-alba est, anterius colore cinereo-fusco geminata, posterius potius cinereo-fusca dicenda, et paullo pone angulos posteriores $\wedge$ albicanti notata: pars ejus postica sive apex aream paullo oblongam obscure aeneam format. Posterius, fere a medio, colore nigro limbata est haec fascia; latera dorsi hic (apice) nigricantia sunt, latera vero praeterea pallida. Venter cinerascens et punctis nigris sparsus tres fascias vel lineas longitudinales nigras inter se proximas, non usque ad mamillas pertinentes

ostendit, quae apice postico inter se unitae sunt, et quarum duae exteriores levissime sunt incurvae. *Mamillae* nigrae.

Lg. corp. 11 $^1/_4$; lg. cephaloth. 4 $^1/_2$, lat. ej. 3 $^1/_4$, lat. front. 2 $^3/_4$; lg. abd. 7, lat. ej. 4 $^1/_2$ millim. Ped. I 8 $^1/_2$, II 7 $^1/_4$, III 9 $^1/_4$, IV 9 $^1/_2$ millim. longi; pat. + tib. I 3 $^1/_2$, pat. + tib. III 3, pat. + tib. IV parum plus 3, metat. + tars. IV paene 3 millim.

Feminam singulam supra descriptam in monte Singalang Sumatrae cepit Cel. Beccari. — Feminae *M. Paykullii* valde similis est haec aranea, dorso cephalothoracis ad longitudinem fortius convexo, pictura abdominis paullo diversa, forma alia vulvae, cet., tamen sine negotio dignoscenda. Generis *Scaeae,* L. Koch, esse videtur.

Ut jam in his Stud., III, p. 508 monui, vix nisi cephalothorace minus alto ab *Atto* (Walck.) nob. differunt species, quas hic ad *Plexippum* (C. L. Koch) retuli; a formis nonnullis generis *Hasarii* (Sim.) nob. (olim *Plexippi,* nob.), e. gr. *H.* (*P.*) *Beccarii,* Thor., et *H.* (*P.*) *dearmato,* id., generice vix distingui possunt nisi tibia cum patella 4.[i] paris longiore quam tibia cum patella 3.[ii] paris.

Gen. **Bootes,** Peckh., 1885.

Cephalothorax praesertim postice altissimus, declivitate postica valde praerupta, fovea ordinaria centrali minuta, clypeo saltem dimidiam oculi maximi diametrum altitudine aequanti.

Quadrangulus oculorum $^1/_3$–$^2/_5$ (non dimidium) longitudinis cephalothoracis circiter occupat, paene duplo latior quam longior, paullo latior antice quam postice, et non multo angustior postice quam cephalothorax eodem loco. Spatia inter oculos anticos medios et laterales dimidiam horum diametrum non aequant. Oculi 2.[ae] seriei minuti non vel parum longius a lateralibus anticis quam a posticis oculis remoti sunt; oculi postici, saltem diametro sua altius quam laterales antici locati, non vel parum longius a margine cephalothoracis quam inter se distant.

Mandibulae parvae vel mediocres, directae vel reclinatae.

Maxillae breves; labium transversum, fere semi-circulatum.

Pedes breves, anteriores posterioribus non multo robustiores; longitudine ita: IV, III (III, IV) I, II, se excipiunt. Tibia cum patella 4.i paris tibiam cum patella 3.ii paris longitudine paullo superat vel saltem aequat; metatarsus cum tarso 4.i paris non longior est quam tibia cum patella ejusdem paris. Metatarsi posteriores non tantum apice aculeati.

Abdomen breve, plerumque inverse sub-ovatum vel sub-pentagono-ovatum. Mamillae mediocres.

Typus: *B. ephippiger* (Sim.).

Hoc genus — quod idem est atque *Hadrosoma*, Keys., 1883 (1) — ab *Atto* (Walck.) nob. et ab *Hasario* (Sim.) nob. eo dignoscitur, quod cephalothoracem postice altissimum et valde praerupte declivem, paene directum habet, et foveam ordinariam centralem minutam, oblongam, sulcumque in ea minutissimum; interdum tibia cum patella 4.i paris paullo longior quam, interdum modo aeque longa ac tibia cum patella 3.ii paris est, et ita non tantum in formis, quae inter se specifice differunt, verum etiam in mare et in femina ejusdem speciei. — Praeter speciem typicam, *Attus nigripalpis*, Thor. (2), *Plexippus* (?) *Karschii*, id. (3), et (forsitan) *Attus cyanothorax*, id. (4), huic generi subjungendi sunt.

Gen. *Mago*, Cambr. (5), *Bootae* formà cephalothoracis similis est, sed differt quadrangulo oculorum multo minus lato, maxillis et labio longis, cet.

316. **B. ephippiger** (Sim.), *cephalothorace brevi, nigro; palpis nigricantibus, parte tarsali lanceolato-triangula; pedibus brevissimis, flavo-testaceis, tibia cum patella* 3.ii *paris tibiam cum patella* 4.i *paris longitudine modo aequanti; abdomine brevi, inverse*

(1) Die Arachn. Austral., p. 1418. — *Hadrosoma* [*Adrosoma*] Motsch., 1845 [Coleopt.]. Vid. G. W. et E. G. Peckham, On the genera of the family Attidae, *in* Proceed. of the Wisconsin Acad. of Science, Arts and Letters, 1885, p. 264.

(2) Haec Stud., I, Ragni di Selebes, loc. cit., p. 620 (280).

(3) Ibid., III, Ragni dell'Austro-Malesia, cet., loc. cit., p. 637.

(4) Ibid., p. 509.

(5) On new Gen. and Spec. of Aran., *in* Proceed. of the Zool. Soc. of London, 1882, p. 439 (17), Pl. XXXI, fig. 14a–14d.

pentagono-ovato fere (antice sub-emarginato, postice sub-acuminato), flavo-testaceo, vitta media transversa latissima sub-trapezoidi nigra apicibus (angulis posticis) usque in ventrem pertinentibus, supra ornato. — ♀ ad. *Long. circa* 5 $^1/_4$ *millim.*

Syn.: 1885. *Hadrosoma ephippigerum*, Sim., Arachn. recueillis par M. Weyers à Sumatra (1er envoi), *in* Comptes-rendus de la Soc. Ent. de Belgique, 1885, p. (7).

Femina. — *Cephalothorax* circa $^1/_4$ longior quam latior, patellam + tibiam + metatarsum + tarsum 1.i paris, et patellam + tibiam + metatarsum 4.i paris longitudine circiter aequans: brevis igitur, altissimus, dorso ipso leviter transversim convexo et desuper viso postice pulchre rotundato, fronte levissime rotundata. Lateribus paene rectis secundum maximam partem longitudinis anteriora versus sensim paullulo dilatatus est, modo ante oculos 2.ae seriei sensim paullulo angustatus; posterius brevi spatio lateribus sat leviter rotundatis posteriora versus sensim fortiter est angustatus, postice truncatus et, in medio, retusus. A latere visum dorsum ipsum ante oculos posticos, qui fere in medio ejus locum tenent, fortiter convexum est, primum leviter, dein vero fortissime proclive, pone hos oculos rectum (modo postice convexum) et paene libratum vel potius posteriora versus paullo assurgens, et subito — paene ad rectos angulos — in declivitatem posticam valde praeruptam, levissime concavatam et ipso dorso non multo breviorem transiens. Clypei altitudo dimidiam oculi maximi diametrum paullo superat; pilis paucis conspersus est, praeterea vero glaber; annuli ordinarii circum oculos anticos nulli videntur. Arcus supra-ciliares oculorum posticorum obsoleti; elevationes anteriores nullae. Fovea media ordinaria non parum pone oculos posticos sita est, minuta et oblonga, sulco medio minutissimo. Praeterea laevis est cephalothorax, modo striis parvis, quae pilis respondere videntur, sparsus. *Oculi* parvi. Oculi medii antici, spatio evidentissimo disjuncti, lateralibus anticis paene duplo majores sunt et ab iis spatiis remoti, quae dimidiam oculi lateralis diametrum paene aequant. Series oculorum antica sat fortiter sursum est curvata: linea recta medios anticos supra tangens laterales anticos paene in

centro secat. Quadrangulus oculorum fere $^1/_3$ longitudinis cephalothoracis occupat; paene duplo latior est antice quam longior, paullo latior antice quam postice, et modo singuli oculi postici diametro angustior postice quam cephalothorax eodem loco. Oculi 2.^{ae} seriei minuti in medio inter oculos posticos et laterales anticos locum tenent; oculi postici, lateralibus anticis vix vel parum minores, multo plus diametro sua altius quam ii positi sunt, et aeque paene longe a margine cephalothoracis atque inter se remoti. *Sternum* sub-ovatum, antice truncatum, coxis duplo latius; spatium inter coxas 1.^{i} paris labii latitudinem aequat.

Mandibulae parvae, sub-reclinatae, sub-conico-cylindratae, clypei altitudine paullo plus duplo longiores, saltem dimidio longiores quam latiores, in dorso modo leviter convexae et transversim striatae, ungui brevi. *Maxillae* parallelae, breves, vix duplo longiores quam latiores, labio circa duplo longiores, apice oblique rotundatae; *labium* paullo latius quam longius videtur, apice rotundatum. *Palpi* mediocres, modice pilosi, formà quodammodo insolitâ: pars patellaris quidem cylindrata est, paullo longior quam latior; pars tibialis eâ paullulo longior est, et basi latitudine ejus, sed a basi apicem paullulo oblique truncatum versus sensim paullulo dilatata, parum longior quam latior apice; pars tarsalis basi latitudine apicis partis tibialis est, hac parte paene duplo longior, paene a basi ad apicem acuminatum praesertim in latere interiore et supra sensim angustata, triangulo-lanceolata igitur. *Pedes* brevissimi, sat graciles, anteriores posterioribus vix robustiores. A medio apicem versus sensim paullo graciliores evadunt pedes; tibiae 1.^{i} paris cylindratae sunt, circa duplo et dimidio longiores quam latiores, metatarsi hujus paris tibiâ modo paullo breviores, tarso non dimidio longiores. Tibiae omnes patellâ modo paullo longiores sunt. Sat parce pilosi et pubescentes sunt pedes, aculeis sat paucis brevioribus et gracilibus armati. Femora supra 1. 1. 2-4 aculeos habent; patellae anteriores antice aculeo munitae sunt, posticae aculeo utrinque. Supra tibiae aculeo carent; tibiae anteriores modo 2 aculeos, ad apicem subter et antice sitos, ostendunt, metatarsi 1.^{i} paris subter 1. 2., metatarsi 2.^{i} paris

modo 2, subter ad apicem locatos. Tibiae etiam posteriores aculeos modo paucissimos habent. Metatarsi posteriores non tantum apice aculeati sunt. *Abdomen* brevissimum, modo paullo longius quam latius, inverse pentagono-ovatum fere (paene ut in Misumenoidis plerisque), antice truncatum et breviter emarginatum, postice sub-acuminatum, parce pilosum. *Vulva* ex foveis duabus oblongis pallidis, spatio longo inter se separatis et non parum ante rimam genitalem sitis constare videtur. *Mamillae* mediocres, superiores angustae, art. 2.° sub-conico.

Color. — *Cephalothorax* niger, nitidus, in cyaneum colorem paullo exiens, clypeo magis piceo, pilis nigris sparsus. *Sternum* sub-piceum. *Mandibulae* piceae. *Maxillae* fusco-testaceae, basi late cum *labio* sub-piceae. *Palpi* testaceo-picei, partibus tibiali et tarsali (hujus summo apice sub-testaceo excepto) nigro-piceis, nigro-pilosi. *Pedes,* coxis subter sub-piceis et femoribus ad partem supra nigricantibus exceptis, flavo-testacei sunt, parce nigro-pilosi et -pubescentes, basi subter pallide pilosi; aculei nigri. *Abdomen* flavo-testaceum, pilis nigris sparsum, supra vitta media transversa latissima nigra ornatum, quae paene dimidiam dorsi longitudinem occupat et trapezium transversum fere format, quod antice parum latius est quam longius ibique paullo inaequale (sub-emarginatum?), postice vero plus duplo latius quam longius et apicibus sub-recurvis usque ad latera ventris pertinens. Venter pone rimam genitalem fasciam mediam longitudinalem latam nigricantem ostendit, ante rimam vero $\wedge$ crassum antice truncatum nigrum, stria et puncto pallidis in utroque ramo notatum. *Mamillae* flavo-testaceae.

Lg. corp. $5\,^1/_4$; lg. cephaloth. $2\,^1/_2$, lat. ej. paene 2, lat. front. $1\,^5/_6$; lg. abd. 3, lat. ej. paullo plus $2\,^1/_2$ millim. Ped. I $3\,^1/_2$, II $3\,^1/_3$, III $4\,^3/_4$, IV $4\,^3/_4$; pat. + tib. I paene $1\,^1/_2$, pat. + tib. III paullo plus $1\,^1/_2$, pat. + tib. IV paullo plus $1\,^1/_2$, metat. + tars. IV $1\,^1/_2$ millim.

Cel. Beccari feminam unam ad Ajer Mancior Sumatrae invenit; Cel. Simon feminam ex ins. Bodjo obtinuit. — Quamquam ad colorem ab *Hadrosomate ephippigero,* Sim., quod vittam transversam abbreviatam nigram pone vittam illam maximam in dorso

abdominis habere dicitur, paullo differt species supra descripta, non dubito, quin sit ad *H. ephippigerum* referenda.

317. **B. nigripalpis** (Thor.).

Syn.: 1877. *Attus nigripalpis*, Thor., Studî, *cet.*, I, Ragni di Selebes, loc. cit., p. 620 (280).

Species in Selebes, ad Kandari, inventa.

Gen. **Hyllus** (C. L. Koch), 1846.

In hoc genere tibia cum patella 3.ii paris aeque circiter longa est ac tibia cum patella 4.i paris; in specie *typica, H. giganteo,* C. L. Koch, cujus multa exempla sub oculis habeo, et in ♂ et in ♀ tibia cum patella 3.ii paris nunc plane aeque longa ac, nunc paullo brevior, nunc paullo longior quam tibia cum patella 4.i paris est! In ♂ ad. *H. Walckenaerii* (duobus exemplis) tibia cum patella 3.ii paris *paullulo* longior, in ♂ *jun.* (singulo) vero certe *non* longior est quam tibia cum patella 4.i paris. In *H. mutillario* (C. L. Koch), ♀ *jun.*, tibia cum patella 4.i paris paullo longior visa est quam tibia cum patella 3.ii paris.

318. **H. giganteus** (C. L. Koch).

Syn.: 1846. *Hyllus giganteus*, C. L. Koch, Die Arachn., XIII, p. 161, Tab. CCCCLIX, fig. 1216. (♂ *formae princip.*).
1877. » » , Thor., Studî, *cet.*, I, Ragni di Selebes, loc. cit., p. 598 (258). (Var. *Whitei*, Thor., ♂).
1878. » » , id., ibid., II, Ragni di Amboina, loc. cit., p. 264 [*ubi cet. syn. videantur*]. (♂ et ♀ *formae princip.*).

Secundum Doleschall haec species, quae praesertim in ins. Moluccis (Amboina, Ceram) vitam degit, etiam in Java occurrit (?). Quantum scio, in Indo-Malesia adhuc modo in Celebes inventa est: feminam adultam et juniores utriusque sexus, quos a forma principali distinguere nequeo, et qui ad Gorontalo hujus insulae capti sunt, mecum communicavit amicus Van Hasselt; Var. *Whitei* ad Kandari inventa est.

319. **H. Walckenaerii** (White), *cephalothorace altissimo, sub-orbiculato, nigro, squamulis tenuibus obscure aeneis tecto et cingulo marginali albo sat angusto, postice abrupto, circumdato; quadrangulo oculorum cephalothorace paene duplo angustiore, circa $^1/_3$ latiore quam longiore, antice non vel parum latiore quam postice; pedibus nigris, squamulis albis munitis, anterioribus robustioribus,* 1.ⁱ *paris reliquos longitudine superantibus; abdomine anguste ovato, nigro, squamulis densis aeneis undique vestito et linea alba usque ad mamillas pertinenti in lateribus et in declivitate antica cincto; mandibulis valde divaricantibus, fortibus, femore antico multo latioribus, supra late et leviter convexis, ungui valde longo, forti, bis incurvo et magis versus apicem intus dente mediocri armato.* — ♂ ad. *Long.* 10–11 *millim.*

Syn.: 1864. *Deineresus Walckenaerii*, White, Descr. of a new Gen. of Arachn., *cet*, *in* Ann. and Mag. of Nat. Hist., XVIII, p. 179 (13), Pl. 2, figg. 4 et 4ª (♂ *ad.*).
1879. » (*Hyllus*) *Walckenaerii*, Van Hass., Aran. exot. . . . ex ins. Celebes (Gorontalo), *in* Tijdschr. v. Entom., XXII, p. (7), Pl. 12, figg. 4 et 5 (♂ *ad.*).
1879. *Attus* (*Plexippus?*) *cornutus*, id., ibid., p. (5), Pl. 12, figg. 1–3 (♂ *jun.*).

Quamquam *H. giganteo*, ♂, simillimus est hic mas, mandibulis multo fortioribus alioque modo formatis ut et ungui earum intus dente munito facillime ab eo dignoscitur. Mandibulae in *H. Walckenaerii*, ♂, ovatae sunt, duplo longiores quam latiores, versus apicem satis angustatae, in latere interiore ut in exteriore latere fortiter rotundatae, ad apicem intus leviter emarginatae, supra deplanatae et modo leviter convexae, opacae et sat subtiliter et dense rugosae; magis versus basin intus, subter, paullo ante locum ubi divaricantes evadunt, dentibus binis basi unitis, conicis, sat fortibus, porrectis armatae sunt, et ipso apice subter dente parvo deorsum directo praeditae. Palpi parum a palpis maris *H. gigantei* differre videntur. — In ♂ *jun.* (12 $^1/_2$ millim. longo) mandibulae robustissimae sunt, modo apice divaricantes, supra sub-deplanatae, opacae, dense et sat subtiliter coriaceae, ungui brevi, incurvo, inermi.

Mas *jun.* cephalothoracem et pedes in fundo piceos habet, illum ut in ♂ *ad.* fascia alba cinctum; abdomen obscure aeneum loco lineae albae maculas duas sat magnas in utroque latere posterius ostendit, et in ventre duas lineas longitudinales albas, quibus caret venter adulti; secundum medium, saltem posterius, fasciam longitudinalem reliquo dorso (obscure aeneo) clarius aeneam habere videtur dorsum abdominis. — Vid. praeterea descriptiones et figuras Van Hasseltii, locis cit., et haec Stud., III, Ragni dell' Austro-Malesia, *cet.*, loc. cit., p. 524.

♂ *ad.* — Lg. corp. 10 $^3/_4$; lg. cephaloth. paene 6, lat. ej. 5, lat. clyp. 3 $^1/_2$; lg. abd. 5 $^1/_2$, lat. ej. 3 millim. Ped. I 15 $^1/_2$ (pat. 1 $^1/_2$, tib. 3 $^4/_5$, metat. 2 $^3/_4$, tars. 1 $^1/_2$), II 12 $^1/_3$, III 12 $^3/_4$, IV 12 $^5/_6$ millim. longi; pat. + tib. III parum plus 4 $^1/_4$, pat. + tib. IV 4 $^1/_4$, metat. + tars. IV paene 4 $^1/_4$ millim. Mandib. paene 3 $^1/_4$ millim. longae.

Mas adultus hujus speciei, in ins. Celebes inventus, primum a White descriptus fuit; dein mares ad. et jun. a Cel. Rosenberg ad Gorontalo ejusdem insula captos descripsit et depingi curavit Van Hasselt. Femina adhuc ignota est; a mare adulto sine dubio multum differt. — Cel. Van Hasselt marem adultum aliumque juniorem ex Gorontalo benigne mecum communicavit.

320. **H. mutillarius** (C. L. Koch), *cephalothorace in fundo sub-fusco, area inter-oculari obscuriore, pube crassa cinerascenti-alba saltem ad magnam partem vestito; pedibus sub-fuscis, cinerascenti-albo-pubescentibus et -hirsutis, tibiis anterioribus subter densius nigro-pilosis; abdominis dorso nigro, ipsa basi albicanti, et dein fascia lata longitudinali inaequali flavo-alba ornato, quae, a plaga illa basali albicanti* ∧ *nigro separata, in medio vitta recurva nigra abrupta est et utrinque ramos obliquos flavo-albos emittit; ventre cinereo-albicanti, fascia longitudinali lata nigra notato.* — ♀ jun. *Long. saltem* 9 *millim.*

Syn.: 1846. *Plexippus mutillarius*, C. L. Koch, Die Arachn., XIII, p. 93, Tab. CCCCXLVII, fig. 1155 et 1156.

Femina *jun.* — *Cephalothorax* circiter $^1/_3$ longior quam latior, patellam + tibiam + dimidium metatarsi 1.[i] paris, et patellam

+ tibiam + totum metatarsum 4.i paris longitudine aequans, fronte leviter rotundata, in lateribus usque ad oculos laterales anticos anterius et praesertim posterius sat fortiter, in medio vero levius rotundatus, itaque anteriora et posteriora versus sensim angustatus, postice sat late truncatus et, in medio, paullo retusus. Modice altus est cephalothorax, dorso ipso ante oculos posticos, qui paullo pone medium dorsi ipsius et non parum plus diametro sua altius quam oculi laterales antici locum tenent, modice proclivi et paullo inaequali sed vix convexo, pone hos oculos paullo levius declivi et primum recto, dein vero in declivitatem posticam non multo praeruptam, dimidium reliqui dorsi longitudine circiter aequantem et parum convexam sensim transeunti. Arcus supra-ciliares oculorum posticorum debiles; elevatio apud (pone) oculos laterales anticos, intus, sita ampla sed humillima. Impressio ordinaria inter oculos posticos distinctissima, sulco brevi in fundo, posterius. Clypeus, pilis longis densis hirsutus, altitudine dimidiam oculi maximi diametrum superare videtur. Quadrangulus *oculorum* vix $^2/_5$ longitudinis cephalothoracis occupat; circa $^1/_3$ latior est quam longior, plane rectangulus (saltem non latior antice quam postice), et plus dupla oculi postici diametro angustior (in adultis haud dubie etiam multo magis angustus) postice quam cephalothorax eodem loco. Oculi antici sat parvi; medii eorum, inter se spatio non parvo separati, lateralibus circa duplo et dimidio majores sunt et ab iis spatiis disjuncti, quae dimidiam oculi lateralis diametrum fere aequant. Linea recta margines superiores oculorum mediorum anticorum tangens laterales anticos paullo sub margine superiore secat. Oculi seriei 2.ae minuti, paullo longius ab oculis posticis quam a lateralibus anticis remoti; oculi postici laterales anticos magnitudine fere aequant, spatio vix vel non minore inter se disjuncti, quam quo a margine cephalothoracis distant. *Sternum* anguste et inverse ovatum, coxis parum latius; spatium inter coxas 1.i paris labii latitudinem aequat.

Mandibulae directae, sub-cylindratae, patellas 1.i paris longitudine et latitudine circiter aequantes, duplo longiores quam latiores, in dorso ad basin fortiter convexae; sulcus unguicularis

dentibus tribus sat parvis, duobus antice, intus, singulo postice, armatus est; unguis sat brevis. *Maxillae* paene parallelae, ut videtur paullo plus duplo longiores quam latiores, labio vix duplo longiores, apice magis extus fortiter rotundatae; *labium* longius quam latius, versus apicem, qui anguste truncatus videtur (?), angustatum. *Palporum* partes patellaris et tibialis paene eadem longitudine, saltem dimidio longiores quam latiores; pars tarsalis prioribus duabus conjunctis evidenter brevior est, circa duplo et dimidio longior quam latior, fere a medio ad apicem sensim paullo angustata. *Pedes* breves, anteriores praesertim robusti et obtusi; tibiae modo 4.ⁱ paris patellâ paullo longiores sunt. Metatarsi 1.ⁱ paris tarso vix longiores (an ita in adultis quoque?); tarsi hujus paris secundum maximam partem longitudinis scopula vera instructi sunt, ut praeterea tarsi 2.ⁱ paris apice. Patellae posteriores (an anteriores quoque?) aculeum utrinque habent; tibiae supra aculeis carent; in tibiis anterioribus modo aculeos 2. 2. 2. subter et 1 antice versus apicem video, in tarsis anterioribus 2. 2. subter. Metatarsi posteriores ad basin, medium et apicem aculeati sunt. *Abdomen* sub-ovatum fuisse videtur. *Mamillae* sat breves, inferiores parum breviores sed multo crassiores quam superiores.

Color. — *Cephalothorax* in fundo testaceo-fuscus, area interoculari nigricanti: pube crassa cinerascenti-alba vestitus fuisse videtur, saltem in lateribus et secundum medium, ubi in nostro exemplo quasi fasciam longitudinalem format haec pubescentia. Utrinque, sub oculis 2.ᵆ seriei, fasciculus e pilis longis nigris formatus conspicitur, et pilis ejusmodi praeterea sparsus est cephalothorax; clypeus pilis longis et pube crassa flaventi-albis tectus est, ut mandibulae versus basin; annuli circum oculos anticos ejusdem sunt coloris, saltem infra et in lateribus. *Sternum* testaceo-fuscum, ut coxae et femora subter albicanti-hirsutum. *Mandibulae* in fundo nigro-piceae, *maxillae* et *labium* testaceo-fusca. *Palpi* testaceo-fusci, albo-pubescentes et pilis densis albis hirsuti; partes patellaris et tibialis vestigia annuli basalis nigri ostendunt. *Pedes* testaceo-fusci, pube alba vestiti pilisque albis, et pilis nigris quoque, hirsuti; coxae et femora subter clariora

sunt, femora saltem anteriora apice nigra, tibiae 1.[i] paris subter nigrae, 2.[i] paris tibiae quoque subter infuscatae: tibiae 4 anteriores, praesertim 1.[i] paris, subter pilis sat densis magis patentibus nigris vestiti sunt. *Abdominis* dorsum pube densa nigra tectum est, pictura quoque e pube densa formata: basi in formam vittae vel plagae recurvae albicans est dorsum, dein sequitur fascia longitudinalis lata inaequalis flavo-albida, quae antice ∧ gracili nigro a vitta illa basali separatur, et in medio dorso vittâ transversâ recurvâ nigrâ in duas plagas divisa est, quarum anterior ramum foras et paullo retro directum fere ab apice suo utrinque emittit, posterior vero, quae non usque ad apicem dorsi pertinet, in binos ejusmodi ramos excurrit; summus apex dorsi albicans est, latera abdominis albo- et nigro-vittata vel -variata. Venter dense pubescens cinereo-albus est, fascia longitudinali lata nigra. *Mamillae* fuscae.

♀ *jun.* — Lg. corp. 9; lg. cephaloth. 5, lat. ej. 3 $^1/_2$, lat. front. 2 $^3/_4$; lg. abd. 4 $^1/_2$, lat. ej. circa 3 millim. Ped. I circa 10, II 8 $^1/_2$, III 10, IV 10 millim. longi; pat. + tib. I 3 $^2/_3$, pat. + tib. III 3 $^1/_4$, pat. + tib. IV 3 $^1/_3$; metat. + tars. IV 3 millim.

Hujus speciei, cujus exempla adulta ex ins. Bintang (♂) et Java (♀) descripsit et depinxit C. L. Koch, exemplum singulum femineum nondum adultum vidi, in Sumatra a Forbes captum et a Cel. Cambridge ad me missum.

321. **H. lacertosus** (C. L. Koch), Var. Borneensis, n., *cephalothorace lato et alto, in lateribus fortiter rotundato, in fundo piceo, saltem ad maximam partem pube viridi-aenea vestito, macula media longitudinali alba in parte thoracica carenti; palpis piceis, parte tibiali vix longiore quam latiore, subter fasciculo pilorum munito; pedibus piceis,* 1.[i] *paris subter pilis longioribus nigris dense vestitis; abdomine nigro, supra pube densa aeneo-viridi vestito et ante medium macula parva triangula alba notato.* — ♂ ad. *Long. circa* 10 $^1/_2$ *millim.*

Syn.: 1846. *Plexippus lacertosus*, C. L. Koch, Die Arachn., XIII, p. 94, Tab. CCCCXLVIII, fig. 1157 et 1158 (= *forma princip.*).

MAS. — *Cephalothorax* altus est, postice non multo angustior quam antice, ubi paene dimidio angustior est quam in medio; in lateribus aequaliter, fortiter et amplissime, usque ad oculos anticos laterales, rotundatus est, circa $^1/_3$ longior quam latior, et tibiam cum $^3/_4$ patellae 1.ⁱ paris, vel patellam + tibiam + dimidium metatarsi 4.ⁱ paris longitudine circiter aequans. Area inter-ocularis impressionem mediam longitudinalem ostendit; clypei altitudo dimidiam diametrum oculi maximi non aequat. *Oculi* non magni; linea oculos anticos supra tangens leviter sursum curvata est; medii antici, inter se sub-contingentes, lateralibus anticis paene triplo majores videntur et ab iis spatiis dimidiam eorum diametro circiter aequantibus remoti. Quadrangulus oculorum saltem $^1/_3$ longitudinis cephalothoracis occupat; rectangulus est, circa $^1/_3$ latior quam longior et plus quadrupla oculi postici diametro angustior postice quam cephalothorax eodem loco. Oculi 2.ᵃᵉ seriei minuti paullo longius ab oculis lateralibus anticis quam a posticis oculis distant; oculi postici, lateralibus anticis vix minores, multo altius quam ii locati sunt et spatio inter se remoti, quod minus est quam id, quo a margine cephalothoracis distant.

Mandibulae paene directae vel paullo porrectae, parallelae, fortes, sub-cylindratae, paene duplo longiores quam latiores, patellis anticis breviores sed latiores; unguis non longus videtur. *Palpi* sat graciles, clava tibiis anticis multo angustiore. Pars patellaris circa dimidio longior est quam latior, pars tibialis eâ brevior et paullulo angustior, vix longior quam latior, desuper visa; a latere visa deorsum producta est et non parum latior quam longior, sub-triangula, apice trianguli obtuso et deorsum directo fasciculo pilorum longiorum munito. In apice lateris exterioris spinam brevem apice foras curvatam ostendit pars tibialis. Pars tarsalis parte priore fere duplo longior et saltem dimidio latior est, circa duplo longior quam latior, basi truncata, ad apicem supra late impressa (cutis hic mollior fuisse videtur). *Pedes,* praesertim 1.ⁱ paris, sat longi et robusti, dense pilosi et pubescentes: 1.ⁱ paris subter in patellis, tibiis et metatarsis pilis longis dense vestiti sunt. Tibia 1.ⁱ paris saltem 5.plo longior

quam latior, cylindrata; metatarsus hujus paris a basi lata sensim angustatus et tibiâ multo angustior, tarso plus duplo longior, cum tarso tibiâ parum longior. Tibiae 1.ⁱ et 4.ⁱ parium patellâ paene dimidio longiores sunt, reliquae tibiae patellâ modo paullo longiores. Patellae anteriores aculeum antice, posteriores patellae aculeum et antice et postice habent. Tibiae supra aculeo carent. Tibiae 1.ⁱ paris saltem 2. 2. 2. aculeos fortes subter et 1 antice (apice) ostendunt, metatarsi anteriores subter 2. 2. aculeos. Metatarsi posteriores ad basin, medium et apicem aculeati sunt. *Abdomen* sub-ovatum, postice acuminatum.

Color. — *Cephalothorax* in fundo piceus est; pube (ad partem squamuli-formi?) viridi-aenea undique, etiam in clypeo et circum oculos, tectus fuisse videtur. *Mandibulae* piceae; basis earum cum margine clypei pilis longis virescenti-testaceis munita est. *Palpi* picei, nigro- et virescenti-pilosi, squamulis aureo-viridibus muniti. *Pedes* quoque picei, pilis nigris et sub-virescentibus pubeque vel squamulis aeneo-viridibus albisque vestiti, pilis illis longis subter in pedibus anterioribus nigris. *Abdomen* nigrum, supra squamulis aeneo-viridibus, cupreum colorem hic illic sentientibus tectum, et macula sat parva triangula alba e squamulis densis formata paullo ante medium notatum. *Mamillae* nigro-piceae.

Quum exemplum nostrum acui affixum sit, siccatum et corrugatum, pleniorem ejus descriptionem dare nequeo. Pedes 4.ⁱ paris paullo longiores quam pedes 3.ⁱⁱ paris mihi visi sunt et tibia cum patella 4.ⁱ paris paullulo longior quam tibia cum patella 3.ⁱⁱ paris (an re vera ita?).

Lg. corp. circa $10\,^1/_2$; lg. cephaloth. paene 7, lat. ej. paene $4\,^1/_2$, lat. front. 3; lg. abd. $4\,^2/_3$, lat. ej. $3\,^1/_4$ millim. Ped. I circa 15, reliqui pedes circa 12 millim. longi; pat. + tib. I $6\,^1/_2$, pat. + tib. III et IV paene 4; metat. + tars. IV $3\,^3/_4$ millim.

Exemplum singulum quod vidi, ex Mus. Zool. Regni, quod Holmiae est, mecum communicatum, in ins. Borneo captum fuit. Quamquam macula illa longitudinali alba in parte thoracica, cujus mentionem facit C. L. Koch, caret hoc exemplum, non dubito, quin modo sit varietas *Plexippi lacertosi* Kochii, ex insulis Java et Bintang.

Gen. **Thyene**, Sim., 1885 (¹).

(= *Thya*, Sim., *olim* (²)).

322. **Th. imperialis** (W. Rossi), *cephalothorace in fundo fusco-ferrugineo; palpis fusco-testaceis, clava obscuriore, parte tibiali extus spina gracili sub-acuminata armata, bulbo obscuro, rotundato, subter intus in dentem obtusum porrectum elevato; pedibus fusco-testaceis, nigro-annulatis; abdomine supra nigricanti, sub-aeneo-squamuloso, plaga vel fascia longitudinali brevi albicanti in medio antice, et pone eam maculis parvis albis saltem quattuor notato.* — ♂ ad. *Long. circa* 7 *millim.*

Syn.: 1847. *Attus imperialis*, W. Rossi, Neue Arten von Arachniden des K. K. Museums, *in* Haidinger, Naturwissensch. Abhandl., I, p. 12.
1867. » *regillus*, L. Koch, Zur Arachniden- u. Myriapoden-Fauna Süd-Europa's, *in* Verhandl. d. zool.-bot. Gesellsch. in Wien, XVII (1867), p. 879 (23).
1869. » *argenteo-lunulatus*, Sim., Monogr. d. espèces europ. de la fam. d. Attides, *in* Ann. de la Soc. Ent. de France, 4.e Sér., VIII (1868), p. 620 (154).
1869. » *regillus*, id., ibid., p. 622 (156).
1871. » *imperialis*, id., Révision d. Attides europ., *in* Ann. de la Soc. Ent. de France, 4.e Sér., IX (1876), p. 142 (18).
1876. *Thya imperialis*, id., Les Arachn. de France, III, p. 52.

Lg. corp. 7; lg. cephaloth. 3, lat. ej. 3; lg. abd. 3 $^2/_3$, lat. ej. 1 $^3/_4$ millim. Ped. I 8, II 5 $^3/_4$, III 7, IV 6 $^1/_2$ millim. longi; pat. + tib. I parum plus 3, pat. + tib. III 2 $^1/_4$, pat. + tib. IV 2 $^1/_6$, metat. + tars. IV 1 $^4/_5$ millim.

Marem, cujus diagnosin et mensuras hic dedi, in Java cepit Kinberg; alia exempla vidi, ad Aden Arabiae a Doria et Beccari inventa. Praeterea ad Minhla Birmaniae capta est *Thyene imperialis* (³), ut et ad Bombay, et ad Ephesum et Smyrnam, in

(¹) Matériaux pour servir à la Faune Arachn. de l'Asie Mérid., I, Arachn. recueillis à Wagra-Karoor près Gundacul, *cet.*, *in* Bull. de la Soc. Zool. de France, X (1885) p. (4).

(²) *Thya*, Curt., 1834 [Neuropt.].

(³) Simon, Arachn. recueillis en Birmanie par . . . Comotto, *cet.*, *in* his Annal., XX (1884), p. 326 (2).

Syria et in Palaestina ([1]); etiam in multis Africae partibus, ut in Abyssinia ([2]), in Ægypto ([1]) et in Tunisia ([3]) vitam degit haec species; per magnam partem Europae meridionalis diffusa est, saltem in Turchia, in Graecia, in Sicilia, in Corsica et in Hispania inventa (sec. scriptores supra cit.).

Gen. **Viciria**, Thor., 1877.

323. **V. Pavesii**, Thor.

Syn.: 1877. *Viciria Pavesii*, Thor., Studî, *cet.*, I, Ragni di Selebes, loc. cit., p. 574 (234).

Habitat in Celebes, ad Kandari inventa.

Species insequentes, quas *Viciriae* subjungo, et quarum feminae adhuc ignotae sunt, a specie typica hujus generis, *V. Pavesii* (quae *Maeviae capistratae*, C. L. Koch ([4]), sat similis, sed etiam gracilior, est), paullo differunt, praesertim corpore et extremitatibus robustioribus, et spatiis inter oculos anticos medios et laterales minoribus. Transitum ad *Hyllum* (C. L. Koch), Thor., formant, ab hoc genere quadrangulo oculorum longiore (modo $^1/_4$, non $^1/_3$ latiore quam longiore), clypeo humiliore et (excepto in *V. pallenti*) tibia cum patella 3.ii paris evidentissime longiore quam tibia cum patella 4.i paris distinguenda. A gen. *Bathippo*, n., cui abdomine longo similes sunt, oculis 2.ae seriei longius ab oculis posticis quam a lateralibus anticis remotis praesertim facile dignosci possunt species generis *Viciriae*. A *Prostheclina*, Keys. ([5]) differt *Viciria* lateribus cephalothoracis fortiter rotundatis et quadrangulo oculorum postice multo angustiore quam est cephalothorax eodem loco, cet.

([1]) Cambridge, General List of the Spid. of Palaestine and Syria, *in* Proceed. of the Zool. Soc. of London, 1872, p. 323; — id., Catal. of a collection of Spid. made in Egypt, ibid., 1876, p. 611.

([2]) [Spedizione italiana nell'Africa equatoriale. Risultati zoologici.] Pavesi, Studî sugli Aracn. africani, III: Aracnidi del Regno di Scioa, *in* his Annal., XX (1884), p. 101.

([3]) [Exploration scientifique de la Tunisie, Zoologie, Arachnides.] Simon, Études sur les Arachn. recueillis en Tunisie en 1883 et 1884, *cet.*, p. 1.

([4]) Die Arachn., XIV, p. 76, Tab. CCCCLXXIX, fig. 1331. Secundum hanc figuram tibia cum patella 4.i paris in *M. capistrata* non parum longior est quam tibia cum patella 3.ii paris, et haec species igitur gen. *Viciriae* subjungi non potest.

([5]) Die Arachn. Austral., p. 1368.

324. **V. Hasseltii** (Thor.), *cephalothorace fusco, fascia supra-marginali latissima alba in utroque latere, et macula magna alba in area inter-oculari ornato; mandibulis parallelis, sub-cylindratis, sat longis et gracilibus; palpis brevioribus, in fundo testaceo-fuscis, parte tibiali paullo longiore quam latiore, parte tarsali obscuriore, anguste sub-ovata, apice obtusissimo; pedibus sub-fusco-testaceis, posticis pallidioribus,* 1.^{i} *paris femoribus utrinque fascia nigra notatis, metatarsis hujus paris apice late nigris et hic supra et subter pilis longis nigris vestitis, pedibus anterioribus, qui sat robusti sunt, supra et subter saltem in femoribus et tibiis fascia longitudinali pilorum nigrorum munitis quoque; abdomine cylindrato-lanceolato, supra albo, fasciis duabus longitudinalibus fuscis in dorso ornato.* — ♂ ad. *Long. circa* 11 $^{1}/_{2}$ *millim.*

Syn.: 1877. *Sinis* (?) *Hasseltii*, Thor., Studî, *cet.*, I, Ragni di Selebes, *cet.*, loc. cit., pp. 6, 274, 310.
1879. *Viciria* » , Van Hass., Aran. exot. . . . ex ins. Celebes (Gorontalo), *in* Tijdschr. v. Entom., XXII, p. (4).

Mas. — *Cephalothorax* parum plus $^{1}/_{4}$ longior est quam latior, aeque longus ac tibia cum dimidia patella 1.^{i} paris, patellam + tibiam + $^{1}/_{4}$ metatarsi 4.^{i} paris longitudine circiter aequans, lateribus amplissime et praesertim posterius fortiter et breviter rotundatis (modo ante coxas 1.^{i} paris rectis) anteriora et posteriora versus sensim sat fortiter angustatus, in medio postice sat late truncatus, fronte leviter rotundata. Modice altus est: dorsum ipsum a latere visum ante oculos posticos — qui fere in medio ejus locum tenent — modice proclive paulloque convexum et inaequale est, pone hos oculos paullo declive et paene rectum, et limite sat evidenti a declivitate postica parum convexa, dimidium reliqui dorsi longitudine multo superanti et sat leviter (nullo modo praerupte) declivi distinctum. Clypei altitudo $^{1}/_{4}$ diametri oculi maximi aequare videtur. Arcus supra-ciliares oculorum posticorum sat debiles; impressio utrinque ante hos oculos fortis, impressio media inter eos levis, sulcus ordinarius sat tenuis, modice longus. *Oculi* non magni; linea anticos supra tangens recta est, vix sursum curvata; medii antici, qui contingentes sunt inter se et lateralibus circa duplo et dimidio majores, spatiis

sat parvis, dimidiam oculi lateralis diametrum non aequantibus, ab iis remoti sunt. Quadrangulus oculorum circa $^2/_5$ longitudinis cephalothoracis occupat; $^1/_4$ latior est quam longior fere, vix vel parum latior antice quam postice, et plus quadrupla oculi postici diametro angustior postice quam cephalothorax eodem loco. Oculi 2.ae seriei minuti multo, paene dimidio, longius ab oculis posticis quam a lateralibus anticis distant; oculi postici, laterales anticos magnitudine aequantes et plus diametro sua altius quam ii positi, spatio multo minore inter se remoti sunt quam quo a margine cephalothoracis distant. *Sternum* inverse sub-ovatum, coxis paullo latius; spatium inter coxas 1.i paris labii latitudinem aequat.

Mandibulae patellas anticas longitudine aequant, iis parum latiores; parallelae et paene directae sunt, sub-cylindratae, saltem duplo et dimidio longiores quam latiores, in dorso rectae, subplanae (immo magis versus apicem paullo impressae), subtiliter transversim striatae et pilis sparsae, intus rectae, extus versus basin sat leviter convexo-arcuatae, apice oblique rotundato-truncatae; sulcus unguicularis antice duobus dentibus est armatus, postice dente singulo sat forti. Unguis brevis est, modice et aequaliter curvatus. *Maxillae* paullo divaricantes; duplo longiores sunt quam latiores, labio saltem dimidio longiores, basi angustae, praeterea latae, ante labium intus sat breviter et oblique truncatae, apice oblique truncato quoque, angulis rotundatis, apice (ut in specie insequenti) magis extus paullo impresso, ita ut angulus apicis exterior tuberculum humile formare videatur; *labium* fere dimidio longius quam latius, versus apicem rotundato-acuminatum sensim angustatum. *Palpi* sat breves, non ita graciles, clava tibiis anticis angustiore; pars patellaris paene dimidio longior est quam latior, pars tibialis eà paullo brevior paulluloque angustior, paullo modo longior quam latior, paene cylindrata, apice spina brevi, forti, recta, in apice oblique truncato subtilissime crenulata, anteriora versus et foras directa armata, cujus longitudo diametro internodii evidenter brevior est. Pars tarsalis priores duas conjunctas longitudine aequat, iis saltem dimidio latior, circa dimidio longior quam

latior, anguste sub-ovata, apice late truncata, in latere interiore versus basin fortius quam in latere exteriore rotundata; bulbus humilis, laevis, paene circulatus, spina longa gracili cinctus. *Pedes* longiores, anteriores sat robusti, 4.[i] paris vero graciles; femora supra ad basin modo leviter convexo-arcuata sunt, tibiae et sequentia internodia cylindrata; tibiae 1.[i] et praesertim 4.[i] paris patellâ fere duplo sunt longiores, 2.[i] et 3.[ii] parium tibiae patellà saltem dimidio longiores; metatarsus 1.[i] paris, qui paullo incurvus videtur, tibiâ duplo angustior est, tarso duplo longior, cum tarso tibiâ non parum longior. Pilis longis hirsuti sunt pedes; femora (patellae) et tibiae anteriora supra et subter, ut metatarsi 1.[i] paris apice, « fimbriata » sunt (vid. *colorem*, infra). Femora aculeis sat multis (anteriora saltem 8 aculeis) armata; omnes patellae aculeum utrinque habent. Tibiae supra aculeis carent; tibiae anteriores subter aculeis sat longis 2. 2. 2. munitae sunt, 1.[i] paris praeterea 1. 1. utrinque, 2.[i] paris 1. 1. 1. utrinque. Metatarsi 1.[i] paris modo subter aculeos 2. 2. longos ostendunt, 2.[i] paris praeterea 1. 1. utrinque. Metatarsi posteriores secundum totam longitudinem aculeati. *Abdomen* cylindrato-lanceolatum, saltem triplo longius quam latius; ut cephalothorax pube densa tectum est et pilis longis sparsum. *Mamillae* superiores longae et cylindratae, art. 2.° paene aeque longo ac lato, ut videtur sub-conico; mamillae inferiores iis non parum crassiores et paullo breviores, conico-cylindratae, art. 2.° brevissimo, obtuso. Ut in formis duabus insequentibus mamillae inferiores cute pallida cum apice ventris unitae sunt, quae cribellum simulat; spiraculum transversum prope apicem ventris distinctissimum est.

Color. — *Cephalothorax* obscure fuscus dicendus, squamulis hujus coloris dense tectus; fascia latissima alba supra-marginali in lateribus et postice cinctus est, quae tamen in medio postice sat late est abrupta, apicibus antice usque ad oculos laterales anticos pertinenti et hic sensim angustata, margine cephalothoracis antice igitur late, posterius vero satis anguste fusco; in medio areae inter-ocularis macula magna vel plaga rotundata alba conspicitur. Tota pictura alba e pube densa formata est. Sub oculis posticis et paullo ante eos, ut et circum oculos laterales anticos

et in genis sub his oculis, ferrugineo- vel luteo-pubescens videtur cephalothorax, clypeo densissime albo-piloso et -pubescenti; annuli circum oculos medios anticos supra et extus pallide ferruginei sunt, praeterea albi. *Sternum* obscure testaceum. *Mandibulae* nigricantes, aeneum et cupreum colorem paullo sentientes: *maxillae* et *labium* picea. *Palpi* testaceo-fusci, pallido-pilosi, supra et extus praesertim in partibus femorali et patellari pube alba vestiti, parte tarsali quoque basi anguste albo-pubescenti, praeterea nigro-pilosa. *Pedes* anteriores testaceo-fusci, posteriores testacei; femora 1.ⁱ paris utrinque secundum longitudinem fascia lata nigricanti sunt notata, et metatarsi hujus paris apice late nigricantes sunt; pilis longis patentibus albicantibus et ad partem nigris sub-hirsuti sunt pedes, et pube alba et sub-ferruginea saltem ad partem vestiti. Patellae anteriores subter, femora et tibiae anteriora et subter et supra fasciâ pilorum nigrorum secundum longitudinem sunt munita, his pilis supra sat brevibus, subter longis: metatarsi anteriores in parte dimidia apicali eodem modo et supra et subter pilosi (« fimbriati ») sunt. Etiam in femoribus 3.ⁱⁱ paris subter vestigia fasciae pilorum ejusmodi brevium video. *Abdomen* supra fuscum, fascia media longitudinali lata alba secundum totum dorsum extensa, et fascia ejusmodi in utroque latere, superius, ornato: spatia fusca inter has fascias albas iis non vel parum latiora sunt, quare abdomen superius album dici potest, fasciis duabus longitudinalibus fuscis. Venter nigricans, ante rimam genitalem pallidus. (Abdominis pictura, ut cephalothoracis, e pube densa, qua undique vestitum est, pendet). *Mamillae* testaceo-fuscae.

Lg. corp. 11 $^1/_2$; lg. cephaloth. 5, lat. ej. 3 $^4/_5$, lat. front. 2; lg. abd. 6 $^1/_6$, lat. ej. paullo plus 2 millim. Ped. I 15 $^2/_3$, II 14 $^1/_2$, III 14 $^3/_4$, IV 13 $^1/_2$ millim. longi; pat. + tib. I 6, pat. + tib. III 4 $^1/_3$, pat. + tib. IV 4 $^1/_4$; metat. + tars. IV 4 $^1/_4$ millim. Mandib. 2 $^1/_4$ millim. longae.

Exemplum ex Celebes (Gorontalo), quod supra descripsi, ab amico Van Hasselt obtinui; secundum eum etiam in Amboina occurrit haec species.

325. **V. albo-limbata**, Sim., *cephalothorace in fundo sub-testaceo, anguste nigro-marginato, maculis* 4 *nigris in parte cephalica et fascia longitudinali nigra in declivitate postica notato, pube pallide flaventi et rubra munito; mandibulis parallelis, sub-cylindratis, sat longis et gracilibus; palpis brevioribus, in fundo sub-testaceis, parte tibiali aeque longa ac lata, parte tarsali sat lata et sub-ovata, obscuriore, basi pube pallida et rubra tecta; pedibus in fundo sub-testaceis, pedibus anterioribus in femoribus et patellis utrinque fascia longitudinali lata nigra signatis, tibiis horum pedum utrinque basi et apice nigris, metatarsis* 1.ⁱ *paris apice late nigris et hic supra et subter pilis longis nigris dense vestitis, femoribus, patellis et tibiis anterioribus subter fascia pilorum nigrorum breviorum munitis quoque; abdomine longissimo, sub-lanceolato, dorso sub-testaceo, lineis duabus longitudinalibus nigris secundum dorsum notato, quae lineae suam quaeque fasciam longitudinalem albicantem intus limitare videntur.* — ♂ ad. *Long. circa* 9 $^1/_2$ *millim.*

Syn.: 1885. *Viciria albo-limbata*, Sim., Arachn. recueillis par M. Weyers à Sumatra (1.er envoi), *in* Comptes-rendus de la Soc. Ent. de Belgique (1885), p. (4).

Mas. — Priori, *V. Hasseltii*, ♂, valde affinis est haec aranea, cephalothorace longiore et minus ample rotundato, cet., tamen facillime distinguenda. *Cephalothorax* circa $^1/_3$ longior est quam latior, paullo brevior quam tibia cum patella 1.ⁱ paris, aeque longus ac patella + tibia + $^1/_3$ metatarsi 4.ⁱ paris, a coxis 2.ⁱ paris lateribus paene rectis anteriora versus non parum (ante oculos posticos etiam paullo fortius) angustatus, pone has coxas lateribus fortiter rotundatis posteriora versus fortiter et sat breviter angustatus, in medio postice anguste truncatus, fronte leviter rotundata. Modice altus est cephalothorax, dorso a latere viso ante oculos posticos, qui non parum pone medium dorsi ipsius locati sunt, modice proclivi et parum convexo, pone eos ab oculis posticis usque ad marginem posticum sensim magis magisque, primum leviter, dein fortius (sed nullo modo praerupte) declivi et leviter convexo, limite inter dorsum ipsum et declivitatem posticam nullo. Arcus supra-ciliares oculorum posticorum bene expressi sunt, ut impressio transversa utrinque, inter eos

et oculos 2.^{ae} seriei; in medio inter oculos posticos impressio levis conspicitur, a qua sulcus gracilis sed non ita brevis retro ductus ut. Altitudo clypei $^1/_4$ diametri oculi maximi saltem aequare videtur. *Oculi* mediocres; linea anticos supra tangens recta est, vix sursum curvata; medii antici, inter se contingentes, lateralibus anticis circa duplo et dimidio majores sunt et ab iis spatiis sat parvis disjuncti. Quadrangulus oculorum saltem $^2/_5$ longitudinis cephalothoracis occupat; circa $^1/_4$ latior est quam longior, non parum (diametro oculi postici fere) latior antice quam postice, ubi saltem tripla, paene quadrupla diametro oculi postici angustior est quam cephalothorax eodem loco. Oculi 2.^{ae} seriei evidenter longius ab oculis posticis quam a lateralibus anticis distant; oculi postici lateralibus anticis paullo majores sunt et saltem diametro sua altius quam ii positi: spatium inter se distant, quod non parum minus est quam id, quo a margine cephalothoracis sunt remoti. *Sternum* inverse ovatum, coxis non parum latius; spatium inter coxas anticas labii latitudinem aequat.

Mandibulae deorsum et anteriora versus directae, parallelae, sat longae et graciles, patellas anticas longitudine aequantes, femoribus anticis paullo angustiores, circa duplo et dimidio longiores quam latiores, desuper visae paene cylindratae, apicem oblique truncatum versus sensim modo paullulo angustatae, in latere interiore et in dorso rectae, in latere exteriore versus basin levissime convexo-arcuatae: hoc latus costa tenui superius marginatum est, et ad basin, sub ea (ubi paullo magis sursum ducta est), callo longitudinali sat forti praeditum, ante quem paullo impressa videtur mandibula, si desuperne inspicitur; nitidissimae sunt mandibulae, subtilissime transversim striatae et saltem versus apicem pilis sparsae. Sulcus unguicularis ad angulum interiorem dentibus tribus mediocribus armatus est, duobus antice, singulo postice; unguis brevis, modice et aequaliter curvatus. *Maxillae* vix duplo longiores quam latiores et labio duplo longiores, basi angustae, ante labium latae, apice late et oblique rotundato-truncatae et, ut videtur, paullo impressae; *labium* paullo longius quam latius, apice rotundato-acuminato.

Palpi breves, non ita graciles, clava tibias anticas latitudine saltem aequanti; pars femoralis (praeter aculeos paucos breves) aculeum longum et fortem ad basin supra ostendit; pars patellaris paullo (vix dimidio) longior est quam latior, pars tibialis ejus latitudine, aeque longa et lata, paene cylindrata, ad apicem lateris exterioris spina obtusa, forti, recta, modo apice paullulo foras curvata ibique subtiliter denticulata, foras et anteriora versus directa armata, quae diametrum internodii longitudine vix vel non aequat. Pars tarsalis prioribus duabus conjunctis non parum longior est iisque duplo latior, vix duplo longior quam latior, sub-ovata, ipsa basi sub-truncata; in latere interiore, praesertim ad ipsam basin, fortiter rotundata est, in latere exteriore levius rotundata, apice obtuso sat brevi et angusto lateribus paene rectis sensim sat fortiter angustato. Bulbus sat brevis, humilis et laevis, paene circulatus, spina longa gracili circumdatus. *Pedes* sat longi, longitudine inter se parum discrepantes, posteriores (praesertim 4.^{i} paris) graciles, anteriores iis robustiores; femora praesertim ad basin supra paullo convexo-arcuata sunt, tibiae et sequentia internodia cylindrata; tibiae patellâ fere duplo sunt longiores (in pedibus 4.^{i} paris etiam paullo longiores); metatarsus cum tarso 1.^{i} paris tibiam cum dimidia patella longitudine paene aequat et metatarsus tarso fere duplo longior est. Patella 3.^{ii} paris longior et robustior est quam patella 4.^{i} paris. Aculeis multis et ad partem sat longis armati sunt pedes; femora anteriora 9 aculeos habent, omnes patellae aculeo utrinque munitae sunt. Tibiae posteriores etiam supra aculeum ostendunt; tibiae anteriores subter 2. 2. 2., antice et postice 1. 1. 1. aculeis armatae sunt, metatarsi anteriores subter 2. 2., et 2.^{i} paris praeterea 1 antice; metatarsi posteriores secundum totam longitudinem aculeati. Hic illic in pedibus remanent vestigia pubis rubrae et pallide flavae; praeterea nigropilosi sunt pedes et ad partem, praesertim subter, albicantipilosi et -pubescentes; femora, patellae et tibiae anteriora subter (an etiam supra, in exemplis non detritis?) fasciam pilorum densiorum nigrorum habent, in femoribus breviorum, in sequentibus internodiis longiorum: metatarsi saltem 1.^{i} paris

eodem modo, excepto basi late, et supra et subter pilis longis densis vestiti sunt. *Abdomen* anguste lanceolatum, circa triplo et dimidio longius quam latius. *Mamillae* longae, superiores cylindratae, valde angustae, art. 2.° aeque fere lato ac longo, sub-conico, inferiores crassiores, conico-cylindratae.

Color. — *Cephalothorax* in fundo sub-testaceus, anguste nigro-marginatus, utrinque in parte cephalica maculis duabus sat magnis nigris intus dilatatis notatus, quarum anterior oculos duos anteriores utriusque lateris conjungit, posterior oculum posticum cingit; praeterea fascia nigricans longitudinalis in declivitate postica conspicitur. Clypeus pube et pilis densis pallide flavis tectus est; in lateribus cephalothoracis remanent, in exemplo nostro detrito, vestigia pubescentiae pallide flavae, quae fasciam marginalem latissimam, in medio postice interruptam, verisimiliter formavit; vestigia pubescentiae rubrae sub oculis posticis video, ut et in genis, ubi haec pubescentia ad oculos anticos medios pertinet: praeterea hi oculi supra et intus pube rubra, infra et extus pube pallide flava cincti fuisse videntur, oculi vero laterales antici superius pube rubra, inferius pube flava. *Sternum* testaceum. *Mandibulae* nigricantes, basi late pallidiores. *Maxillae* et *labium* fusca. *Palpi* fusco-testacei, saltem ad magnam partem pube pallide flava et albicanti vestiti; pars tarsalis basi pube densa ejusmodi tecta est, ante quam vestigia pubescentiae rubrae ostendit, praeterea pilis pallidis et nigricantibus munita, in marginibus, praesertim apice et intus, dense nigro-pilosa. *Pedes* testacei, nigro- et pallido-pilosi, pilis illis densis et aculeis nigris; pedes anteriores utrinque fasciam latam nigram a coxis usque in basin tibiarum extensam ostendunt, et apex tibiarum eorum saltem utrinque sat late niger est: in pedibus 1.^{i} paris metatarsus quoque apice late est niger. Etiam in pedibus 3.^{ii} paris femora fasciam latam nigram secundum latus exterius sive anticum habent. *Abdominis* dorsum fusco-testaceum, fasciis duabus lateralibus sat latis albis, secundum totam longitudinem ejus extensis notatum, spatio interjecto anguste lanceolato saltem postice anguste nigro-marginato; latera abdominis sub fasciis illis albis sordide testacea videntur;

venter ejusdem coloris fere est, nigro-pubescens, ipso apice inaequaliter nigro; ante apicem ejus macula nigricans oblonga adesse videtur (?). *Mamillae* nigricantes, inferiores pallidiores.

Lg. corp. 9 $^1/_2$; lg. cephaloth. 4 $^1/_4$, lat. ej. 3, lat. front. 2 $^1/_4$; lg. abd. 5 $^1/_2$, lat. ej. 1 $^1/_2$ millim. Ped. I 12 $^1/_2$, II 10 $^3/_4$, III 12, IV 11 $^3/_4$ millim. longi; pat. + tib. I paene 4 $^2/_3$, pat. + tib. III 3 $^3/_4$, pat. + tib. IV 3 $^1/_2$; metat. + tars. IV 3 $^3/_4$ millim. Mandib. 1 $^2/_3$ millim. longae.

Viciriam albo-maculatam suam Cel. Simon ex Sumatra (Fort-de-Kock) obtinuit; aranea supra descripta valde detrita, quae ejusdem speciei haud dubie est, ea quoque in Sumatra (a Cel. Forbes) capta est. Rev. Cambridge eam mecum communicavit.

326. **V. terebrifera**, n., *cephalothorace sub-aeneo-nigro, fascia lata supra-marginali alba in lateribus et postice cincto, et fascia media longitudinali alba in area inter-oculari notato; palpis brevibus, in fundo sub-testaceis, parte tarsali obscuriore, lata, sub-ovata et sub-acuminata, parte tibiali transversa; pedibus in fundo sub-testaceis, femoribus anterioribus ad partem nigricantibus, patellis et tibiis anterioribus rufescentibus, subter nigro-pilosis; abdomine anguste sub-lanceolato, supra sub-aeneo-nigro et fascia media longitudinali angusta alba ornato, quae posterius utrinque profunde dentata est vel ex maculis retro fractis composita, ventre albo, linea media longitudinali nigra.* — ♂ ad. *Long. circa* 7 $^1/_3$ *millim.*

Mas. — Priori, *V. albo-limbatae*, ♂, sat similis, sed minor, et pedibus brevioribus, metatarsis anticis non fimbriatis, cet., distinguendus. — *Cephalothorax* $^1/_3$ longior quam latior, patellam + tibiam + dimidium metatarsum 1.ⁱ paris, et patellam + tibiam + $^1/_3$ metatarsi 4.ⁱ paris longitudine circiter aequans, desuper visus ab oculis posticis lateribus paene rectis anteriora versus sensim paullo angustatus, lateribus praeterea satis ample et fortiter rotundatis posteriora versus brevius angustatus, in medio postice minus late truncatus, fronte leviter rotundata. Minus altus est, parte cephalica supra transversim leviter convexa, dorso ipso a latere viso ante oculos posticos, qui fere in medio ejus locum tenent, modice proclivi et anterius paullulo

convexo, pone eos modice declivi et paene recto et in declivitatem posticam, dimidio dorsi ipsius multo longiorem, levissime convexam et leviter (non praerupte) declivem sensim transeunti. Arcus supra-ciliares oculorum posticorum et impressio inter eos et oculos 2.ae seriei bene expressa, impressio media inter vel potius paullo pone oculos posticos distinctissima quoque, sulcus ordinarius sat fortis et brevis. Altitudo clypei $^1/_4$ diametri oculi maximi saltem aequat. *Oculi,* mediis anticis exceptis, sat parvi dicendi; linea anticos supra tangens recta est; medii antici, inter se contingentes, lateralibus anticis saltem duplo et dimidio majores sunt et ab iis spatiis modo parvis remoti. Quadrangulus oculorum saltem $^2/_5$ longitudinis cephalothoracis occupat; circa $^1/_4$ latior est quam longior, vix latior antice quam postice, ubi plus tripla, paene quadrupla oculi postici diametro angustior est quam cephalothorax eodem loco. Oculi 2.ae seriei minuti non parum longius ab oculis posticis quam a lateralibus anticis distant; oculi postici, hos magnitudine aequantes et paene diametro sua altius quam ii positi, inter se spatio sunt remoti, quod parum minus est quam id, quo a margine cephalothoracis distant. *Sternum* inverse ovatum, coxis paullo latius; spatium inter coxas 1.i paris labii latitudinem aequat.

Mandibulae directae, parallelae, patellas anticas longitudine et latitudine paene aequantes, duplo longiores quam latiores, paene cylindratae, in dorso transversim et versus basin ad longitudinem quoque paullo convexae, subtiliter transversim striatae, pilosae, apice oblique truncatae; sulcus unguicularis in angulo interiore uno alterove dente munitus videtur; unguis brevis, basi sat fortis, aequaliter et sat fortiter curvatus. *Maxillae* parallelae vel parum divaricantes, fere duplo longiores quam latiores, labio paene duplo longiores, basi angustae, praeterea sat latae, intus ante labium oblique rotundatae, apice (extus) sat late et oblique truncatae et, ut videtur, impressione carentes; *labium* vix longius quam latius, apice late rotundato. *Palpi* breves, sat robusti, clava femoribus anticis paullo angustiore; pars patellaris aeque longa et lata est; pars tibialis eà paullulo angustior et non parum brevior, sub-transversa: in apice lateris exterioris

spina sat longa et forti, levissime sinuata (apice leviter incurva), anteriora versus et foras directa est armata, cujus longitudo diametrum ipsius internodii saltem aequat; in latere interiore brevissimo pilis longis munita est. Pars tarsalis prioribus duabus conjunctim fere duplo longior est, parte tibiali saltem duplo latior, vix duplo longior quam latior, sub-ovata, in latere interiore versus basin fortissime, in latere exteriore minus fortiter rotundata, a medio ad apicem sub-acuminatum lateribus rectis sensim sat fortiter angustata, penicillo parvo pilorum rectorum foras directo in margine exteriore, paullo ante apicem spinae partis tibialis, munita. Bulbus humilis, inaequalis, circulatus, spina longa gracili cinctus. *Pedes* breviores, anteriores sat robusti, postici sat graciles; pedes posteriores fere eadem longitudine sunt inter se, ut anteriores, quos longitudine superant. Femora supra leviter convexo-arcuata, tibiae cylindratae; tibia cum patella 3.ii paris vix vel parum longior quam tibia cum patella 4.i paris. Tibiae 4.i paris patellâ plus dimidio, paene duplo longiores sunt, reliquae tibiae patellâ circa dimidio longiores; metatarsi 1.i paris basi tibiâ fere dimidio angustiores, tarso non dimidio longiores, cum tarso tibiam cum dimidia patella longitudine aequantes. Tibiae et patellae anteriores subter densius et longius pilosae sunt; praeterea non « fimbriati » sunt pedes, qui dense pubescentes et modice pilosi videntur. Aculeis crebris sat longis armati sunt: femora saltem anteriora 9 aculeos habent, patellae omnes aculeum in utroque latere; tibiae modo posteriores etiam supra aculeum ostendunt; tibiae anteriores subter 2. 2. 2., antice et postice 1. 1. 1. aculeis armati sunt, metatarsi anteriores subter 2. 2., antice et postice 1. 1. aculeis; metatarsi posteriores secundum totam longitudinem aculeati. *Abdomen* longum et angustum, lanceolatum, paene quadruplo longius quam latius. *Mamillae* superiores longae et cylindratae, art. 2.° ut videtur sub-conico et aeque paene longo ac lato, inferiores iis non multo crassiores sed paullo breviores, paene cylindratae, art. 2.° paullo latiore quam longiore, obtuso. Pube et squamulis densis tectum et pilis longis sparsum est abdomen, ut cephalothorax.

Color. — *Cephalothorax,* squamulis et pube densissimis tectus, supra sub-olivaceo-niger est, in lateribus posticeque fascia lata ejusdem coloris, et supra eam fascia etiam paullo latiori alba cinctus, in parte cephalica vero fascia longitudinali alba ab oculis mediis posticis usque in medio inter oculos posticos ducta et apice postico truncata ornatus; utrinque, ad oculos anticos laterales, supra, lineam brevem crassam rufam ostendit, ad oculum medium anticum productam; praeterea annuli circum oculos medios anticos albi sunt, macula rufescenti extus, magis infra. Clypeus pilis longis albis vestitus est. *Sternum* testaceum, cum maxillis et labio pedibusque basi subter albo-sub-hirsutum. *Mandibulae* nigrae, albo-pilosae, apice pallidae; *maxillae* et *labium* nigricantia, apice testacea. *Palpi* flavo-testacei, parte femorali clariore, parte tarsali sub-fusca; albo-pubescentes et -pilosi sunt, vestigiis pubescentiae rubrae quoque in partibus patellari et tibiali; pars tarsalis in marginibus nigro-pilosa est, penicillo marginis exterioris nigro. *Pedes* testacei, femoribus versus apicem nigricanti-sub-maculatis, femoribus anterioribus in lateribus nigricantibus sive fascia lata nigricanti ibi munitis quoque; patellae, tibiae et basis metatarsorum pedum anteriorum cum apice tibiarum posteriorum paullo rufescentes sunt. Pube alba et rubra tecti et maculati fuisse videntur pedes, qui sat dense albo- et nigro-pilosi sunt, tibiis et patellis anterioribus subter pilis paullo longioribus sat densis nigris vestitis (sed vix « fimbriatis »), et femoribus anticis versus apicem supra breviter nigro-pilosis. *Abdomen,* pube et squamulis densissimis tectum, supra sub-olivaceo-nigrum est, fascia media alba per totam longitudinem dorsi extensa; quae fascia satis angusta est, posteriora versus sensim angustata et in parte posteriore (longiore) utrinque dentata, hic quasi e maculis circa 5 transversis et recurvis vel retro fractis composita, apice fasciae postico e macula ovata formato. Venter subtestaceus, dense albo-pubescens, fascia longitudinali media angusta nigra. *Mamillae* nigricantes.

Lg. corp. 7 $^1/_3$; lg. cephaloth. 3 $^1/_4$, lat. ej. paene 2 $^1/_2$, lat. front. paene 1 $^3/_4$; lg. abd. 4 $^1/_4$, lat. ej. 1 $^1/_3$ millim. Ped. I 7, II paene 7, III 8 $^1/_2$, IV saltem 8 $^1/_2$ millim. longi; pat. + tib.

I 2 3/4, pat. + tib. III 2 1/2, pat. + tib. IV 2 1/2; metat. + tars. IV 2 2/3 millim. Mandib. 1 millim. longae.

Exemplum masculum lustravi, a Cel. Beccari ad Ajer Mancior Sumatrae lectum.

327. **V. pallens**, Thor.

Syn.: 1877. *Viciria pallens*, Thor., Studi, *cet.*, I, Ragni di Selebes, loc. cit., p. 579 (239).

Mas singulus junior hujus speciei in Celebes ad Kandari captus est.

Gen. **Bathippus** (¹), n.

(= *Plexippus* (C. L. Koch) Thor., 1877-1881, *ad partem*).

Saltem postquam Cel. Keyserling, in Die Arachn. Austral., p. 1425 (1883), nomen *Plexippi*, C. L. Koch, Salticoidis quibusdam tribuit, in quibus tibia cum patella 4.i paris longior est quam tibia cum patella 3.ii paris, ut de hoc genere dixit ipse C. L. Koch (conf. quae de nomine *Plexippi* in his Stud., III, p. 501 monui), araneis, quas antea *Plexippos* vocavi, alia nomina dare necesse est. Equidem praefero, *Attum Paykullii*, Aud. *in* Sav., sive *Plexippum ligonem*, C. L. Koch, typum generis *Plexippi* statuere, ut jam loc. cit. dixi: neque intelligo, cur Keyserling hanc meam sententiam repudiaverit. Sed de hac re alii judicent. — Sub nomine *Bathippi* hic turmam illam generis « *Plexippi* » comprehendo, quam in his Stud., III, pp. 526-582 (n.is 265-282: *P. Montrouzieri*, Luc. — *P. latericius*, Thor.) descripsi, et quae haud dubie genus proprium formare potest, quum species illae *oculos 2.ae seriei longius ab oculis lateralibus anticis quam ab oculis posticis remotos* habeant, et (paene semper) metatarsum cum tarso 4.i paris longiorem quam tibiam cum patella ejusdem paris; quibus notis simul sumptis, ut et abdomine longo, pedibus gracilioribus, mandibularum forma et armatura insolita in maribus (in feminis paucis mihi cognitis

(¹) Βάθιππος est nom. propr. person.

mandibulae basi fortiter convexae sunt) a reliquis *Plexippis* meis, quorum plerosque nunc ad *Hasarium* (Sim.) refero (vid. infra, p. 413), affatim differunt.

B. (*Plexippum*) *macrognathum,* Thor., typum generis *Bathippi* eligo. C. L. Kochio nulla hujus generis species cognita fuisse videtur. Partem generis *Hylli,* Keys., hoc novum genus facile crediderim, nisi in formis *Hylli,* Keys., quae *Bathippis* nostris sat similes videntur (*H. tenuipede,* Keys., *H. barbipalpi,* id.), dixerat Cel. Keyserling, oculos 2.^{ae} seriei longius ab oculis posticis quam a lateralibus anticis distare. Typum generis *Hylli* *H. giganteum,* C. L. Koch, statuendum vellem. — Quum fere 19 *Bathippi* species diversae ex Austro-Malesia (et Cape York) descriptae fuerint, modo *unam, B. macilentum,* n., ex Indo-Malesia cognovi (praeter pullulum alius, ex Ajer Mancior Sumatrae).

328. **B. macilentus,** n., *cephalothorace in fundo pallide ferrugineo, saltem secundum medium pube flava vestito; palpis longis et gracilibus, flavo-testaceis, clava obscuriore; pedibus ferrugineis, basi et apice cum basi tibiarum sat late testaceis; abdomine duplo et dimidio longiore quam latiore, sub-testaceo, ordinibus duobus macularum majorum nigrarum* (*vel fasciis duabus inaequalibus nigris*) *secundum medium totius dorsi extensis ornato, ventre secundum medium nigro; mandibulis anteriora versus et deorsum directis, paene usque a basi valde divaricantibus, sat gracilibus, dimidio cephalothorace longioribus, circa triplo longioribus quam latioribus, in medio cylindratis, dorso in formam* ⌒ *leviter sinuato, intus prope apicem, ad basin unguis, superius, dente sat forti profunde bifido et sub eo, infra, alio dente armatis, versus basin vero subter dente sat forti praeditis; ungui mandibulae longissimo, sat gracili, basi et apice incurvo, in medio leviter sinuato.* — ♂ ad. *Long. circa* 9 $^1/_2$ *millim.*

Mas. — *Cephalothorax* circa $^1/_3$ longior quam latior, paullo brevior quam tibia 1.^{i} paris, non parum longior quam tibia cum patella 4.^{i} paris, usque a coxis 2.^{i} paris anteriora versus lateribus modo levissime rotundatis sensim non parum (ante

oculos posticos etiam paullo fortius) angustatus, pone coxas illas lateribus modice rotundatis fortius et sat breviter posteriora versus angustatus, postice sat late truncatus et in medio sub-retusus, fronte levissime rotundata. Modice altus est cephalothorax, dorso a latere viso ante oculos posticos, qui paullo pone medium dorsi ipsius locati videntur, modice proclivi et inaequali sed vix convexo, dorso pone hos oculos satis aequaliter convexo, primum modice, dein fortius (sed non praerupte) declivi, limite inter dorsum ipsum et declivitatem posticam vix ullo; clypeus directus, altitudine $^1/_4$ diametri oculi maximi vix aequanti. Arcus supraciliares oculorum posticorum bene expressi et ampli, ita ut cephalothorax inter hos oculos excavatus evadat, et utrinque, inter oculum posticum et oculum 2.ae seriei, sat profunde impressus; etiam ante hunc oculum paullo impressus est cephalothorax, qui inter et paullo pone oculos posticos sulcum ordinarium sat fortem non brevem ab impressione recurva retro ductum ostendit. *Oculi*, seriei 2.ae exceptis, valde magni sunt, praesertim medii antici, qui contingentes sunt inter se, lateralibus anticis plus duplo, fere duplo et dimidio, majores, et ab iis spatiis modo parvis ($^1/_4$ diametri oculi lateralis non aequantibus) remoti. Series oculorum antica fortiter sursum curvata est: linea recta margines superiores mediorum tangens laterales in centro secat. Quadrangulus oculorum vix $^2/_5$ longitudinis cephalothoracis occupat; non parum (circa diametro oculi singuli postici) latior est antice quam postice, fere $^1/_4$ latior antice quam longior, et paullo plus dupla oculi postici diametro angustior postice quam cephalothorax eodem loco. Oculi 2.ae seriei parvi evidentissime longius ab oculis lateralibus anticis quam a posticis oculis remoti sunt. Oculi postici, lateralibus anticis paullo minores et diametro sua altius quam ii locati, inter se spatio sunt remoti, quod multo minus est quam id, quo a margine cephalothoracis distant. *Sternum* inverse ovato-ellipticum, saltem dimidio longius quam latius, coxis etiam 1.i paris latius; spatium, quo separati sunt hae coxae, labii latitudinem superat.

Mandibulae oblique anteriora versus et deorsum directae, paene usque a basi ad rectos angulos divaricantes, femoribus 1.i paris

fere dimidio latiores, dimidio cephalothorace paullo longiores, saltem triplo longiores quam latiores, in medio cylindratae, apice praesertim supra sensim rotundato-angustatae, basi intus angustatae quoque: in dorso leviter in formam litterae ∽ curvatae sunt (versus basin leviter concavo-arcuatae, dein, in $^1/_3$ longitudinis fere, fortius convexo-arcuatae, apice truncatae; subter, basi excepta, paene rectae sunt. Intus, ad angulum apicis interiorem, non procul a basi unguis (supra), dente sat forti profunde bifido vel potius dentibus duobus inter se proximis, deorsum et paullo anteriora versus directis armatae sunt, quorum posterior anteriore major est et acuminatus, anterior obtusus; sub iis, id est subter et magis extus, versus basin unguis (subter), alio dente paullo minore, complanato et apice truncato munitae sunt, qui in medio dente minuto est auctus; versus basin subter dentem conicum acuminatum sat fortem, deorsum, anteriora versus et paullo intus directum habent. Unguis mandibulâ parum brevior, sat gracilis, basi fortiter et apice levius incurvus, praeterea paene rectus, in medio tamen paullo sinuatus: a basi ad circa $^2/_5$ longitudinis (basi excepta) paene cylindratus et rectus est, tum subito paullulo angustatus et parum foras curvatus, parte reliqua primum paene cylindrata et recta, dein sensim angustata et incurvata. *Maxillae* paullo divaricantes, paullulo foras curvatae, plus duplo longiores quam latiores et labio plus duplo longiores, apice leviter rotundatae. *Labium* paullo longius quam latius, apicem rotundatum versus parum angustatum. *Palpi* longi et graciles, clava tibiam 1.[i] paris latitudine fere aequanti; pars femoralis fortiter deorsum curvata est, pars patellaris saltem duplo et dimidio longior quam latior; pars tibialis eâ non parum longior et paullo angustior est, plus quadruplo longior quam latior, ut partes priores paene cylindrata: in apice lateris exterioris spina recta sub-acuminata anteriora versus et foras directa est armata, quae diametrum partis tibialis longitudine aequat. Pars tarsalis partem tibialem longitudine fere aequat, eâ circa dimidio latior, plus triplo longior quam latior, anguste ovato-lanceolata, apice longo: bulbus humilis, laevis, paullo longior quam latior, semi-ellipticus fere,

antice angulis rotundatis late truncatus et, in medio, emarginatus, et hic spina longa gracillima in helicem parvam convoluta auctus. *Pedes* longi et gracilis, 1.^{i} paris reliquis paullo crassiores, 4.^{i} paris reliquis non parum graciliores, femoribus tibiisque rectis et cylindratis, patellis tibiâ circa triplo brevioribus et praesertim in pedibus anterioribus, ubi sub-inflatae sunt, non parum crassioribus, metatarsis (longissimis) et tarsis gracillimis; ut palpi pilis longioribus sed non densis vestiti fuisse videntur pedes, pilis densis brevibus fasciam angustam supra in femoribus et patellis 1.^{i} paris formantibus; patellae anteriores cum tibiis 1.^{i} paris subter pilis densis longioribus vestitae sunt. Patellae posteriores aculeum utrinque habent; tibiae supra aculeo carent; subter tibiae anteriores (vel saltem 1.^{i} paris) aculeis 2. 2. 2., antice et postice 1. 1. aculeis longis et sat gracilibus armatae sunt, metatarsi anteriores subter 2. 2., antice et postice 1. 1. aculeis ejusmodi. Metatarsi posteriores secundum totam longitudinem sunt aculeati. *Abdomen* anguste lanceolatum, circa duplo et dimidio longius quam latius. *Mamillae* longae, inferiores sub-conico-cylindratae et reliquis, qui gracillimae et cylindratae sunt, multo crassiores; art. 2.^{s} superiorum conicus videtur et saltem aeque longus ac latus.

Color. — *Cephalothorax* in fundo pallide ferrugineus, postice paullo pallidior, arcubus supra-ciliaribus oculorum posticorum et macula parva utrinque, ad oculos 2.^{ae} seriei, intus, sita, nigris; in nostro exemplo, quod valde detritum videtur, secundum medium, a fronte usque ad declivitatem posticam (praesertim late anterius in area inter-oculari) pube tenui flava vestitus est, inter oculos utriusque lateris et sub iis rufo-pubescens, oculis posticis pube rufa cinctis, annulis circum oculos anticos medios luteo-rufis, intus supra flavis. *Sternum* testaceum. *Mandibulae, maxillae* et *labium* ferrugineo-testacea. *Palpi* flavo-testacei, nigro-pilosi, clava fusca. *Pedes* rufo-ferruginei (patellis et tibiis 1.^{i} paris magis piceis), nigro-pilosi, coxis et trochanteribus cum basi femorum (anteriorum angustius, posteriorum latius) testaceis, basi tibiarum quoque sat late testacea; metatarsi et tarsi pallidiores, ferrugineo-testacei fere, praesertim in pedibus posterioribus: tarsi

horum pedum testacei sunt. *Abdomen* in fundo sub-testaceum videtur, ordinibus duobus longitudinalibus macularum paucarum nigrarum satis magnarum et inter se plus minus evidenter conjunctarum secundum medium totius dorsi extensis notatum; quae maculae igitur duas fascias inaequales formare videntur, antice spatio sat magno, postice vero spatio modo parvo disjunctas. Venter secundum medium, saltem posterius, niger est; *mamillae* superiores nigrae, inferiores pallidiores.

Lg. corp. $9\,^1/_2$; lg. cephaloth. $4\,^1/_2$, lat. ej. $3\,^1/_2$, lat. front. $2\,^1/_2$ millim.; lg. abd. 5, lat. ej. 2 millim. Ped. I $19\,^1/_2$, II $12\,^1/_2$, III $18\,^1/_4$, IV 12 millim. longi; pat. + tib. I paullo plus 7, pat. + tib. III $5\,^3/_4$, pat. + tib. IV $3\,^3/_4$; metat. + tars. IV 5 millim. Mandib. $2\,^2/_3$ millim. longae.

Exemplum singulum detritum et sub-corrugatum lustravi, a Cel. Beccari ad Sungei Bulu Sumatrae captum.

Gen. **Carrhotus** (1), n.

Cephalothorax altus, longiore spatio posteriora versus quam anteriora versus sensim angustatus, clypei altitudine dimidiam oculi maximi diametrum circiter aequanti.

Quadrangulus oculorum brevissimus et latissimus, modo circa $^1/_4$ longitudinis cephalothoracis occupans et circa duplo latior quam longior, latior postice quam antice et postice non multo angustior quam cephalothorax eodem loco. Linea margines superiores oculorum anticorum tangens leviter sursum curvata est; spatium inter oculos anticos medios et laterales horum diametro non multo est minus. Oculi 2.^{ae} seriei longius ab oculis posticis quam a lateralibus anticis distant; oculi postici vix vel non longius a margine cephalothoracis quam inter se remoti sunt.

Mandibulae sub-directae, mediocres.

Maxillae parallelae vel paullo divaricantes, labio fere duplo longiores; labium paullo longius quam latius, apice truncatum.

Pedes breviores et sat robusti, saltem in ♂ ita: I, III, II,

(1) Κάῤῥωτος est nom. propr. person.

IV longitudine se excipientes; pedes 3.ii paris pedibus 4.i paris modo paullo longiores sunt; tibia cum patella 3.ii paris tibiam cum patella 4.i paris longitudine superat; metatarsus cum tarso 4.i paris brevior est quam tibia cum patella ejusdem paris.

Abdomen sub-ovatum.

Mamillae breviores; art. 2.s superiorum obtusus, vix latior quam longior.

Typus: *C. viduus* (C. L. Koch).

Ab *Hasario* (Sim.) nob., cui hoc genus praesertim affine est, facile dignoscitur quadrangulo oculorum latissimo et brevissimo, non $^1/_3$ longitudinis cephalothoracis occupanti, ut et spatiis magnis inter oculos anticos medios et laterales; a *Zenodora*, Peckh. (= *Ephippo*, Thor. (1)), praeter quadrangulo oculorum brevissimo et latissimo, genis vix inflatis, serie oculorum antica levius sursum curvata, pedibus 3.ii paris pedes 4.i paris longitudine modo paullo superantibus, cet., discrepat.

329. **C. viduus** (C. L. Koch), *cephalothorace in fundo piceo, vitta transversa recurva alba per clypeum ducta et fasciis duabus brevibus latis albis postice in parte thoracica ornato; palpis pedibusque piceis; abdominis dorso in fundo piceo, cingulo albo sat lato undique cincto.* — ♂ ad. *Long. circa* 7 $^1/_3$ *millim.*

Syn.: 1846. *Plexippus viduus*, C. L. Koch, Die Arachn., XIII, p. 101, Tab. CCCCXLIX, fig. 1166.
1846. » *albo-lineatus*, id.. ibid , p. 105, Tab. CCCCXLIX, fig. 1167.

Mas. — *Cephalothorax* paene dimidio longior quam latior, parum longior quam tibia cum patella 1.i paris, et paullo brevior quam patella + tibia + metatarsus 4.i paris; formâ satis insolitâ est, modo brevi spatio (ante oculos posticos, apud quos latera rotundata sunt) et lateribus paene rectis anteriora versus sensim sat fortiter angustatus, praeterea vero usque ab his oculis, i. e. secundum circa $^3/_4$ longitudinis, posteriora versus sensim angustatus, primum lateribus rectis levius, dein (spatio paullo breviore) lateribus leviter rotundatis fortius; postice truncatus est

(1) *Ephippus*, Cuv., 1829 [Pisces].

et in medio retusus, antice circa duplo latior quam postice, fronte modo levissime rotundata. Antice latus, postice vero angustus igitur est cephalothorax; valde altus est, dorso ipso ante oculos posticos, qui longissime ante medium ejus locum tenent, fortiter (antice immo fortissime) proclivi, pone hos oculos sat fortiter declivi, paene recto (vix convexo) et in declivitatem posticam sat praeruptam, rectam vel modo levissime concavatam et ipso dorso non ita multo breviorem satis abrupte transeunti. Clypei altitudo dimidiam oculi maximi diametrum circiter aequare videtur. Arcus supra-ciliares oculorum posticorum humillimi, vix ulli dicendi; elevationes duae antice in area inter-oculari, inter et ad oculos anteriores utriusque lateris sitae, omnium humillimae quoque; fovea ordinaria media parum pone oculos posticos posita parva est, sulco medio brevissimo sed profundo; pone eum, versus declivitatem posticam, tres sulci radiantes minus distincti conspiciuntur. *Oculi* parvi; medii antici, inter se contingentes, fere triplo majores sunt quam laterales antici, et ab iis spatiis remoti, quae diametro oculi lateralis modo paullo minora sunt; linea recta medios anticos supra tangens laterales anticos paullo sub margine superiore secat. Quadrangulus oculorum brevissimus, parum plus $^1/_4$ longitudinis cephalothoracis occupans; evidentissime latior est postice quam antice, duplo latior quam longior, et parum plus oculi singuli postici diametro angustior postice quam cephalothorax eodem loco. Oculi 2.ae seriei minuti multo, saltem dimidio, longius ab oculis posticis quam a lateralibus anticis distant; oculi postici, laterales anticos magnitudine saltem aequantes, et paene dupla diametro sua altius quam ii positi, saltem aeque longe inter se atque a margine cephalothoracis distant. *Sternum* angustum, coxis parum latius, ovato-ellipticum fere; spatium inter coxas 1.i paris labii latitudinem aequat.

Mandibulae sat fortes, paene directae et parallelae, modo apice paullo divaricantes, patellas 1.i paris longitudine aequantes sed iis saltem dimidio latiores, plus dimidio, paene duplo longiores quam latiores; sub-cylindratae sunt, latere interiore recto, latere exteriore vero sat leviter convexo-arcuato, excepto

apice, qui paullo foras est curvatus. Apice intus oblique et valde late truncatae sunt mandibulae et hic costâ rectâ marginatae, apud quam dorsum mandibulae intus in formam trianguli fere ita est impressum, ut certo situ a basi ad apicem sensim angustatum videatur; praeterea dorsum transversim modice et, ad basin, ad longitudinem paullo convexum est, transversim striato-rugosum, sub-nitidum, parcius pilosum. Sulcus unguicularis angustus tres dentes mediocres ostendit: duos antice, ad angulum interiorem sitos, singulum, fere medium, postice. Unguis longus, intus directus, basi (paene ad medium) extus vel subter incrassatus, tum subito paullo angustior et paullo fortius curvatus. *Maxillae* paullulo divaricantes, fere duplo longiores quam latiores et labio duplo longiores, apice intus oblique truncato-rotundato, apice extus parum oblique truncato et modo levissime rotundato; *labium* paullo longius quam latius, apice truncatum. *Palpi* mediocres, clava parva, metatarsum 1.[i] paris vix vel parum latitudine superanti, pilis sat densis longis vestiti; pars patellaris paullo plus dimidio longior est quam latior, pars tibialis eâ paullulo brevior, cylindrata, fere dimidio longior quam latior, apice lateris exterioris spina breviore sat forti et acuminata paulloque deorsum curvata armato, quae diametro partis tibialis paullo brevior est et anteriora versus et foras paulloque deorsum dirigitur. Pars tarsalis parte tibiali plus dimidio longior sed modo paullulo latior est, vix triplo longior quam latior, in lateribus modo leviter rotundata, apice obtusissimo, sub-truncato. Bulbus genitalis oblongus, humilis, inaequalis, ipso apice antico in spinulam brevem excurrenti. *Pedes* breviores, anteriores sat robusti, subter pilis sat longis dense vestiti, posteriores, praesertim 4.[i] paris, graciliores et versus basin subter sub-hirsuti; etiam praeterea sat dense pilosi et pubescentes sunt pedes. Femora 1.[i] paris supra sat fortiter convexo-arcuata sunt, tibiae ejusdem paris cylindratae et fere 4.plo longiores quam latiores, metatarsi tibiâ circa dimidio angustiores, paene cylindrati, tarso paene dimidio longiores, cum tarso tibiâ paullo longiores. Tibiae 1.[i] paris patellâ circa dimidio, tibiae 4.[i] paris patella paullo, reliquae tibiae patella non vel

parum longiores sunt. Aculei femorum longi et setis sub-similes; patellae omnes aculeum in utroque latere habent. Tibiae posteriores etiam supra aculeum ostendunt; tibiae anteriores subter aculeis 2. 2. 2. (?), ad partem pilis absconditis, antice et postice 1. 1. 1. aculeis sunt instructi; metatarsi anteriores subter 2. 2., antice et postice 1. 1. aculeis. Metatarsi posteriores ad apicem, basin et medium aculeati sunt. *Abdomen* angustius ovatum, apice sub-acuminatum. *Mamillae* sat breves, inferiores breviores sed vix crassiores quam superiores, quarum art. 2.[s] obtusus et aeque longus ac latus videtur.

Color. — *Cephalothorax* in fundo nigro-piceus, fascia brevi lata sub-rhomboidea e pube densa alba formata utrinque in parte thoracica, postice, ornato, quae fasciae oblique a dorso ad marginem lateralem ductae sunt et spatium sive vittam latam saltem in declivitate postica dense olivaceo-nigro-pubescentem inter se relinquunt; clypeus is quoque pube densissima alba tectus est, hac pube fasciam sat latam formanti, quae utrinque in genas usque sub oculos 3.[ii] paris producitur; supra hanc vittam, sub oculis utriusque lateris, ut inter oculos anticos et oculos laterales, pube ferruginea vestitus est cephalothorax, annulis circum oculos illos ejusdem coloris (annulis circum medios infra albicantibus). Dorsum cephalothoracis in exemplo nostro detritum est; in fovea ordinaria media vestigia pubescentiae albicantis video. *Sternum* et *partes oris* picea, maxillae apice pallidiores, sternum albicanti-hirsutum. *Palpi* picei, nigro-pilosi. *Pedes* ferrugineo-picei, femoribus et tibiis anterioribus colorem cyaneum paullulo sentientibus, cum apice metatarsorum magis nigris; posteriores pedes quoque femora, patellas et tibias ad partem, praesertim subter, nigricantia habent. Pilis longioribus nigris, praesertim subter in pedibus anterioribus densis et longis, ut et pube sub-ferruginea vestiti sunt pedes, subter in femoribus et coxis albicanti-hirsuti. Patellae 1.[i] paris subter dense albo-pubescentes vel -pilosae sunt. *Abdomen* in fundo nigro-piceum est, dorso fascia sat lata alba e pube densa formata utrinque cincto, his fasciis antice inter se conjunctis, usque ad anum pertinentibus et aream dorsualem ovato-lanceolatam nigram,

pube densa olivaceo-nigra vestitam includentibus. Latera abdominis pube cinereo-ferruginea vestita sunt; venter fuligineus, sub-olivaceo-pubescens. *Mamillae* piceae.

Lg. corp. 7 $^1/_3$; lg. cephaloth. paullo plus 3 $^1/_2$, lat. ej. 2 $^3/_4$, lat. front. 2 $^1/_3$; lg. abd. 3 $^4/_5$, lat. ej. 2 $^1/_4$ millim. Ped. I 8 $^1/_2$, II 7, III 7 $^1/_5$, IV 6 $^1/_4$ millim. longi; pat. + tib. I 3 $^1/_2$, pat. + tib. III 2 $^4/_5$, pat. + tib. IV 2 $^1/_2$; metat. + tars. IV 2 $^1/_3$ millim.

Exemplum singulum masculum in ins. Java inventum vidi, a Cel. Van Hasselt dono mihi datum. — Satis verisimile mihi videtur, marem hic a me descriptum ad *Plexippum viduum*, C. L. Koch, (ex Java et Bintang) referendum esse; *P. albolineatum*, id., (ex Java) feminam « *P. vidui* » credo.

Gen. **Bindax** (1), n.

Cephalothorax altus, non parum longior quam latior, ab oculis posticis anteriora versus modo paullulo angustatus, dorso ipso ad longitudinem convexo, impressione inter oculos posticos et sulco brevi in hac impressione praeditus; declivitas postica valde praerupta, paene recta (non concavo-arcuata), dorso ipso paullo brevior; altitudo clypei saltem $^1/_3$ diametri oculi maximi aequat.

Quadrangulus oculorum $^1/_3$-$^2/_5$ longitudinis cephalothoracis occupat; circa $^1/_4$ latior est quam longior, evidenter paullo latior antice quam postice, ubi non parum angustior est quam cephalothorax eodem loco. Series oculorum anticorum leviter sursum est curvata; laterales horum oculorum spatio parvo a mediis remoti sunt. Oculi 2.æ seriei evidenter longius ab oculis lateralibus anticis quam a posticis oculis distant; oculi postici multo altius quam laterales antici locati sunt et circiter aeque longe inter se atque a margine cephalothoracis remoti.

Sternum breve, coxis latius.

Mandibulae mediocres, directae, neque in mare modo insolito armatae, neque in femina basi fortissime geniculato-convexae.

(1) Βίνδαξ est nom. propr. masc.

Maxillae breviores, parallelae, apicem rotundatum versus fortiter dilatatae, labio saltem dimidio longiores.

Labium paullo longius quam latius, apicem rotundatum versus sensim paullo angustatum.

Pedes crassitie et longitudine mediocribus, ita: III, I, IV, II (II, IV) longitudine se excipientes, anteriores posterioribus paullo robustiores; tibia cum patella 3.ii paris non parum longior est quam tibia cum patella 4.i paris, metatarsus cum tarso 4.i paris non vel modo paullo longior quam tibia cum patella hujus paris. Aculeis sat crebris armati sunt pedes; metatarsi 4.i paris non tantum apice aculeati.

Abdomen sub-ovatum; mamillae breviores.

Typus: *B. chalcocephalus* (Thor.).

Hujus generis typum ad gen. *Habrocestum*, Sim., retulissem, nisi de hoc genere dixerat Cel. Simon: « Les *Habrocestum* ressemblent beaucoup aux *Aelurops* par leur faciès et leur coloration »; quae non in nostram araneam cadunt; neque est in ea sternum « plus étroit que les hanches intermédiaires ». Species contra, quae ad gen. *Habrocestum* refert Cel. Keyserling in Die Arachn. Austral., nescio an *Bindaci* nostro sint subjungendae, saltem ad partem. — *B. chalcocephalus* (Thor.) ad formam in universum *Hasariis* typicis simillimus est, sed cephalothorace postice magis praerupto, oculis 2.ae seriei longius ab oculis lateralibus anticis quam a posticis oculis remotis (ut in *Bathippo*, n.), pedibus 3.ii paris 4.i paris pedes longitudine multo superantibus (ut in *Zenodora*, Peckh., sive *Ephippo*, Thor.), et metatarsis anterioribus paribus *tribus* aculeorum subter armatis facile ab *Hasario* dignosci potest; a *Bathippo* mandibularum formâ ordinariâ, pedibus robustioribus et abdomine breviore discrepat, a *Zenodora* genis non inflatis, serie oculorum anticorum modo leviter sursum curvata, cet.

330. **B. chalcocephalus** (Thor.).

Syn.: 1877. *Plexippus chalcocephalus*, Thor., Studi, *cet.*, I, Ragni di Selebes, loc. cit., p. 613 (273).

Species ad Kandari in ins. Celebes inventa. — In hac specie mandibularum sulcus unguicularis intus dentibus 5 parvis mu-

nitus est, duobus (in mare praesertim minutis) antice, tribus postice.

Gen. **Hasarius** (Sim.), 1870.

(= *Plexippus*, Thor., 1877-1881, *ad partem*).

In formis, quas gen. *Hasario* hic adscribo, quadrangulus oculorum $^1/_3$-$^2/_5$ longitudinis cephalothoracis alti (vel, excepto in *H. testaceo*, saltem non humilis) occupat, et aut rectangulus est, aut parum latior antice quam postice (modo in *H. Simonis* et in *H. testaceo* fortasse paullulo latior est postice quam antice), et non multo, plerumque non ultra dupla diametro oculi postici, angustior postice quam cephalothorax eodem loco. Abdomen brevius est, non plus duplo longius quam latius, pedes breves vel mediocri longitudine et sat robusti, tibia cum patella 3.ii paris saltem in mare aeque longa ac vel longior quam tibia cum patella 4.i paris, et metatarsus cum tarso 4.i paris plerumque brevior vel saltem non longior quam hujus paris tibia cum patella. — *H. Simonis*, n., et *H. Workmanii*, n., cum *H. Adansonii* (Aud. *in* Sav.), formâ hujus generis typicâ, notis genericis omnibus convenire videntur: reliquae hic descriptae species a typo plus minus aberrant, ita ut ad genera diversa relatae fuerint vel referri possint. Sed notae paene omnes, quibus suffulti scriptores genera in Salticoidis ordinariis (i. e. plerisque!) creaverunt, adeo sunt vacillantes, visu difficiles et incertae valoris, ut obscura et artificiosa fiant haec genera necesse sit. (Conf. haec Stud., II, pp. 246 et 247).

331. **H. scylax**, n., *cephalothorace in fundo nigro, flaventi-pubescenti, fascia media longitudinali pallidiore albicanti-pubescenti in parte thoracica et macula magna sub-triangula flaventi-alba in utroque latere hujus partis ornato; palpis longis, flavo-testaceis, apice fuscis, parte tibiali apice spinis tribus porrectis nigris sat fortibus armata; pedibus flavo-testaceis, nigro-annulatis,* 1.i *paris ad maximam partem piceis; abdomine angustius ovato, supra nigro, fascia media longitudinali pallidiore plus minus distincta notato,*

quae fascia utrinque lineâ sub-flexuosâ cinereo-albâ limitatur, lateribus abdominis antice fascia inaequali pallida notatis. — ♂ ad. *Long. circa* 5 $^3/_4$ *millim.*

Mas. — *Cephalothorax* fere $^1/_3$ longior quam latior, paullo brevior quam tibia cum patella 1.ⁱ paris, patellam + tibiam + $^3/_4$ metatarsi 4.ⁱ paris longitudine circiter aequans, lateribus in medio paene rectis et parallelis, ante oculos posticos vero leviter rotundatis anteriora versus sensim paullo angustatus, posterius lateribus ample et fortiter rotundatis posteriora versus angustatus, postice breviter truncatus et sub-retusus. Altus valde est cephalothorax, dorso ipso modice convexo et ante oculos posticos, qui longe pone medium ejus locum tenent, primum leviter, dein (antice) fortiter proclivi, pone eos vero sat fortiter declivi et in declivitatem posticam satis praeruptam, parum convexam, paene rectam et longissimam (dorso ipso non multo breviorem) satis abrupte transeunti. Clypei altitudo $^1/_3$ diametri oculi maximi paene aequare videtur. Arcus supra-ciliares oculorum posticorum alti sunt, ita ut cephalothorax inter oculos posticos paullo excavatus evadat; elevatio ordinaria inter oculos anteriores utriusque lateris, magis intus, sita distinctissima est. Impressio media paullulo pone oculos posticos satis ampla et fortis, sulcus in ea sat brevis et profundus. *Oculi* magni, antici omnes inter se contingentes; linea recta medios anticos — qui lateralibus anticis duplo majores sunt — tangens hos oculos fere in medio inter marginem superiorem et centrum secat. Quadrangulus oculorum saltem $^2/_5$ longitudinis cephalothoracis occupat; circa $^1/_3$ latior est quam longior, non parum latior antice quam postice, et paene dupla oculi postici diametro angustior postice quam cephalothorax eodem loco. Oculi 2.ae seriei in medio inter oculos laterales anticos et oculos posticos locum tenent, non evidenter longius ab illis quam ab his remoti; oculi postici, lateralibus anticis vix minores, plus diametro sua altius quam ii locati sunt; spatium, quo inter se distant, non parum minus est quam id, quo a margine cephalothoracis sunt remoti. *Sternum* brevius et inverse ovatum, antice truncatum, coxis multo latius; spatium inter coxas 1.ⁱ paris labii latitudinem superat.

Mandibulae directae, parallelae, sat fortes et latae, altitudinem faciei et patellas 1.[i] paris longitudine circiter aequantes, his patellis duplo latiores, paene dimidio longiores quam latiores, ipsa basi extus rotundato-angustata, latere exteriore praeterea paene recto, modo in medio paullo emarginato, latere interiore recto; apice late et valde oblique truncatae et sub-emarginatae sunt, dorso modo leviter ad longitudinem et transversim convexo, sat fortiter transversim rugoso, sub-opaco. Sulcus unguicularis antice, in angulo interiore, dentibus mediocribus duobus armatus est, postice vero, versus angulum illum, dente ejusmodi singulo; unguis longus, basi incrassatus, aequaliter et modice incurvus. *Maxillae* paullo divaricantes, plus duplo longiores quam latiores, labio duplo longiores, latere exteriore recto, intus ante labium oblique rotundato-truncatae, apice transversim truncato-rotundato; *labium* paullo longius quam latius, apicem truncatum versus sensim paullo angustatum. *Palpi* longi, sat graciles, clava patellas anticas latitudine fere aequanti, modice pilosi, aculeis, ut videtur, carentes. Pars patellaris circa dimidio longior est quam latior; pars tibialis eâ paene duplo brevior et paullo latior est, aeque lata ac longa, sub-obliqua, apice in spinas tres sat fortes porrectas producto: exteriorem (in apice lateris exterioris sitam) et duas superiores (mediam et interiorem). Pars tarsalis prioribus duabus conjunctis non parum longior est et iis paene dimidio latior, circa triplo longior quam latior, oblique sub-lanceolata fere, latere interiore leviter sinuato (versus basin leviter convexo-, praeterea vero leviter concavo-arcuato), latere interiore praesertim versus basin convexo-arcuato et sub-dilatato, apice sub-acuminato; bulbus sat longus et humilis, laevis, sub-obliquus, latere exteriore recto, interiore rotundato (convexo-arcuato): e latere exteriore apicis ejus postici exit spina longissima gracilis nigra, quae primum (sub parte tibiali) retro et tum intus directa et curvata est, dein vero anteriora versus, totum bulbum postice et intus cingens et usque ad apicem partis tarsalis pertinens. *Pedes* longiores, praesertim 1.[i] paris, non robusti, 1.[i] paris reliquos modo paullo robustiores; modice pilosi sunt, 1.[i] paris tamen subter in tibiis et metatarsis pilis densioribus (sed non

longis) vestiti. Tibiae 1.[i] paris saltem 5.plo longiores sunt quam latiores, cylindratae; metatarsi hujus paris iis vix dimidio angustiores, apicem versus sensim paullo angustati, tarso circa dimidio longiores, cum tarso tibiam longitudine fere aequantes. Tibiae 1.[i] et 4.[i] parium patellâ plus dimidio longiores sunt, reliquae tibiae patellà circiter dimidio longiores. Patellae anteriores aculeis carent, patellae posteriores saltem postice aculeo brevi munitae sunt. Tibiae supra aculeis carent; tibiae 1.[i] paris subter 2. 2. 2. aculeos longos sub-appressos habent, metatarsi ejus paris 2. 2. valde longos subter; tibiae 2.[i] paris subter aculeos 2. 2. 2., antice 1 aculeum ostendunt, metatarsi 2.[i] paris 2. 2. aculeos subter. Metatarsi posteriores saltem versus basin et ad apicem aculeati. *Abdomen* angustius ovatum, apice sub-acuminatum. *Mamillae* superiores art. 2.[m] obtusum et aeque longum ac latum habere videntur.

Color. — *Cephalothorax* in fundo nigro-piceus, fascia media longitudinali pallidiore in parte thoracica notatus, quae fascia pube densa albicanti est tecta; in medio utriusque lateris, sub oculis posticis, macula magna sub-triangula flaventi-alba ornatus est cephalothorax, qui praeterea, praesertim in area inter-oculari, pube minus densa flaventi munitus est. Clypeus paene glaber; annuli circum oculos anticos lutei vel sub-ferruginei, supra flaventes. *Sternum* testaceo-fuscum. *Mandibulae* nigro-piceae, *maxillae* et *labium* picea. *Palpi* flavi, flavo-pubescentes, summa basi nigricanti, apice partis tibialis cum procursibus ejus nigro quoque, parte tarsali fusca, sub-fusco- et pallido-pilosa. *Pedes* 1.[i] paris nigro-picei et cyaneum colorem paullo sentientes, basi anguste paullo pallidiores, patellis, tibiis et metatarsis supra paullo clarioribus quoque, tarsis flavo-testaceis; reliqui sex pedes flavo-testacei sunt, femoribus apice, patellis, tibiis et metatarsis basi et apice plus minus late nigricantibus (praesertim late in pedibus 2.[i] paris, quorum patellae paene totae nigricantes sunt). *Abdomen* supra et in lateribus nigrum, pube tenui olivaceo-cinerascenti et hic illic albicanti munitus (vestitus?); in fundo fasciam mediam longitudinalem valde inaequalem paullo pallidiorem, e lineis duabus cinereo-albicantibus crassis, sub-flexuosis

et saepius abruptis inclusam ostendit: ad basin dorsi, ubi magis distincta sed angustior est, cinereo-testacea et nigredine geminata melius dici potest haec fascia; tum, paene usque ad medium, paullo latior evadit, in lateribus leviter rotundata; dein, non parum pone medium, breviore spatio etiam magis dilatata et in lateribus fortiter rotundata est, denique, usque ad anum, sensim angustata videtur. Tota haec pictura tamen ad maximam partem parum est distincta. In utroque latere, antice superius, fascia abbreviata inaequalis cinereo-albicans conspicitur. Venter fuligineo-cinereus et nigro-variatus est, cinereo-testaceo-pubescens, fasciis tribus longitudinalibus nigris secundum medium. *Mamillae* cinerascentes, nigro-lineatae.

Lg. corp. $5\,^2/_3$; lg. cephaloth. paene 3, lat. ej. circa $2\,^1/_4$, lat. front. circa 2; lg. abd. 3, lat. ej. paene 2 millim. Ped. I $7\,^2/_3$, II circa 6, III paene 7, IV 6 millim. longi; pat. + tib. I paullo plus 3; pat. + tib. III paullo plus 2, pat. + tib. IV $1\,^3/_4$; metat. + tars. IV 2 millim.

Exemplum singulum in monte Singalang Sumatrae cepit Cel. Beccari. — Forma mandibularum, pedibus longis, et metatarso cum tarso 4.ⁱ paris patellam + tibiam hujus paris longitudine superanti transitum format haec species ad gen. *Bathippum,* n., cui tamen eam adscribere non potui, quum oculos 2.ᵆ seriei vix longius ab oculis lateralibus anticis quam a posticis oculis distantes habeat. Gen. *Amyco,* C. L. Koch (non L. Koch), affinis quoque est, clypeo humiliore et sulco unguiculari mandibularum dentibus modo paucissimis armato ab hoc genere remotus.

332. **H. validus** (Thor.).

Syn.: 1877. *Plexippus validus,* Thor., Studi, *cet.*, I, Ragni di Selebes, loc. cit., p. 610 (270).

Mas hujus speciei, in Celebes ad Kandari inventus, parum ab *Hasariis* typicis differt, excepto quod cephalothoracem (altissimum) ante oculos posticos fortissime proclivem (et paene planum) habet, ita ut hi oculi paene dupla diametro sua altius quam oculi laterales antici locati evadant; impressiones laterales areae inter-ocularis et arcus supra-ciliares oculorum posticorum solito

fortiores quoque sunt. Sulcus mandibularum unguicularis dentibus tribus sat fortibus armatus est, duobus in margine antico, intus, singulo in margine postico, magis versus medium ejus.

333. **H. Simonis**, n., *cephalothorace in fundo nigricanti vel subfusco, area oculorum nigra, et vitta lata procurva sub-ferruginea pone oculos posticos notato, in ♀ albo-pubescenti, in ♂ fascia marginali alba utrinque posterius et vitta procurva alba totum dorsum supra cingenti, e pube formatis ornato; palpis maris piceis, brevibus, sat robustis, parte tibiali obliqua, sub-transversa, apice extus in spinam robustam sub-rectam producta, apice partis tarsalis albo-pubescenti; pedibus fusco-testaceis, apice flavo-testaceis, plerumque nigro-annulatis -maculatisve, anterioribus in mare sat robustis, ad maximam partem piceis et subter pilis longis densis nigris vestitis; abdomine angustius ovato, dorso in fundo anterius pallido, nigricanti-variato et linea media longitudinali nigricanti* (*vel linea geminata alba*) *plerumque notato, postice vero nigro, fascia albicanti a medio ad anum ducta signato; vulva ex area picea constanti, quae foveas duas magnas rotundas, spatio minore separatas ostendit.* — ♂ ♀ ad. *Long.* ♂ *circa* 6 $^{3}/_{4}$, ♀ *circa* 7 $^{1}/_{2}$ *millim.*

MAS. — *Cephalothorax* plus $^{1}/_{3}$ longior quam latior, patellam + tibiam + $^{1}/_{3}$ metatarsi 1.ⁱ paris, vel patellam + tibiam + metatarsum 4.ⁱ paris longitudine aequans, desuper visus ut in *H. scylace* diximus; modice altus est, dorso ipso ante oculos posticos — qui in medio longitudinis ejus locum tenent — primum sat leviter, dein fortius convexo, pone hos oculos modo leviter declivi et recto, postice tamen convexo et in declivitatem posticam parum praeruptam, paene rectam vel sub-concavatam et dimidium reliqui dorsi longitudine paullo superantem sensim transeunti. Arcus supra-ciliares oculorum posticorum et elevationes illae anteriores humillimi; fovea media ordinaria mediocris, recurva, parum pone oculos posticos sita; sulcus in ea, posterius, locatus brevissimus et gracillimus. Clypei altitudo dimidia diametro oculi maximi paullo minor videtur. *Oculi* non magni; linea anticos oculos supra tangens recta est, vix sursum curvata; antici medii, sub-contingentes inter se, lateralibus anticis circa duplo

et dimidio majores sunt et ab iis spatio parvo remoti. Quadrangulus oculorum parum plus $^1/_3$ longitudinis cephalothoracis occupat; saltem $^1/_3$ latior est quam longior, vix vel parum latior postice quam antice, postice vix dupla oculi postici diametro angustior quam cephalothorax eodem loco. Oculi 2.[ae] seriei minuti vix longius a lateralibus anticis quam a posticis oculis remoti sunt; oculi postici, lateralibus anticis modo paullulo minores, paullo plus diametro sua altius quam ii positi sunt, et vix vel parum longius a margine cephalothoracis quam inter se remoti. *Sternum* angustius et inverse ovatum, coxis latius; spatium inter coxas 1.[i] paris labii latitudinem aequat.

Mandibulae directae vel paullo reclinatae, parallelae, patellas anticas longitudine paene aequantes iisque parum latiores, paene duplo longiores quam latiores, sub-cylindratae, apice paullo oblique truncato, dorso ad longitudinem paene recto, transversim paullo convexo; in dorso transversim crasse rugosae sunt, subnitidae. Sulcus unguicularis ad angulum interiorem tres dentes minutos habet, duos antice, singulum postice. Unguis sat brevis, basi crassus. *Maxillae* parallelae, sub-ovatae, basi angustae; vix duplo longiores quam latiores sunt, labio paene duplo longiores, apice extus et intus aequaliter truncato-rotundatae; *labium* paullo longius quam latius, apice truncato sensim angustáto. *Palpi* breves, sat robusti, clava tibiam 1.[i] paris latitudine paene aequanti; sat dense pilosi et pubescentes sunt, vix vero aculeati. Pars patellaris vix vel parum longior est quam latior; pars tibialis ejus latitudine paene est, sed brevior, obliqua, et saltem in latere interiore multo brevior quam latior; apex lateris exterioris in spinam fortissimam paene rectam, acuminatam, anteriora versus et paullulo foras et deorsum directam productus est, quae ipsam partem tibialem longitudine aequat, margini partis tarsalis adjacens et dimidium ejus longitudine fere aequans. Pars tarsalis prioribus duabus conjunctis non parum longior est, parte tibiali paene duplo latior; sub-ovata est, vix duplo longior quam latior, in latere interiore versus basin fortiter dilatato-rotundata, latere exteriore leviter rotundato, apice obtusissimo, tuberculo minuto in medio (?). Bulbus sat humilis, laevis, paene orbicu-

latus, spina minus gracili antice et in lateribus arcte cinctus. *Pedes* mediocres, robusti, anteriores, praesertim 1.[i] paris, reliquis non parum robustiores. Femora 1.[i] paris paullo compressa et supra sat fortiter convexo-arcuata sunt, tibiae hujus paris sub-cylindratae et plus triplo longiores quam latiores; metatarsi ejusdem paris a latere visi tibiâ duplo angustiores sunt (desuper visi tibiâ circa dimidio angustiores), basin versus sensim modo paullo incrassati, tarso fere dimidio longiores, cum tarso tibiâ vix longiores. Tibiae 1.[i] et 4.[i] parium patellâ fere dimidio longiores sunt, reliquae tibiae patellâ modo paullo longiores. Patellae anteriores aculeum antice, posteriores et antice et postice aculeum habent; in nostro exemplo modo altera tibiarum 4.[i] paris aculeum etiam supra ostendit. Tibiae anteriores subter 2. 2. 2., antice 1. 1. 1. aculeis sunt armatae, metatarsi anteriores subter aculeis 2. 2. Metatarsi 4.[i] paris versus basin et medium et ad apicem, 3.[ii] paris metatarsi saltem versus basin et ad apicem aculeati. In pedibus anterioribus, praesertim 1.[i] paris, patellae, tibiae et metatarsi subter pilis sat longis magis patentibus dense vestita sunt; patellae et tibiae anteriores etiam supra fasciam longitudinalem angustam e pilis sat densis sed brevioribus et minus patentibus formatam ostendunt. Praeterea pedes, praesertim anteriores, sat dense et longe pilosi sunt. *Abdomen* anguste ovatum, apice sub-acuminatum.

Color. — *Cephalothorax* in fundo nigricans est, parte cephalica supra nigra; paullulo pone oculos posticos vitta lata procurva sub-ferruginea est notatus. Margo frontalis pube albicanti vestitur: praeterea area inter-ocularis pube sub-ferruginea saltem prope hanc vittam frontalem albicantem munita est. Sub oculis utriusque lateris fascia e pube alba formata conspicitur, quae duae fasciae usque ad declivitatem posticam continuantur, hic (postice) incurvae, itaque cum vitta illa frontali cingulum album totum dorsum ipsum cingens (in medio postice abruptum?) formantes. Latera sub hoc cingulo cum declivitate postica nigricantia sunt, nigro-pubescentia: saltem posterius tamen fasciam marginalem albam e pube formatam utrinque ostendit pars thoracica. Clypeus piceus, parce nigro-pilosus; annuli angustissimi

circum oculos anticos ferruginei sunt, supra albicantes. *Sternum* fusco-testaceum, nigro-pilosum. *Mandibulae* nigrae, nigro- vel fusco-pilosae; *maxillae* et *labium* nigricantia, illae apice intus late clariores. *Palpi* sub-picei, nigro-pilosi, parte tarsali apice late pallidiore et hic albo-pubescenti. *Pedes* omnes tarsos testaceos habent: pedes anteriores praeterea nigro-picei sunt, ipsa basi fusco-testacea, pilis nigris et ad partem (ut in femoribus subter) albis vestiti; pedes posteriores fusco-testacei, femoribus apice late, patellis et metatarsis apice, tibiis apice et basi nigris. Annulo e pube alba formato hic illic muniti sunt pedes, e gr. in apice femorum. *Abdominis* dorsum in fundo nigricans, in medio anterius pallidius; fascia media longitudinali angustiore albicanti (verisimiliter albo-pubescenti) notatum est, quae a medio dorso ad anum est ducta: plaga pallidior dorsi ante eam linea media longitudinali nigricanti in duas dividitur; utrinque postice, apud fasciam albicantem, dorsum purius nigrum est, antice, ad ipsam basin, pube alba vero vestitum; secundum utrumque latus fasciam longitudinalem latam albam supra anguste ferrugineo-marginatam ostendit abdomen. Venter pone rimam genitalem late nigricans est, vel potius fuligineus, fasciis tribus longitudinalibus nigris. *Mamillae* superiores nigrae, inferiores fuligineo-testaceae.

Femina ad formam his modo rebus a descriptione maris differt. *Cephalothorax* dorsum ipsum pone oculos posticos libratum (saltem non declive) et paene rectum habet et abruptius in declivitatem posticam (quae paullo longior quam in mare videtur) transiens. Pili pauci sub oculis 2.[ae] seriei siti penicillum gracillimum formare videntur. *Mandibulae* patellis anticis paullo breviores sunt sed iis vix latiores, in dorso versus basin ad longitudinem modice convexae. *Palporum* partes patellaris et tibialis fere dimidio longiores sunt quam latiores; pars tarsalis eas conjunctas longitudine circiter aequat, saltem a medio ad apicem obtusum sensim paullulo angustata, aequaliter et sat dense pilosa. *Pedes* anteriores breviores sunt et minus robusti quam in mare (pedibus posterioribus tamen non parum robustiores); tibiae 1.[i] paris vix triplo longiores quam latiores sunt et patellâ modo

paullo longiores, metatarsi hujus paris a basi ad apicem sensim angustati, cum tarso tibiâ paullo longiores. Pedes anteriores *non* insolito modo sunt pilosi. In tibiis posterioribus supra nullum aculeum video. Tibiae anteriores subter quidem 2. 2. 2., antice vero modo 1. 1. aculeos habere videntur. *Vulva* ex area sat magna elevata picea constat, quae foveas duas magnas rotundatas et profundas, spatio iis angustiore sejunctas ostendit.

Color. — *Cephalothorax* obscure fuscus dicendus, parte cephalica supra nigra et vitta latissima procurva ferruginea pone oculos posticos notatus, ut in mare: pube albicanti sat dense sparsus (vestitus?) est, et stria parva longitudinali flava e pube formata sub oculis 2.ᵃᵉ seriei munitus. Penicilli illi, ut reliqui pili, nigri sunt; annuli circum oculos anticos luteo-flavi, infra albi; clypeus pilis longis albis sparsus. *Sternum* fusco-testaceum, albicanti- et nigro-pilosum. *Mandibulae* ferrugineo-piceae, albo-pilosae. *Maxillae* et *labium* sub-ferruginea, illae apice pallidiores. *Palpi* fusco-testacei, albo- et nigro-pilosi; pars tibialis vestigia annuli nigri apicalis aliusque basalis ostendit. *Pedes* testaceo-fusci, posteriores paullo clariores; inaequaliter nigro-annulati sunt, annulis plerisque in maculas et strias divulsis, nigro- et albo-pilosi alboque pubescentes. *Abdomen* supra, a basi usque paullo pone medium, in fundo pallido- et nigro-striatum et -variatum est, locis pallidis pube ferrugineo-lutea, nigris vero pube nigra tectis, et linea media longitudinali albicanti, quae linea nigra geminatur, notatum: haec linea postice fasciâ satis angusta alba, ferrugineo-luteo-limbata, in marginibus inaequali, fere a medio dorsi ad anum ducta continuatur; ad latera hujus vittae, posterius, dorsum nigerrimum est, vel macula oblonga nigerrima antice oblique truncata, extus vel infra albicanti-marginata utrinque occupatum. Latera abdominis fere eodem modo ac pars anterior dorsi sunt variata; venter cinereo-albicanti-pubescens pone rimam genitalem late niger est. *Mamillae* superiores nigrae, inferiores fuligineo-testaceae.

Variat pallidior, pedibus totis laete fusco-testaceis.

♂. — Lg. corp. 6 $^3/_4$; lg. cephaloth. 3 $^1/_2$, lat. ej. paullo plus 2 $^1/_3$, lat. front. 2; lg. abd. 3 $^1/_3$, lat. ej. 2 millim. Ped. I

$7\,{}^1/_2$, II $6\,{}^1/_2$, III 7, IV paene 7 millim. longi; pat. + tib. I 3, pat. + tib. III paene $2\,{}^1/_2$, pat. + tib. IV $2\,{}^1/_3$; metat. + tars. IV $2\,{}^1/_3$ millim.

♀. — Lg. corp. $7\,{}^1/_2$; lg. cephaloth. paene $3\,{}^1/_2$, lat. ej. paene $2\,{}^1/_2$, lat. front. paene 2; lg. abd. 4, lat. ej. paullo plus 2 millim. Ped. I 6, II $5\,{}^1/_2$, III $6\,{}^2/_3$, IV $6\,{}^1/_2$; pat. + tib. I $2\,{}^2/_3$, pat. + tib. III $2\,{}^1/_3$, pat. + tib. IV paene $2\,{}^1/_3$; metat. + tars. IV paene $2\,{}^1/_3$ millim.

Marem et feminam adultos ad Sungei Bulu Sumatrae cepit Cel. Beccari; feminam (varietatis pallidioris) vidi quoque, a Cel. Kinberg ad Singapore collectam (Mus. Holm.).

334. **H. Workmanii,** n., *cephalothorace in fundo obscure rufescenti-fusco, vitta transversa lata procurva paullo pallidiore pone oculos posticos notato, area oculorum nigra, annulis circum oculos anticos pallide flavis, in medio extus luteo-ferrugineis; pedibus fusco-testaceis, tibia cum patella* 3.ii *paris tibiam cum patella* 4.i *paris longitudine modo aequanti, tibiis omnibus aculeo supra carentibus; abdomine ovato, supra nigro, squamulis aureo-albidis saltem secundum medium, posterius, vestito, et saltem versus latera pube rufescenti et albicanti munito et sub-variato; vulva ex callis duobus parvis oblongis parallelis nigricantibus, spatio pallido angusto separatis constanti.* — ♀ ad. *Long. circa* $6\,{}^1/_2$ *millim.*

Femina. — Feminae speciei insequentis, *H. Adansonii,* simillima est, defectu aculei supra in tibiis posterioribus, vulva paullo aliter formata et, ut videtur, colore abdominis paullo alio quoque praesertim distinguenda. *Cephalothorax* plus ${}^1/_3$ longior est quam latior, patellam + tibiam + metatarsum 1.i paris, et patellam + tibiam + ${}^3/_4$ metatarsi 4.i paris longitudine aequans; anteriora versus lateribus modo leviter rotundatis sensim paullo angustatus est, posteriora versus brevius et lateribus fortius rotundatis fortius angustatus, in medio postice emarginato-truncatus. Sat altus est cephalothorax, dorso ipso modice convexo et ante oculos posticos primum levissime, dein sat fortiter proclivi, pone eos vero modo levissime declivi et in declivitatem posticam satis praeruptam, paene rectam et longam (reliquo

dorso non dimidio breviorem) satis abrupte transeunti. Arcus supra-ciliares oculorum posticorum humillimi, elevationes humiles ordinariae ante oculos 2.^{ae} seriei, intus, sitae distinctissimae; ante utrumque oculum posticum leviter impressus est cephalothorax; in medio, paullulo pone oculos posticos, impressionem levem recurvam et sulcum brevem ostendit. Clypei altitudo vix $^1/_4$ diametri oculi maximi superat. Linea margines superiores *oculorum* anticorum tangens recta est; oculi medii antici magni, contingentes inter se, et a lateralibus anticis, quibus circa duplo et dimidio majores sunt, spatio modo parvo disjuncti. Quadrangulus oculorum circa $^2/_5$ longitudinis cephalothoracis occupat; circa $^1/_3$ latior est quam longior, plane rectangulus, et vix plus diametro singuli oculi postici angustior postice quam cephalothorax eodem loco. Oculi minuti 2.^{ae} seriei plane in medio inter oculos posticos et laterales anticos locum tenent; postici oculi, lateralibus anticis paullo minores et plus diametro sua altius quam ii positi, paullo longius inter se quam a margine cephalothoracis distant. *Sternum* sub-ellipticum, fere dimidio longius quam latius; spatium inter coxas 1.^{i} paris labii latitudinem superat.

Mandibulae paene directae, parallelae, patellas 1.^{i} paris longitudine aequantes, saltem dimidio sed non duplo longiores quam latiores, sub-cylindratae, in latere exteriore modo levissime convexo-arcuatae, apice parum oblique truncatae, in dorso versus basin modice convexae, nitidae, non evidenter transversim striatae, pilosae; sulcus unguicularis dentibus mediocribus antice duobus, postice singulo armatus est. Unguis non brevis, a basi ad apicem sensim aequaliter angustatus, modice curvatus. *Maxillae* non duplo longiores quam latiores, labio paene duplo longiores, paene parallelae, non divaricantes, sub-ovatae, apice intus et extus rotundato-truncato; *labium* modo paullo longius quam latius, apice truncato sensim angustato. *Palpi* mediocres, non aculeati, pilis sat densis vestiti; pars patellaris paullo (vix dimidio) longior est quam latior, pars tibialis ea paullo longior, saltem dimidio longior quam latior, pars tarsalis etiam longior, circa triplo longior quam latior, fere a medio ad apicem obtusum

sensim paullo angustata. *Pedes* breves, anteriores posterioribus, qui longiores sunt, paullo robustiores; pedes 4.ⁱ paris pedibus 3.ⁱⁱ paris paullo longiores videntur, sed tibia cum patella 3.ⁱⁱ paris tibiam cum patella 4.ⁱ paris longitudine aequat (non vero superat). Femora anteriora supra modice et satis aequaliter convexo-arcuata sunt; tibiae 1.ⁱ paris cylindratae, circa triplo et dimidio longiores quam latiores; metatarsi hujus paris tibiâ paene duplo angustiores sunt, a basi ad apicem sensim et aequaliter paullo angustati, tarso paene duplo longiores, cum tarso tibiam cum dimidia patella longitudine fere aequantes. Tibiae 4.ⁱ paris patellâ paene dimidio longiores sunt, reliquae tibiae patellâ paullo, non vero dimidio, longiores. Patellae modo posteriores aculeatae sunt, aculeo utrinque armatae. Tibiae omnes supra aculeis carent; tibiae 4 anteriores subter 2. 2. 2., antice 1 aculeo munitae sunt, metatarsi anteriores modo 2. 2. aculeis, subter sitis. Metatarsi 4.ⁱ paris versus basin et medium et ad apicem aculeati sunt, 3.ⁱⁱ paris saltem versus basin et ad apicem. *Abdomen* ovatum, apice sub-acuminatum. *Vulva* ex callis duobus parvis oblongis parallelis piceis constat, qui spatio pallido ipsis callis multo angustiore separati sunt.

Color. — *Cephalothorax* in fundo obscure rufescenti-fuscus vel sub-ferrugineus, area oculari tota, usque paullo pone oculos posticos et paullulo sub oculis utriusque lateris, nigra, hac area nigra in medio postice paullo emarginata: pone eam vitta transversa lata procurva adest, reliqua parte thoracica paullo clarior. Pube squamuli-formi sub-aureo-cinerea saltem hic illic in area interoculari vestitus fuisse videtur cephalothorax; inter oculos utriusque lateris et sub iis pube lutea et albicanti munitus est, annulis circum oculos anticos pallide flavis, in medio extus luteis vel sub-ferrugineis. *Sternum* pallide fusco-testaceum. *Mandibulae*, basi pilis flavo-albidis sparsae, *maxillae* et *labium* pallide fusco-testacea quoque. *Palpi* ejusdem coloris, nigro- et pallido-pilosi. *Pedes* fusco-testacei, basi clariores, nigro-pilosi et -aculeati, pube tenui pallida muniti. *Abdominis* dorsum in fundo nigrum est, pilis longis pallidis sparsum et pube squamuli-formi tectum, his squamulis saltem secundum medium dorsi, posterius, aureo- vel

aeneo-albicantibus et, praesertim ad latera, squamulis rufescentibus mixtis, ita ut dorsum saltem ad latera paullo rufescenti- et albicanti-variatum vel -maculatum evadat (abdomen in nostro exemplo ad magnam partem detritum est). Latera abdominis et venter, qui secundum medium niger est, pallida et nigropunctata et -maculata sunt pubeque cinerascenti vestita. *Mamillae* fuligineo-testaceae, superiores supra linea nigra notatae.

Lg. corp. 6 $^1/_2$; lg. cephaloth. 3 $^1/_4$, lat. ej. 2 $^1/_4$, lat. front. fere 1 $^5/_6$; lg. abd. 3 $^1/_3$, lat. ej. 2 $^1/_6$ millim. Ped. I 6, II 5 $^1/_2$, III 7 $^1/_2$, IV paullo plus 7 $^1/_2$ millim. longi; pat. + tib. I 2 $^1/_2$, pat. + tib. III 2 $^1/_4$, pat. + tib. IV 2 $^1/_4$; metat. + tars. IV 2 $^1/_4$ millim.

Feminam singulam detritam vidi, quam in monte Singalang Sumatrae invenit Cel. Beccari.

335. **H. Adansonii** (Aud. *in* Sav.) *cephalothorace in fundo obscure rufescenti-fusco, ferrugineo-pubescenti, vitta transversa lata procurva pallidiore saltem interdum albo-pubescenti pone oculos posticos notato, area oculorum nigra, annulis oculorum anticorum superius luteo-ferrugineis, infra albicantibus; palpis sat longis, gracilibus (parte tibiali saltem duplo longiore quam latiore, clava angusta), piceis, parte femorali apice supra, parte patellari supra et intus, parteque tibiali oblique intus et (basi) supra pube albissima tectis; pedibus piceis vel sub-fuscis, apice pallidis, anterioribus obscurioribus, tibia cum patella* 3.ii *paris tibiam cum patella* 4.i *paris longitudine modo aequanti, tibiis posticis etiam supra aculeo armatis; abdomine supra nigricanti, plerumque fascia media longitudinali valde inaequali pallidiore in fundo notato, et praeterea vitta basali recurva alba maculisque saltem duabus parvis albis, ut ea e pube formatis, et multo pone medium, versus latera, sitis ornato.* — ♂ ad. *Long.* 4 $^1/_3$–7 $^1/_4$ *millim.*

Cephalothorace in fundo ut in mare diximus, cinerascenti- et ferrugineo-pubescenti, oculis anticis pube luteo-flava circumdatis; palpis obscure testaceis, pedibus fuscis vel obscure testaceis, anterioribus plerumque in medio infuscatis, pedibus praeterea ut in mare est dictum; abdomine supra in fundo nigricanti, pallido-sub-

variato, pube sub-testacea et rubra vel ferruginea vestito et sub-variato, et saepe fasciis duabus longitudinalibus rufescentibus vel nigris plus minus distinctis notato; vulva e foveis duabus minutis nigris, in area pallida sitis et spatio parvo disjunctis constanti. — ♀ ad. *Long. circa 7 millim.*

Syn.: 1827. *Attus Adansoni*, Aud., *in* Sav., Descr. de l'Égypte, 2.e Éd., XXII, p. 169, Pl. VII, fig. 8.
1827. » *tardigradus*, id., ibid., p. 170, Pl. VII, fig. 13.
183.. . » *capito*, Luc., *in* Barker-Webb et Berthelot, H. N. d. îles Canaries, Anim. Artic. (Arachn., Myriap. et Thysanoures), p. 27, Pl. VII, fig. 8.
1837. » *Adansoni*, Walck., H. N. d. Ins. Apt., I, p. 427.
1837. » *Forskålii* [*Forskaeli*], id., ibid., p. 428.
? 1853. *Salticus striatus*, Luc., Essai s. les Anim. Artic. qui habitent l'île de Crète, *in* Revue et Mag. de Zool., 2.e Sér., V, p. 521.
1863. » *citus*, Cambr., Descr. of twenty-four new spec. of Spid., *cet.*, *in* Zoologist, 1863, p. 8561.
1864. *Attus nigrofuscus*, Vins., Aran. des îles de la Réun., Maurice et Madag., p. 59, Pl. X, fig. 8.
1869. *Plexippus Adansoni*, Sim., Monogr. d. esp. europ. de la fam. d. Attidae, *in* Ann. de la Soc. Ent. de France, 4.e Sér., VIII, p. 644, Pl. VI, fig. 12, Pl. VII, fig. 3.
1871. *Hasarius Adansoni*, id., Révis. d. Attidae, loc. cit., 5.e Sér., I, p. 330.
1873. *Eris niveipalpis*, Gerst., *in* C. v. d. Deckens Reisen in Ost-Afrika, III, 2, p. 477.
1876. *Hasarius Adansoni*, Sim., Les Arachn. de France, III, p. 79.
1877. *Plexippus ardelio*, Thor., Studî, *cet.*, I, Ragni di Selebes, loc. cit., p. 602 (262).
1878. *Salticus citus*, Cambr., Notes on British Spid., *cet.*, *in* Ann. and Mag. of Nat. Hist., Ser. 5, I, p. 127.
1882. *Hasarius Adansonii*, id., The Spiders of Dorset, II, p. 556.

Marem adultum hujus speciei in Celebes ad Macassar cepit Cel. Beccari; exempla pauca utriusque sexus possideo, partim ex Java et a Rev. Van Hasselt ad me missa, partim ad Bombay Indiae capta et a Rev. Cambridge mihi data. Praeterea multis et diversissimis locis inventa fuit haec species: in Nova Caledonia capta est, secundum Simon (1); ad Ramnad Indiae, secundum eundem scriptorem (2); ex ins. Taprobane eam obtinuerunt

(1) Matér. pour servir à une faune arachn. de la Nouvelle-Calédonie, *in* Comptes-rendus de la Soc. Ent. de Belgique, XXIX (1885), p. LXXXVIII.

(2) Matér. pour servir à la faune arachn. de l'Asie mérid. II. Arachn. recueillis à Ramnad, District de Madura, *in* Bull. de la Soc. Zool. de France, X (1885), p. 30.

Gerstaecker (vid. loc. cit.) et Cambridge, qui in Syria et in Palaestina eam cepit quoque ([1]). In ins. Réunion secundum Vinson, in ins. Mauritio secundum Cambridge ([2]), in Sansibar sec. Gerstaecker, in ins. S. Helena sec. Cambridge ([3]), in ins. Canariis sec. Lucas ([4]), in Tunisia (ins. Djerba) sec. Simon ([5]) vitam degit, ut et in Senegal, in Aegypto et in Algeria (script. supra cit., aliique); in Europa in Graecia (Athenis) sec. Simon ([6]), in Hispania sec. Simon ([7]), in Gallia (St. Germain-en-Laye sec. Lucas ([8]), « Pyrenées Orientales » et Nicaea sec. Simon ([9])), ut et in Anglia sec. Cambridge captus fuit *H. Adansonii:* quae exempla ejus in Anglia sunt inventa, Cel. Cambridge tamen ex terris calidioribus importata credit.

Quadrangulus oculorum in hac specie, quam nunc solam ad genus *Hasarium* referendam censet Cel. Simon ([10]), certe non semper latior est antice quam postice; immo in mare interdum paullulo (parum quidem) angustior est antice quam postice. In femina tibia cum patella 3.ii paris nonnumquam paullo brevior est quam tibia cum patella 4.i paris. In mare, sed vix in femina, metatarsus cum tarso 4.i paris evidenter paullo longior est quam tibia cum patella ejusdem paris.

([1]) Conf. Cambridge, General List of the Spid. of Palestine and Syria, *in* Proceed. of the Zool. Soc. of London, 1872, p. 324.

([2]) Catalogue of a collection of Spid. made in Egypt, *cet.*, ibid., 1876, p. 622; conf. Simon, Études Arachn. XXII. Arachn. recueillis . . . à Smyrna, à Beïrout et à Akbès, *in* Ann. de la Soc. Ent. de France, 6.e Sér., V (1885), p. 182.

([3]) Notes on some Spiders and Scorpions from St. Helena, *in* Proceed. of the Zool. Soc. of London, 1869, p. 543; On the Spid. of St. Helena, ibid., 1873, p. 211.

([4]) Loc. cit. in Barker-Webb et Berthelot; conf. Simon, Études Arachn. XXI. Matér. pour servir à la faune arachn. des îles de l'Océan Atlantique, *in* Ann. de la Soc. Ent. de France, 6.e Sér., III (1883), p. 284.

([5]) Études sur les Arachn. recueillis en Tunisie en 1883 et 1884, *in* Explor. scientifique de la Tunisie. Zool. Arachn., p. 1 (1885).

([6]) Études Arachn. XXIII. Matér. pour servir à la faune arachn. de la Grèce, *in* Ann. de la Soc. Ent. de France, 6.e Sér., IV (1884), p. 307.

([7]) Notes sur les Arachn. recueillis par M. Weyers à Aguilas, Province de Murcie, *in* Comptes-rendus de la Soc. Ent. de Belgique, 1884, p. 4.

([8]) Notes sur l'habitat de deux Arachnides (*Plexippus Adansonii* et *Tetranychus lintearius*), *in* Ann. de la Soc. Ent. de France, 5.me Sér., IV (1874), p. 351.

([9]) Les Arachn. de France, III, p. 80.

([10]) Arachn. recueillis par M. Weyers à Sumatra (1.er envoi), loc. cit., p. (5): « Le genre *Hasarius*, E. Sim., doit être réduit à son espèce type, *H. Adansoni* ».

♂ (ex Java). — Lg. corp. 5 $^1/_2$; lg. cephaloth. 3 (= pat. + tib. + metat. I, vel = pat. + tib. + $^2/_3$ metat. IV), lat. ej. circa 2 $^1/_3$, lat. front. 2; lg. abd. 2 $^1/_2$, lat. ej. 1 $^2/_3$ millim. Ped. I 6, II 5 $^2/_3$, III 6 $^1/_4$, IV 6 $^1/_3$ millim. longi; pat. + tib. I 2 $^1/_3$, pat. + tib. III 2, pat. + tib. IV 2, metat. + tars. IV 2 $^1/_4$ millim.

♀ (ex Bombay). — Lg. corp. 7 $^1/_4$; lg. cephaloth. 3 $^1/_2$ (= pat. + tib. + metat. I, et paullo minor quam pat. + tib. + metat. IV), lat. ej. 2 $^1/_2$, lat. front. paullo plus 2; lg. abd. paullo plus 4, lat. ej. paullo plus 2 $^1/_2$ millim. Ped. I 6 $^1/_4$, II 5 $^2/_3$, III 7 $^1/_2$, IV 7 $^1/_2$ millim. longi; pat. + tib. I 2 $^1/_2$, pat. + tib. III 2 $^1/_4$, pat. + tib. IV 2 $^1/_4$; metat. + tars. IV 2 $^1/_4$ millim.

336. **H. sannio**, Thor.

Syn.: 1877. *Plexippus* (?) *sannio*, Thor., Studî, *cet.*, I, Ragni di Selebes, loc. cit., p. 617 (277).

Species in Celebes, ad Kandari, inventa.

Sulcus unguicularis mandibularum in margine antico, intus, duobus dentibus praeditus est, et ut videtur, praeterea dente minuto ad ipsam basin unguis; in margine postico modo singulum dentem latum format. — Latus mandibulae exterius in exemplo nostro *H. sannionis* rectum est, nec concavato-arcuatum neque apice multo ultra basin unguis foras eminens, ut est in aranea, quam Cel. Van Hasselt (Midden Sumatra, *cet.*, Aran., p. 48, Pl. V, fig. 15) « *Plexippum sannionem* ♀ jun. » appellat; hanc araneam aliam speciem credit Cel. Simon (1), *Erganem coronatam* eam vocans.

337. **H. testaceus** (Thor.).

Syn.: 1877. *Saitis* (?) *testacea*, Thor., Studî, *cet.*, I, Ragni di Selebes, loc. cit., p. 565 (225).

Haec species, in Celebes (ad Kandari) inventa, ab *Hasariis* typicis parum nisi clypeo humili (modo $^1/_4$ diametri oculi maximi

(1) Ibid., p. (4).

altitudine aequanti) differt; cephalothorax ejus paullo humilior quam in iis est, dorso ipso ad longitudinem modo sat leviter arcuato-convexo. Oculi postici evidenter paullo longius inter se quam a margine cephalothoracis distant; quadrangulus oculorum paene rectangulus est, parum latior postice quam antice. Sulcus unguicularis mandibularum antice, intus, duos dentes mediocres habet; postice dente singulo paullo majore armatus est, paene in medio marginis sito. Sternum anguste et inverse ovatum, coxis intermediis vix latius. — A *Cytaea*, Keys., cui forsitan subjungi posset haec species, differt non tantum clypeo humiliore, verum etiam oculis 2.ae seriei paullo longius ab oculis posticis quam ab oculis lateralibus anticis remotis, maxillis labio parum plus dimidio longioribus, labio apice truncato longiore quam latiore, cet.

338. **H. ensifer** (Thor.).

Syn.: 1877. *Plexippus ensifer*, Thor., Studi, *cet.*, I, Ragni di Selebes, loc. cit., p. 606 (206).
1878. » » , id., ibid., II, Ragni di Amboina, loc. cit., pp. 257, 310.
1881. » » , id., ibid., III, Ragni dell'Austro-Malesia, *cet.*, loc. cit., p. 615.
1882. *Thorellia ensifera*, Keys., *in* L. Koch, Die Arachn. Austral., p. 1353, Tab. CXV, fig. 1-2b

Cel. Beccari exempla duo juniora hujus speciei, quam in Celebes ad Kandari detexerat, in Sumatra ad Sungei Bulu cepit; etiam in Amboina et, secundum Keyserling, in insulis Huahine et Upolu vitam degit. Generis *Saitis*, Sim. (= *Thorellia*, Keys.: vid. Die Arachn. Austral., p. 1434) est, secundum Keyserling.

In exemplis junioribus ex Sumatra cephalothorax fusco-testaceus in liquido immersus pone (apud) oculos posticos lineam transversam nigricantem bis procurvam ostendit, a qua linea lineola longitudinalis media nigra, apice postico dilatata, usque in declivitatem posticam ducta est: pone eam, in medio margine postico, maculam parvam nigram ostendit cephalothorax, et in utroque latere lineam longitudinalem, quae lineae in declivitate postica appropinquant inter se, ibi in maculam cuneatam exeun-

tes: hi cunei plus minus evidenter cum apice postico lineolae illius longitudinalis conjuncti sunt. Abdominis dorsum, in fundo pallidum, ante medium vittas duas transversas valde inaequales ostendit; praeterea ut in ♀ *ad.* est coloratum.

339. **H. coprea**, n., *cephalothorace in fundo ferrugineo, vitta marginali lata procurva nigra plus minus evidenti postice cincto, et pube alba* (♂) *vel flava saltem ad partem vestito; palporum parte tibiali in mare aeque longa ac lata, apice extus spina gracili obtusa sat longa armata; pedibus sub-testaceis, nigro-annulatis, anterioribus obscurioribus, tibiis saltem posterioribus etiam supra aculeo munitis; abdomine in fundo cinerascenti-testaceo, nigro-variato et -maculato, vitta dorsuali media transversa nigra in duas maculas transversas postice rotundatas abrupta et alia vitta transversa nigra pone eam paullo ante anum sita praesertim conspicuis, dorso abdominis saltem ad basin pube alba* (♂) *vel flava* (♀) *vestito. —* ♂ ♀ ad. *Long.* ♂ *circa* 5, ♀ *circa* 5 $^1/_4$ *millim.*

Mas. — *Cephalothorax* brevis, circa $^1/_4$ longior quam latior, paullo brevior quam tibia cum patella 1.ⁱ paris, patellam + tibiam + metatarsum 4.ⁱ paris longitudine aequans, desuper visus anterius in lateribus levissime rotundatus sed vix anteriora versus angustatus, posterius lateribus sat fortiter rotundatis breviter et fortiter posteriora versus angustatus, in medio postice satis anguste truncatus, fronte leviter rotundata. Valde altus est cephalothorax · dorsum ipsum a latere visum ante oculos posticos qui non parum pone medium ejus locum tenent, sat fortiter proclive est, leviter convexum et paullo inaequale, pone eos eodem modo declive, paullo convexum et in declivitatem posticam praeruptam, paene rectam et longissimam (reliquo dorso modo paullo breviorem) sensim transiens. Arcus supra-ciliares oculorum posticorum et elevatio utrinque inter oculos binos laterales anteriores, intus, sita bene expressa sunt; impressio ante oculum utrumque posticum fortis, impressio media, paullulo pone hos oculos sita, levis et parva, sulco ordinario brevi et tenui. Clypeus altus: saltem cum membrana, qua mandibulis unitus est, dimidiam diametrum oculi maximi altitudine aequat. *Oculi* magni;

medii antici contingentes sunt inter se, lateralibus anticis duplo majores, et ab iis spatiis sat parvis, $^1/_4$ diametri oculi lateralis fere aequantibus, separati. Linea recta anticos medios supra tangens laterales non parum sub margine superiore secat. Quadrangulus oculorum magnus est, plus $^2/_5$ sed non dimidium longitudinis cephalothoracis occupans; paullo latior est antice quam postice, circa $^1/_4$ latior quam longior, et modo singuli oculi postici diametro angustior postice quam cephalothorax eodem loco. Oculi 2.^{ae} seriei minuti paene in medio inter oculos posticos et laterales anticos siti sunt, fortasse paullulo longius ab his quam ab illis. Oculi postici, lateralibus anticis paullo minores, et plus diametro sua altius quam ii positi, inter se spatio distant, quod non vel parum minus est quam id, quo a margine cephalothoracis sunt remoti. *Sternum* sub-ellipticum, circa dimidio longius quam latius, coxis non parum latius; spatium inter coxas 1.^{i} paris labii latitudinem aequat.

Mandibulae parallelae, paene directae, modo paullo porrectae, patellis anticis paullo breviores, femora antica latitudine paene aequantes, paene duplo longiores quam latiores, sub-cylindratae, latere exteriore modo versus basin paullo convexo-arcuato, praeterea recto, apice oblique rotundato-truncato, dorso paene recto, transversim modo paullo convexo, sat subtiliter transversim striato, pilisque sparso; sulcus unguicularis ad angulum interiorem antice dentibus mediocribus duobus armatus est, postice, intus, serie denticulorum sex minutorum. Unguis non ita brevis, fortiter curvatus. *Maxillae* parallelae, duplo longiores quam latiores, labio dimidio longiores, basi angustae, apice intus late truncatae, extus angustius rotundato-truncatae. *Labium* paullo longius quam latius, apicem rotundatum versus sensim paullo angustatum. *Palpi* mediocres, clava tibias anticas latitudine paene aequanti; pars patellaris paene dimidio longior quam latior est, pars tibialis ejus latitudine sed vix longior quam latior, et ad apicem lateris exterioris spina gracili obtusa, paullulo deorsum curvata, anteriora versus et paullulo foras directa armata, quae aeque fere longa est atque ipsa pars tibialis. Pars tarsalis prioribus duabus conjunctis paullo longior et parte tibiali saltem dimidio

latior est, plus duplo longior quam latior, fere ovato-lanceolata. Bulbus breviter ovatus fere; apex ejus late truncatus helici magna e spina involuta gracili formata occupatur, cujus diameter longitudinem partis reliquae (posterioris) bulbi, a latere inferiore visae, paene aequat. *Pedes* mediocres; 1.[i] paris tamen longi et reliquis paullo robustiores sunt, femoribus supra versus basin modice arcuatis, tibiis cylindratis circa 5.plo longioribus quam latioribus et patellâ circa dimidio longioribus, metatarsis tarso paene duplo longioribus, et cum eo tibiam longitudine aequantibus. In pedibus 4.[i] paris quoque tibiae patellâ paene dimidio longiores sunt, in reliquis pedibus patellâ non vel parum longiores. Minus dense pilosi sunt pedes, aculeis crebris sat longis armati. Omnes patellae aculeum utrinque habent; tibiae omnes aculeo gracili supra munitae sunt. Tibiae anteriores praeterea subter 2. 2. 2., antice et postice 1. 1. 1. aculeis armatae sunt, metatarsi anteriores subter 2. 2., antice et postice 1. 1. aculeis muniti. Metatarsi posteriores secundum totam longitudinem, vel saltem apice et versus basin, aculeati. *Abdomen* anguste ovatum, non duplo longius quam latius. *Mamillae* longitudine mediocri, superiores cylindratae et angustae, art. 2.° aeque longo ac lato, obtuso, inferiores iis multo crassiores, sub-conico-cylindratae.

Color. — *Cephalothorax* in fundo ferrugineus, maculis duabus sat magnis nigris utrinque, quarum anterior inter oculos laterales binos anteriores locum tenet, oculum 2.[ae] seriei cingens, posterior oculum posticum praesertim intus late cingit; in declivitate postica saltem infra et in lateribus postice nigricans videtur cephalothorax. Pube albicanti tenui saltem ad magnam partem, ut in lateribus et pone oculos posticos, vestitus fuisse videtur, intermixta pube ferruginea sub oculis utriusque lateris; clypeus flaventi-albo-pilosus est, pilis quasi lineam transversam fere in medio ejus formanti aliamque lineam minus distinctam in ipso margine; annuli circum oculos anticos ad maximam partem, praesertim infra, albicantes quoque. *Sternum* fusco-testaceum. *Mandibulae* fusco-ferrugineae; *maxillae* et *labium* testaceo-picea. *Palpi* testaceo-picei, basi subter pallidiores, pilis sat densis pallidis et, praesertim versus apicem intus, nigris vestiti. *Pedes*

anteriores vel saltem 1.ⁱ paris pallide picei, tarsis, et in 2.ⁱ paris pedibus coxis quoque, testaceis; pedes posteriores, praesertim 4.ⁱ paris, magis testacei, basi latissime pallide testacei, femoribus apice sat late nigro-piceis, tibiis et metatarsis saltem 4.ⁱ paris basi et apice infuscatis. Hic illic in pedibus remanent vestigia pubescentiae albae; praeterea minus dense albicanti- et nigro-pilosi sunt pedes, aculeis fuscis et nigris armati. *Abdomen* in fundo sordide cinerascenti-testaceum est, hac pictura nigra: paullulo pone medium maculas duas transversas sat magnas postice leviter rotundatas, vel potius vittam transversam in medio anguste abruptam ostendit dorsum, ante quam, utrinque, nigricanti-sub-variatum est; pone eam, non multo ante anum, alia vitta inaequalis transversa conspicitur, et inter has duas vittas adsunt liturae duae parvae mediae sub-refractae, quarum anterior brevior est. Declivitas abdominis antica magis infra nigra est; latera nigricanti-variata. Saltem ad basin et in lateribus anterius pube alba vestitum est dorsum, lateribus abdominis quoque anterius albo-pubescentibus. Venter sordide cinerascenti-testaceus, paullo nigricanti-variatus. *Mamillae* cinerascenti-testaceae.

Femina. — *Cephalothoracis* forma eadem atque in mare est, eo excepto, quod desuper visus usque ab oculis posticis posteriora versus sensim angustatus est, primum parum quidem et hic lateribus paene rectis, dein breviter et fortius; a medio ad oculos anticos laterales latera leviter rotundata habet, ante oculos posticos anteriora versus sensim paullo angustatus (longitudine seriei oculorum anticae maximam cephalothoracis latitudinem tamen aequanti). Clypeus humilior est quam in mare, vix $^1/_4$ diametri oculi maximi altitudine superans. Quum a latere inspicitur cephalothorax, *oculi* postici longe pone medium dorsi ipsius positi videntur, et declivitas postica paullulo concavata est. Linea recta oculos anticos medios supra tangens laterales parum sub eorum margine superiore secat; spatia, quibus illi ab his sunt disjuncti, etiam minora quam in mare videntur. Quadrangulus oculorum paullo brevior est quam in mare; vix ultra $^2/_5$ longitudinis cephalothoracis occupat et parum latior

est antice quam postice. Praeterea oculi sunt ut in mare diximus. *Sternum* et *partes oris* ut in eo quoque, excepto quod *mandibulae* directae et paullo breviores sunt, vix dimidio longiores quam latiores, in dorso versus basin modice convexae, sulco unguiculari antice, ad angulum interiorem, duobus dentibus minutis praedito, postice serie denticulorum modo quattuor. *Palporum* partes patellaris et tibialis aeque magnae sunt, circa dimidio longiores quam latiores, pars tarsalis iis conjunctis paullo brevior iisque basi parum angustior, saltem triplo longior quam latior, a basi apicem obtusum versus sensim parum angustata: in margine interiore hujus partis paullo densius et longius pilosi quam praeterea sunt palpi. *Pedes* praesertim 1.[i] paris breviores quam in mare; tibiae 1.[i] paris modo circa triplo longiores sunt quam latiores, et, ut tibiae 4.[i] paris, patellâ non multo longiores; metatarsi sat robusti 1.[i] paris tarso gracili fere duplo longiores sunt, cum tarso tibiam cum dimidia patella longitudine circiter aequantes. Tibiae 2.[i] et 3.[ii] parium patellâ non vel parum longiores sunt, ut in mare. Eodem modo atque in eo aculeati sunt pedes, excepto quod tibiae anteriores aculeo supra carent (an ita semper?). *Abdomen* breviter et inverse ovatum est. *Vulva* ex area non ita parva sub-transversa paullo inaequali pallida constare videtur, in qua maculae duae rotundatae fuscae conspiciuntur.

Color. — *Cephalothorax* in fundo rufo-ferrugineus est, declivitate postica late nigra, hoc colore vittam marginalem procurvam postice latissimam, in lateribus anteriora versus sensim angustatam formanti; praeterea arcus supra-ciliares et macula utrinque pone oculos laterales anticos nigri sunt, ut in mare. Pube flava saltem ad partem, ut sub oculis utriusque lateris et inter eos, vestitus est cephalothorax (sub his oculis pubi flavae pubes rufescens intermixta videtur); clypeus in margine dense flavo-pilosus est, annuli circum oculos anticos saltem ad maximam partem flavi quoque. *Sternum* fusco-testaceum. *Mandibulae* fusco-ferrugineae, flaventi-pilosae. *Maxillae* et *labium* nigricantia, illae apice late clariores. *Palpi* flavo-testacei, pallido-pilosi et -pubescentes, in margine partis tarsalis interiore nigro-

pilosi. *Pedes* anteriores testaceo-fusci, posteriores testacei, omnes nigro-annulati: femora omnia apice nigra sunt, tibiae basi et, saltem subter, apice quoque nigrae vel fuscae (tibiae 1.[i] paris ad maximam partem nigrae, basi late, apice angustius), patellae anteriores apice fuscae, metatarsi omnes versus basin annulo fusco praeditae. *Abdomen* in fundo sordide cinereo-testaceum, vitta transversa lata media nigra, quae in medio abrupta est et ita maculas duas transversas postice rotundatas format, et pone eam, non procul ab ano, alia vitta transversa angustiore et paullo retro fracta nigra notatum; praeterea pars anterior dorsi, ut latera abdominis, nigro-variata vel -maculata est, et in spatio inter vittas illas transversas, in medio dorsi, litura una alterave nigricans conspicitur quoque; etiam venter paullo nigricanti-variatus videtur. Saltem ad basin dorsum abdominis pube flava vestitum est. *Mamillae* testaceo-fuscae.

♂. — Lg. corp. 5; lg. cephaloth. 2 $^1/_2$, lat. ej. 1 $^4/_5$, lat. front. 1 $^4/_5$; lg. abd. paene 2 $^1/_2$, lat. ej. paene 1 $^1/_2$ millim. Ped. I 8, II 5, III 6 $^1/_6$, IV 5 millim. longi; pat. + tib. I 3 $^4/_5$, pat. + tib. III paene 2, pat. + tib. IV paullo plus 1 $^1/_2$; metat. + tars. IV paullo plus 1 $^1/_2$ millim.

♀. — Lg. corp. 5 $^1/_4$; lg. cephaloth. 2 $^1/_2$, lat. ej. 2, lat. front. 2; lg. abd. 2 $^1/_2$, lat. ej. paene 2 millim. Ped. I 5 $^1/_2$, II 4 $^1/_2$, III paullo plus 5 $^1/_2$, IV 5; pat. + tib. I saltem 2, pat. + tib. III 1 $^2/_3$, pat. + tib. IV paene 1 $^1/_2$; metat. + tars. IV paene 1 $^1/_2$ millim.

Marem et feminam valde detritos, quos supra descripsi, in Sumatra a Cel. Forbes inventos, mecum communicavit Rev. Cambridge; marem multo juniorem, haud dubie ejusdem speciei, vidi quoque, a Cel. Beccari in antro illo Buae dicto (« Grotta di Bua ») in Padang superiore Sumatrae captum. — Gen. *Saitis*, Sim., haec species haud dubie est, ut *H. ensifer* (Thor.).

340. **H. sobarus**, n., *cephalothorace ferrugineo-rubro, luteo-flavo-pubescenti; palpis flavo-testaceis, pedibus luteo-testaceis vel luteis, tibiis* 4.[i] *paris etiam supra aculeo minuto instructis; abdomine breviter ovato, in fundo testaceo-cinereo, dorso ejus maculis quattuor*

majoribus nigris in rectangulum sub-transversum dispositis posterius notato, pube luteo-flava saltem antice munito, et vitta brevi obliqua e pube ejusdem coloris formata utrinque, inter maculas illas nigras, ornato. — ♀ ad. *Long. circa* 5 *millim.*

Femina. — *Cephalothorax* plus $^1/_3$ longior quam latior, aeque circiter longus ac patella + tibia + $^3/_4$ metatarsi 1.ⁱ paris, vel saltem ac patella + tibia + metatarsus 4.ⁱ paris, lateribus in medio parallelis et levissime rotundatis ante oculos 2.æ seriei paullo et brevissime anteriora versus angustatus, posterius lateribus primum leviter, dein fortiter rotundatis posteriora versus sensim fortiter angustatus, in medio postice sat late emarginato-truncatus. Altus est cephalothorax, dorso ipso a latere viso modice convexo, ante oculos posticos — qui non parum pone medium ejus locum tenent — primum sat leviter, dein fortius proclivi, pone hos oculos levissime declivi et in declivitatem posticam praeruptam, rectam et valde longam (ipso dorso parum breviorem) satis abrupte transeunti. Arcus supra-ciliares oculorum posticorum et elevationes illae ordinariae anteriores humillima sunt sed distincta; fovea centralis, paullulo pone oculos posticos sita, sat parva est, sulco brevi et gracili. Clypei altitudo dimidiam oculi maximi diametrum aequare videtur. *Oculi*, 2.æ seriei exceptis, sat magni dicendi. Linea margines superiores oculorum anticorum tangens modo leviter sursum curvata est; oculi medii antici contingentes sunt inter se, lateralibus anticis fere triplo majores et ab iis spatiis modo parvis remoti. Quadrangulus oculorum circa $^2/_5$ longitudinis cephalothoracis occupat; circa $^1/_3$ latior est quam longior, et paullo latior antice quam postice, ubi paullo plus oculi singuli postici diametro angustior est quam cephalothorax eodem loco. Oculi minuti 2.æ seriei paullulo longius ab oculis lateralibus anticis quam ab oculis posticis distare videntur. Oculi postici, lateralibus anticis vix vel parum minores, diametro sua altius quam ii positi sunt; aeque saltem longe inter se atque a margine cephalothoracis distare videntur. *Sternum* inverse sub-ovatum, coxis latius; spatium inter coxas 1.ⁱ paris labii latitudinem saltem aequat.

Mandibulae directae, parallelae, patellas anticas longitudine saltem aequantes iisque paullo latiores, saltem dimidio longiores quam latiores, sub-cylindratae, apice oblique rotundato-truncatae, in latere exteriore leviter convexo-arcuatae, intus rectae, dorso et ad longitudinem et transversim paullo convexo, modo tenuiter transversim striato-coriaceo, sub-nitido, piloso. Sulcus unguicularis antice intus dentibus 2 parvis, postice intus circa 4 dentibus minutissimis est armatus. Unguis sat brevis, fortiter curvatus. *Maxillae* parallelae, in labium leviter curvatae, duplo fere longiores quam latiores, labio dimidio longiores, apice extus et intus oblique rotundato-truncatae. *Labium* paullo longius quam latius, apicem truncatum versus sensim (ad apicem fortius) angustatum. *Palpi* mediocres, modice pilosi, aculeis ut videtur modo binis in parte femorali muniti; partes patellaris et tibialis paene aeque longae sunt, dimidio longiores quam latiores; pars tarsalis parte tibiali non parum longior est, circa duplo et dimidio longior quam latior, paene a basi ad apicem non multo obtusum sensim paullo angustata, in latere interiore paullo densius et fortius pilosa. *Pedes* sat breves et graciles, parcius pilosi, 1.ⁱ paris reliquis parum robustiores; tibiae 1.ⁱ et 4.ⁱ parium patellà paene dimidio longiores sunt, reliquae tibiae patellà paullo (evidentissime) longiores. Tibiae 1.ⁱ paris cylindratae et saltem triplo longiores quam latiores sunt; metatarsi hujus paris cylindrati quoque, tibià circa dimidio angustiores, tarso angusto fere dimidio longiores et cum tarso tibià evidenter longiores. Patellae 1.ⁱ paris modo aculeum singulum, antice situm, habent, reliquae sex patellae aculeum utrinque. Tibiae posteriores aculeo minuto etiam supra munitae sunt (nonne ita semper?). Tibiae anteriores subter 2. 2. 2., antice 1. 1. 1., postice 1. 1. aculeos habent, metatarsi anteriores subter 2. 2., antice et postice 1. 1. Metatarsi 3.ⁱⁱ paris saltem ad basin et apicem, 4.ⁱ paris secundum totam longitudinem aculeati. *Abdomen* breviter elliptico-ovatum, postice sub-acuminatum. *Vulva* ex maculis duabus minutis pallide fuscis, spatio earum diametro multo majore disjunctis constat.

Color. — *Cephalothorax* in fundo ferrugineo-rufus, vitta transversa satis angusta paullo clariore pone oculos posticos praeditus, et in area oculari paullo obscuriore maculis duabus magnis nigris inter se unitis utrinque notatus, quarum anterior elevationem ordinariam anteriorem occupat et oculum 2.^{ae} seriei includit, posterior oculum posticum cingit et arcum ejus supra-ciliarem occupat. Pube luteo-flava munitus est cephalothorax saltem in area inter-oculari et inter oculos utriusque lateris, sub his oculis pube lutea dense vestitus; annuli circum oculos anticos luteo-flavi, infra albicantes. Clypeus pilis nonnullis longioribus albicantibus sparsus videtur. *Sternum* testaceum. *Mandibulae* ferrugineo-rubrae, dorso ad maximam partem (basi et extus) magis piceo, paullo pallido-piloso. *Maxillae* et *labium* testaceo-ferruginea. *Palpi* flavo-testacei, pallido- et, praesertim in latere interiore partis tarsalis, nigro-pilosi. *Pedes* lutei (posteriores magis luteo-testacei), apice et basi paullo clariores, nigro- et ad partem (ut subter in femoribus) albicanti-pilosi. *Abdomen* in fundo testaceo-cinereum, dorso punctis duabus nigris prope basin et maculis quattuor sat magnis nigris fere in rectangulum paullo latius quam longius pone ea positis ornato: maculae (vel potius vittae breves) duae anteriores transversae sunt, obliquae, et paullulo ante medium dorsi sitae, maculae duae posteriores, quae incurvae vel sub-lunatae et inaequales sunt, fere in medio inter eas et anum locum tenent. Pube aureo- vel luteo-flava munitum est dorsum abdominis: in nostro exemplo detrito vestigia ejusmodi pubis (qua ibi vestitus fuisse videtur) antice in dorso remanent, et utrinque, in medio inter maculas duas nigras utriusque lateris ejus, adest vitta brevis transversa paullo obliqua e pube ejusmodi densa formata. Venter pallidus pallido-pubescens figuram paene V-formem nigram, linea media nigricanti parum distincta in duas divisam, ad apicem posticum ostendit. *Mamillae* luteo-testaceae.

Lg. corp. 5; lg. cephaloth. $2\,^1/_3$, lat. ej. $1\,^3/_4$, lat. front. $1\,^1/_2$; lg. abd. $2\,^1/_2$, lat. ej. $1\,^3/_4$ millim. Ped. I circa $4\,^2/_3$, II 4, III $5\,^1/_3$, IV paullo plus $4\,^1/_2$ millim. longi; pat. + tib. I paene 2, pat. + tib. III circa $1\,^4/_5$, pat. + tib. IV $1\,^1/_2$, metat. + tars. IV paene $1\,^1/_2$ millim.

Feminam singulam lepidae hujus speciei in monte Singalang Sumatrae cepit Cel. Beccari. — Etiam haec aranea gen. *Saiti*, Sim., Keys., verisimiliter est adscribenda.

311. **H. dispalans**, n., *cephalothorace sat humili, in fundo piceo, fascia lata sub-marginali alba e pube formata in lateribus cincto, et saltem in area inter-oculari squamulis tenuibus albicantibus, aureum vel cupreum colorem sentientibus munito; palpis gracilibus, nigris, basi late testaceis, parte tibiali saltem aeque longa ac lata, apice extus spina gracili sat longa paene recta armata; pedibus fusco-testaceis, anterioribus nigro-fasciatis, femoribus apice nigris, tibiis omnibus etiam supra aculeo munitis; abdomine ovato-lanceolato, superius nigro-fusco, squamulis tenuibus aeneo-viridibus in dorso et magis aureis in lateribus munito, ventre nigro, cum lateribus inferius pallidis squamulis sericeo-albis vestito.* — ♂ ad. *Long. circa* 4 $^1/_6$ *millim.*

Mas. — *Cephalothorax* $^1/_3$ longior est quam latior, patellam + tibiam + $^3/_4$ metatarsi 1.^i paris longitudine circiter aequans, et paene aeque longus ac patella + tibia + metatarsus 4.^i paris; anteriora versus lateribus rectis usque ad oculos anticos laterales sensim paullo angustatus est, posteriora versus lateribus ample et fortiter rotundatis brevius et fortius angustatus, hic fere semicirculatus, modo in medio postice breviter truncatus; antice levissime rotundatus est. Sat humilis est dicendus, dorso ipso a latere viso sat aequaliter convexo, ante et pone oculos posticos (qui fere in medio ejus locum tenent) aequaliter et modice proclivi et declivi, in declivitatem posticam praeruptam et reliquo dorso fere triplo breviorem sensim transeunti. Clypeus sub-reclinatus; altitudo ejus $^1/_4$ diametri oculi maximi circiter aequat. Nitidus est cephalothorax et laevis, arcubus supra-ciliaribus et impressionibus lateralibus carens, modo inter oculos posticos impressione sat parva et levi munitus, sulco in ea tenui et omnium brevissimo. *Oculi* medii antici magni, reliqui parvi dicendi; medii antici, inter se contingentes, lateralibus anticis triplo majores videntur et spatio non ita parvo ab iis remoti; linea oculos anticos supra tangens recta est, vix sursum curvata. Quadrangulus

oculorum circa $^1/_3$ longitudinis cephalothoracis occupat; rectangulus est, saltem $^1/_3$ latior quam longior, et fere singuli oculi postici diametro angustior postice quam cephalothorax eodem loco. Oculi 2.^{ae} seriei minuti in medio inter anticos laterales et oculos posticos locum tenent; oculi postici lateralibus anticis paullulo minores videntur, diametro sua altius quam ii positi: spatium, quo inter se distant, evidenter majus est quam id, quo a margine cephalothoracis sunt remoti. *Sternum* inverse ovatum, coxis latius; spatium inter coxas 1.^{i} paris labii latitudinem aequat.

Mandibulae directae et parallelae, graciliores, patellas 1.^{i} paris latitudine fere aequantes sed, ut videtur, iis paullo breviores, paene duplo longiores quam latiores, sub-cylindrato-ovatae, apicem versus sensim paullo angustatae, latere exteriore levissime arcuato, apice oblique rotundato-truncato, dorso paene recto, transversim paullo convexo, nitido, laevi, modo subtilissime coriaceo; sulcus unguicularis antice, intus, tres dentes parvos ostendit, postice vero, intus, dentem paullo fortiorem in duos dentes divisum. Unguis brevis, sat fortis. *Maxillae* parallelae, vix duplo longiores quam latiores, labio circa dimidio longiores, apice intus longius, extus brevius rotundato-truncatae; *labium* parum longius quam latius, apice, ut videtur, rotundatum. *Palpi* graciles, sat longi, clava tibiis anticis paullo angustiore: pars patellaris vix vel non longior est quam latior, pars tibialis ejus longitudine et (apice) latitudine fere, a basi apicem versus sensim paullo dilatata, in apice lateris exterioris spina gracili sat longa paene recta anteriora versus et foras directa armata, cujus longitudo diametrum internodii paene aequat. Pars tarsalis duas priores conjunctas longitudine circiter aequat, iis modo paullo latior; elliptico-lanceolata fere est, deorsum curvata, saltem duplo longior quam latior. Bulbus sub-ovatus, humilis et inaequalis; ipso apice spina tenui in helicem minutam convoluta munitus videtur. *Pedes* graciles, modice longi, posteriores anterioribus longiores et paullo graciliores, omnes ut palpi modo parcius pilosi. Femora supra leviter arcuata sunt, tibiae cylindratae, tibiae 1.^{i} paris circa triplo et dimidio longiores quam latiores

et patellâ dimidio longiores; etiam in reliquis pedibus tibiae patellâ circa dimidio longiores sunt. Metatarsi 1.ⁱ paris cylindrati, tibiâ fere dimidio angustiores, tarso paene duplo longiores, cum tarso paullulo breviores quam tibia cum patella. Aculei pedum crebri, sat longi et graciles sunt. Patellae omnes aculeum utrinque habent; omnes tibiae etiam supra aculeo sunt munitae. In tibiis anterioribus praeterea subter 2. 2. 2., antice et postice 1. 1. aculeum vidisse videor; metatarsi anteriores subter 2. 2., antice et postice 1. 1. aculeis armati sunt. Metatarsi posteriores secundum totam longitudinem aculeati. *Abdomen* ovato-lanceolatum, duplo longius quam latius. *Mamillae* mediocres.

Color. — *Cephalothorax* in fundo piceus, dorso pone oculos posticos, anterius, paullo clarior, ipso margine postice et in lateribus anguste nigro; fascia brevi nigra oculos laterales utriusque lateris conjungenti et amplectenti utrinque est notatus, et fascia lata paene marginali pallidiore dense albo-pubescenti utrinque cingitur, quae anterius oculos laterales tangit et in clypeum albo-pubescentem et pilosum continuatur. In exemplo nostro detrito vestigia squamularum tenuium albicantium, certo situ aureo-vel cupreo-micantium in area inter-oculari conspiciuntur; annuli circum oculos anticos flavi sunt. *Sternum* fusco-testaceum, nigricanti-maculatum. *Mandibulae* nigrae, macula oblonga testacea ad basin (ubi pilis longioribus albis vestitae fuisse videntur) notatae et summo apice testaceae. *Maxillae* et *labium* nigra, apice testacea. *Palpi* nigri, parte femorali testacea, macula nigra ad basin utrinque; pars patellaris ad magnam partem, saltem basi et extus, testacea est, pars tarsalis apice et in margine interiore testacea quoque. Minus dense pilis nigricantibus, fuscis et albis vestiti sunt palpi. *Pedes* fusco-testacei, 1.ⁱ paris paullo obscuriores; femora tamen sex anteriora fascia longitudinali lata nigra antice notata sunt, quattuor anteriora praeterea apice nigra; tibiae 1.ⁱ paris utrinque nigrae sunt et patellae anteriores saltem basi nigricantes. Paullo pallido- et fusco-pilosi sunt pedes, aculeis fuscis et nigris. In fundo *abdomen* supra et in lateribus superius nigro-fuscum est, in medio versus basin dorsi paullo clarius, lateribus infra pallidis; superius squamulis tenuibus in

dorso viridibus, in lateribus magis aureis tectum fuisse videtur. Venter pone rimam genitalem nigricans est et, cum lateribus inferius, squamulis tenuibus sericeo-albis vestitus. *Mamillae* superiores nigricantes, inferiores testaceae.

Lg. corp. 4 $^1/_6$; lg. cephaloth. 2, lat. ej. 1 $^1/_2$, lat. front. paullo plus 1 $^1/_3$; lg. abd. paullo plus 2, lat. ej. paullo plus 1 millim. Ped. I circa 4, II 4, III paene 4 $^2/_3$, IV 4 $^1/_2$ millim. longi; pat. + tib. I 1 $^1/_3$, pat. + tib. III paene 1 $^1/_2$, pat. + tib. IV 1 $^1/_4$; metat. + tars. IV 1 $^1/_2$ millim.

Marem detritum in Java captum, quem singulum vidi, dono mihi dedit Cel. Van Hasselt. — *H.* (*Plexippo*) *sinuato* (Dol.) nob. (1), *H. laticipiti* (Thor.), cet., quorum mares multum a feminis discrepant, et qui secundum Cel. Simon (2) generis *Cytaeae* (Keys.) sunt, haec species est affinis (3).

342. **H. trivialis** (Thor.).

Syn.: 1877. *Menemerus* (?) *trivialis*, Thor., Studî, *cet.*, I, Ragni di Selebes, loc. cit., p. 571 (231).
1881. *Plexippus trivialis*, id., ibid., III, Ragni dell'Austro-Malesia, *cet.*, loc. cit., pp. 508, 709.

In Celebes, ad Kandari, capta est haec species, quae, ut loc. cit., III, p. 508 dixi, *Plexippo Paykullii* (Aud. *in* Sav.) et *P. culicivoro* (Dol.) valde affinis est, sed ab iis tibia cum patella 3.ii paris tibiam cum patella 4.i paris longitudine aequanti differt.

343. **H. McCookii**, n., *dense pubescens et sub-hirsutus, cephalothorace nigro, fasciis tribus longitudinalibus e pube alba (intermixta saltem in marginibus pube ferruginea) formatis ornato, clypeo albo-pubescenti et -piloso; palpis maris brevibus, parte tibiali sub-transversa, apice extus dente brevi armata; pedibus in fundo piceis,*

(1) Haec Stud., II, p. 240; conf. ibid., III, pp. 600—613 (n.is 289—294).

(2) Simon, Arachn. recueillis par M. Weyers à Sumatra (1.er envoi), loc. cit., p. (6).

(3) Numerus dentium sulci unguicularis saltem in *H. sinuato* (Dol.) paullo variat: in mare, saltem interdum, hic sulcus 5 dentes antice habet (non ut in femina, modo dentes 4); in altera mandibula exempli masculi ejusmodi sulcus unguicularis in margine postico seriem denticulorum 5 ostendit, in altera mandibula modo duos dentes, basi unitos, ut in femina!

nigro-sub-annulatis, tibia cum patella 3.ii paris tibiam cum patella 4.i paris longitudine modo aequanti; abdomine supra nigro, fascia media longitudinali sub-aequali sat lata alba vel ferrugineo-alba, in femina utrinque postice dentato-lobata, ornato, lateribus maris fascia longitudinali alba notatis quoque; vulva e fovea magna transversa profunda nigra constanti, quae limbo pallide fusco cincta est. — ♂ ♀ ad. *Long.* ♂ *circa* 7 $^1/_2$, ♀ *circa* 10 *millim.*

Mas. — *Cephalothorax* $^1/_3$ longior quam latior, patellam + tibiam + dimidium metatarsum 1.i paris, et patellam + tibiam + totum metatarsum 4.i paris longitudine aequans, lateribus sat leviter rotundatis anteriora versus non parum (ante oculos posticos paullo fortius) sensim angustatus, lateribus magis rotundatis, posteriora versus fortius et brevius angustatus, in medio postice sat anguste truncatus, fronte modo levissime rotundata. Modice altus est, dorso ipso a latere viso ante oculos posticos, qui paullo ante medium ejus positi sunt, modice declivi et anterius paullo convexo, pone eos paullo fortius declivi, paene recto et in declivitatem posticam anterius paullo convexam, praeterea rectam, dimidium reliqui dorsi longitudine fere aequantem et modo leviter declivem sensim transeunti. Clypei altitudo $^1/_4$ diametri oculi maximi superare videtur; arcus supra-ciliares oculorum posticorum sat debiles sunt, elevatio utrinque ad oculos laterales anteriores, intus, sita distincta sed humillima; impressiones ante oculos posticos et in medio inter eos leves, sulcus ordinarius inter et paullulo pone eos brevis et sat tenuis. *Oculi* parvi; linea recta margines superiores mediorum tangens laterales modo paullo sub margine superiore secat. Medii antici, contingentes inter se, lateralibus anticis plus duplo, paene duplo et dimidio majores sunt et ab iis spatiis disjuncti, quae $^1/_4$ diametri oculi lateralis vix superant. Quadrangulus oculorum vix $^1/_3$ longitudinis cephalothoracis occupat; circa $^1/_3$ latior est quam longior, vix vel parum latior postice quam antice; circa tripla oculi postici diametro angustior est postice quam cephalothorax eodem loco. Oculi 2.ae seriei parum longius ab oculis posticis quam a lateralibus anticis distant; oculi postici paullulo minores quam laterales antici sunt et saltem diametro sua altius quam ii siti;

spatium, quo inter se distant, aeque paene magnum mihi videtur atque id, quo a margine cephalothoracis remoti sunt. *Sternum* anguste ovato-ellipticum, coxis vix latius; spatium inter coxas $1.^{i}$ paris labii latitudinem aequat.

Mandibulae directae, parallelae, patellas anticas longitudine aequantes, iis non parum latiores, duplo longiores quam latiores, sub-cylindratae, extus et intus rectae, in dorso paene rectae quoque, praesertim versus basin transversim convexae, versus apicem interiora versus paullo declives, sat crasse transversim striatae, pilosae; apice oblique emarginato-truncatae sunt, sulco unguiculari antice, in angulo interiore, dentibus duobus inter se valde approximantibus munito, postice vero dente singulo brevi sat forti; unguis mediocris, leviter curvatus. *Maxillae* parallelae, circa duplo longiores quam latiores, labio dimidio longiores, basi angustae, praeterea sat latae, apice intus et extus late rotundato-truncato. *Labium* non parum longius quam latius, apice sensim rotundato-angustato. *Palpi* breves, non robusti, clava tibias anticas latitudine paene aequanti; pars patellaris paullo (non dimidio) longior est quam latior, pars tibialis ejus latitudine fere sed brevior, sub-transversa, spina brevissima vel dente anteriora versus et paullo foras directo in apice lateris exterioris munita; pars tarsalis prioribus duabus conjunctis non parum longior est, iis paullo latior, circa triplo longior quam latior, a basi apicem obtusissimum versus sensim modo paullo angustata. Bulbus longus et valde inaequalis, in latere exteriore dilatato-inflatus, ita ut hic a parte tarsali non tegatur; postice in lobum magnum retro productus est, qui sub parte tibiali extenditur; in medio apicis vero spina breviore porrecta et paullo incurva munitus est. *Pedes* breviores, $1.^{i}$ paris modice robusti, reliqui gradatim paullo graciliores; femora supra paullo arcuata sunt, tibiae cylindratae, $1.^{i}$ paris circa 4.plo longiores quam latiores; $1.^{i}$ et $4.^{i}$ parium tibiae patellâ multo, sed non dimidio, longiores sunt, tibiae $3.^{ii}$ paris patellà parum longiores; metatarsus $1.^{i}$ paris basi tibiâ vix dimidio angustior est, tarso plus dimidio, paene duplo longior, cum tarso aeque fere longus ac tibia cum dimidia patellâ. Pedes dense pubescentes sunt,

pilis longioribus sub-hirsuti, et aculeis mediocribus minus crebris armati. In utroque latere patellae aculeum habent; tibiae supra aculeis carent; subter tibiae anteriores aculeis 2. 2. 2., antice 1. 1. aculeis armatae sunt, metatarsi anteriores subter 2. 2. aculeis. Metatarsi posteriores secundum totam longitudinem aculeati. *Abdomen* saltem dimidio longius quam latius, sub-ellipticum, apice sub-acuminato. *Mamillae* breviores, formâ ordinariâ. Ut cephalothorax, abdomen pube densa vestitum est et pilis longioribus sparsum.

Color. — *Cephalothorax* niger; in utroque latere fascia marginali sat lata alba antice abbreviata (modo sub oculo postico pertinenti) notatus est, his fasciis e pube alba (et in marginibus praesertim superiore e pube ferruginea) formatis; praeterea fascia media e pube alba, intermixta (praesertim in marginibus) pube ferruginea, notatur, quae fascia ab oculis anticis paene usque ad marginem cephalothoracis posticum ducta est, antice lata, posteriora versus sensim angustata; praeterea utrinque in area inter-oculari ut et inter oculos utriusque lateris et paullo sub iis ferrugineo-pubescens est cephalothorax, annulis circum oculos anticos ferrugineis quoque. Clypeus pilis longis albicantibus munitus est, dorsum cephalothoracis pilis longis nigris sub-erectis dense sparsum. *Sternum* sub-piceum, albo- et nigro-pilosum. *Mandibulae* piceae, intus pilis longis albis munitae. *Maxillae* et *labium* picea, illae apice intus pallidae, ut coxae subter nigro-pilosae. *Palpi* picei, albo- et sub-ferrugineo-pubescentes, albo- et nigro-pilosi. *Pedes* picei, femoribus et tibiis praesertim anterioribus apice late nigris, metatarsis, patellis et metatarsis quoque apice plus minus evidenter nigris; pube alba et sub-ferruginea vestiti sunt et pilis albis (praesertim in femoribus subter) et nigris sub-hirsuti. *Abdomen* supra nigrum, fascia media lata alba, in marginibus sub-ferruginea, secundum totum dorsum extensa ornatum, quae eadem latitudine fere est et in marginibus paene aequalis; in utroque latere fasciam ejusdem coloris habet abdomen antice latam, posteriora versus sensim paullo angustatam: interstitia nigra inter has tres fascias fascia dorsuali modo paullo latiora sunt. Venter niger totus. *Mamillae* sub-piceae vel -fuscae.

Femina ad formam parum a mare differt. *Cephalothorax* plane est ut in eo diximus, modo paullo latior, et paullo longior quam patella + tibia + metatarsus pedum 1.ⁱ et 4.ⁱ parium. *Oculi* quoque ut in mare, excepto quod quadrangulus oculorum non parum, circa diametro oculi postici, latior est postice quam antice, et spatium, quo inter se distant oculi postici, paullo majus est quam id, quo a margine cephalothoracis sunt remoti; spatia inter oculos anticos medios et laterales fortasse paullo majora sunt quam in mare. *Mandibulae* formâ plane ordinariâ, sub-cylindratae, patellis anticis non parum longiores et crassiores, saltem duplo longiores quam latiores, in dorso versus basin fortiter convexae. Sulcus unguicularis intus dentibus tribus mediocribus armatus est, duobus antice, uno postice. *Sternum, maxillae* et *labium* ut in mare. *Palpi* mediocres, pilis longis praesertim versus apicem supra et in lateribus aequaliter hirsuti; partes patellaris et tibialis eadem longitudine sunt, dimidio longiores quam latiores; pars tarsalis iis conjunctis vix vel parum brevior, cylindrata, apice obtusa. *Pedes* breviores et robustiores quam in mare; tibiae 4.ⁱ paris patellâ paullo, 1.ⁱ paris patellâ vix longiores sunt, reliquae tibiae patellam longitudine circiter aequant. In pedibus 1.ⁱ paris tibiae duplo et dimidio longiores sunt quam latiores, metatarsi tarso non dimidio longiores, a basi ad apicem sensim magis quam in mare angustati, cum tarso tibiam cum dimidia patella longitudine vix aequantes. Eodem modo atque in mare pilosi et pubescentes sunt pedes eodemque modo aculeati. *Abdomen* elliptico-ovatum, paullo brevius quam in mare. *Vulva* ex fovea magna et profunda cornea constat, quae in fundo nigra est, marginibus sub-elevatis (praesertim antico) late pallide fuscis: saltem dimidio latior quam longior est, anteriora versus sensim paullo angustata, antice truncata vel paullo sinuata, angulis posticis ample et fortiter rotundatis. Ceterum quae de forma maris diximus in feminam quadrant.

Color parum a maris colore differt. *Cephalothorax* ut in eo niger est, fasciis ejusmodi tribus albis, quarum laterales tamen supra minus bene definitae sunt et longius anteriora versus productae, pube earum alba magis pube ferruginea mixta; la-

tera areae inter-ocularis utrinque pube ferruginea, nigra et alba variata sunt; sub oculis lateralibus utriusque lateris et inter eos ut in genis pubescentiae ferrugineae pubes alba admixta est. Clypeus pube flaventi-alba et pilis longis albis vestitus; annuli circum oculos anticos albi. *Sternum* cum coxis subter sub-fusco-testaceum et nigro- alboque pilosum. *Mandibulae* ferrugineo-piceae, pilis longis crassis albis sparsae; *maxillae* et *labium* picea, illae apice intus pallidae. *Palpi* picei, paullo nigro-annulati, pilis albis nonnullisque nigris vestiti, albo- et ferrugineo-pubescentes. *Pedes* quoque picei, femoribus saltem anterioribus in lateribus versus apicem late nigris, tibiis et patellis quoque eodem modo plus minus evidenter apice nigris; pube alba et ferruginea dense vestiti sunt pedes et pilis albis (praesertim subter in femoribus) et nigris hirsuti. *Abdomen* supra nigrum est, ad latera paullo clarius; secundum medium totius dorsi fascia lata ferrugineo-alba extensa est, quae a medio anteriora et posteriora versus modo paullulo est angustata: haec fascia, e pube alba, intermixta ferruginea, formata, anterius paullo nigro-punctata est, postice, in parte quarta longitudinis fere, utrinque sat profunde dentata vel hic quasi e maculis paucis transversis retro fractis composita. Latera abdominis pube albicanti, ferruginea et nigra variata sunt, quae fascias paucas obliquas albicantes format; venter niger, ad latera albicans. *Mamillae* sub-fuscae.

♂. — Lg. corp. $7\,^1/_2$; lg. cephaloth. paene 4, lat. ej. $2\,^5/_6$, lat. front. 2; lg. abd. paene 4, lat. ej. paullo plus $2\,^1/_3$ millim. Ped. I $8\,^1/_3$, II $7\,^4/_5$, III $7\,^1/_2$, IV 8 millim. longi; pat. + tib. I 3, pat. + tib. IV $2\,^1/_2$; metat. + tars. IV $2\,^1/_2$ millim.

♀. — Lg. corp. 10; lg. cephaloth. $4\,^1/_2$, lat. ej. $3\,^1/_3$, lat. front. paene $2\,^1/_2$; lg. abd. 6, lat. ej. 4 millim. Ped. I $7\,^1/_3$, II 7, III $8\,^1/_2$, IV 9 millim. longi; pat. + tib. I 3, pat. + tib. III paene 3, pat. + tib. IV paene 3; metat. + tars. IV $2\,^4/_5$ millim.

Exempla duo, masculum et femineum, vidi, in Java capta et a Cel. Van Hasselt dono mihi data.

Haec species formis generis *Plexippi* supra a me descriptis, praesertim *P. gausapato*, n., valde affinis videtur; sed quoniam

tibiam cum patella 3.ii paris aeque longam ac tibiam cum patella 4.i paris habet (pedes 4.i paris tamen longiores quam 3.ii paris), gen. *Hasario* eam, ut speciem priorem, adscribi debui.

Gen. **Nicylla** (1), N.

Cephalothorax circa $^1/_3$ longior quam latior, antice, ante oculos 2.ae seriei, lateribus rotundatis anteriora versus cito angustatus, postice lateribus fortius rotundatis posteriora versus sat breviter angustatus, lateribus in medio paene rectis et parallelis; humilis est, dorso ipso longo et paene recto, clypeo vix $^1/_4$ diametri oculi maximi altitudine aequanti.

Quadrangulus oculorum, parum plus $^1/_3$ longitudinis cephalothoracis occupans, paene dimidio latior est quam longior, et paullo latior antice quam postice, ubi multo angustior est quam cephalothorax eodem loco. Series oculorum antica modice sursum est curvata; oculi seriei 2.ae fere in medio inter oculos posticos et laterales anticos positi sunt, oculi postici longius inter se quam a margine cephalothoracis remoti.

Sternum breve, coxis latius; coxae 1.i paris spatio magno disjunctae.

Mandibulae parallelae, directae.

Maxillae parallelae, apice rotundatae, labio circa dimidio longiores.

Labium longius quam latius, apice rotundatum.

Palpi breves et obtusi.

Pedes minus robusti, longitudine mediocri, ita: I, II, IV, III (♂) vel I, IV, III, II (♀) longitudine se excipientes, 1.i paris reliquis paullo robustiores. Tibia cum patella 3.ii paris saltem aeque longa est ac tibia cum patella 4.i paris; metatarsus cum tarso 4.i paris tibiam cum patella ejusdem paris longitudine fere aequat. Aculeis sat crebris armati sunt pedes; metatarsi 4.i paris non apice tantum aculeati.

(1) Νίκυλλα est nom. propr. person.

Abdomen sat longum dicendum, plus minus depressum; mamillae mediocres.

Typus: *N. Sundevallii*, n.

Hoc genus novum cephalothorace humili et quadrangulo oculorum postice cephalothorace multo angustiore praesertim a gen. *Hasario* differt; ad formam in universum cephalothorax ejus paene est ut in formis illis generis *Marptusae*, quas *M. demissam*, *M. oppressam*, cet., supra (p. 295 et sequ.) appellavimus, attamen non ita humilis; cum iis et cum *Orcevia*, nob., etiam ad formam palporum brevium et valde obtusorum convenit *Nicylla*. Sed in hoc genere tibia cum patella 3.ii paris non brevior quam, sed saltem aeque longa est ac tibia cum patella 4.i paris, labium longius quam latius, cet.

344. **N. Sundevallii**, n., *cephalothorace humili, albo-pubescenti, in fundo piceo, saltem area inter-oculari nigra; mandibulis brevibus, directis; palpis testaceo-piceis, apice obscurioribus, parte tibiali in mare sub-transversa, apice extus spina paene recta sat longa et forti armata; pedibus testaceis, nigro-annulatis*, 1.i *paris pedibus, qui praesertim in mare reliquis longiores sunt, obscurioribus, saltem metatarsis nigris, tarsis vero saltem basi testaceis, tibia cum patella* 3.ii *paris tibiam cum patella* 4.i *paris longitudine modo aequanti; abdomine longiore, lateribus et, in mare, dorso toto in fundo nigris, vittis binis obliquis albis in lateribus supra, magis postice, sitis et linea brevi transversa alba in apice dorsi notato, basi, praesertim in lateribus, albo-pubescenti quoque; dorso abdominis in femina plaga sub-cinereo-testacea paullo inaequali, anterius linea longitudinali sub-geminata, postice lituris paucis obscurioribus sub-recurvis notata et saltem ad margines laterales albo-pubescenti ad maximam partem occupato, pictura praeterea ut in mare.* — ♂ ♀ ad. *Long.* ♂ 6-8 $^1/_5$, ♀ *circa* 8 *millim.*

Mas. — *Cephalothorax* $^1/_3$ longior quam latior, tibiam cum $^1/_3$-$^2/_3$ patellae 1.i paris, et patellam + tibiam + metatarsum 4.i paris longitudine aequans, lateribus paene rectis anteriora versus paene usque ad oculos 2.ae seriei sensim vix vel modo paullulo angustatus, dein brevi spatio fortiter rotundato-angu-

status; posterius, in parte circiter tertia, lateribus ample et fortiter rotundatis posteriora versus angustatus est, postice in medio minus late truncatus; frons leviter rotundata. Humilis valde est cephalothorax, dorso ipso paene plano, a latere viso ante oculos posticos (qui longe ante medium ejus locum tenent) modo paullo proclivi et, antice, convexo, pone eos primum paene recto et librato, dein leviter convexo-declivi et in declivitatem posticam sat brevem, paene rectam et modice declivem sensim transeunti. Arcus supra-ciliares oculorum posticorum debillimi sunt, elevationes illae ad oculos laterales anteriores, intus, sitae bene expressae; modo pone oculos posticos impressionem magnam oblongam levem ostendit cephalothorax, in qua, praeter sulcus ordinarius medius longus et sat tenuis, impressio angusta obliqua parum expressa utrinque postice conspicitur. Facies humilis; clypei altitudo tamen saltem $^1/_4$ diametri oculi maximi aequare videtur. *Oculi* parvi; medii antici, inter se sub-contingentes, lateralibus anticis plus duplo majores sunt et ab iis spatio sat parvo remoti; linea margines superiores anticorum oculorum tangens recta est. Quadrangulus oculorum brevissimus, non $^1/_3$ longitudinis cephalothoracis occupans, plus dimidio longior quam latior, et paullulo latior antice quam postice, ubi paene quadrupla oculi postici diametro angustior est quam cephalothorax eodem loco. Oculi 2.^{ae} seriei in medio inter oculos laterales anticos et oculos posticos locum tenent; oculi postici lateralibus anticis paullo minores sunt et fere diametro sua altius quam ii positi, spatioque evidentissime majore inter se remoti, quam quo a margine cephalothoracis distant. *Sternum* amplum, breviter et inverse sub-ovatum, coxis multo latius; spatium inter coxas 1.^{i} paris labii latitudinem aequat.

Mandibulae directae, parallelae, patellis anticis multo breviores et eas latitudine circiter aequantes, dimidio longiores quam latiores, sub-conico-cylindratae fere, a basi usque ad apicem sensim paullo angustatae, apice paullo oblique truncatae, in latere exteriore leviter convexo-arcuatae, dorso et transversim et ad longitudinem modo paullulo convexo, sub-plano, interiora versus paullo declivi, transversim crasse rugoso-striato, piloso; unguis brevis

et fortis. *Maxillae* parallelae, fere duplo longiores quam latiores, labio paene dimidio longiores, apice oblique (extus longius, intus brevius) rotundato-truncato; *labium* paullo longius quam latius, a basi apicem rotundatum versus sensim angustatum. *Palpi* breves, clava tibiam 1.[i] paris latitudine vix vel non aequanti; pars patellaris paullo (non dimidio) longior est quam latior, pars tibialis ejus latitudine fere, sed multo brevior, paullo latior quam longior, in apice lateris exterioris spina sat forti recta (ipso apice sub-obtuso paullulo deorsum curvato), anteriora versus et foras directa armata, quae diametrum partis tibialis longitudine aequat. Pars tarsalis priores duas conjunctim longitudine aequat, parte tibiali circa dimidio latior; sub-ovata est, circa dimidio longior quam latior, basi oblique sub-truncata, in latere interiore fortiter, in latere exteriore versus basin sat leviter rotundata, apice obtuso. Bulbus sat magnus, longus (sed non retro productus), a latere visus humilis et paene rectus: pars ejus anterior extus et postice costâ fere in semicirculum intus et paullo anteriora versus curvatâ cingitur. *Pedes* sat graciles, 1.[i] paris reliquis paullo robustiores et multo longiores; femora supra leviter arcuata sunt, tibiae cylindratae, 1.[i] paris tibiae circa 5.plo longiores quam latiores et patellâ fere duplo longiores; in reliquis pedibus tibiae patellâ vix vel non dimidio longiores sunt. Metatarsus 1.[i] paris tibiâ multo est angustior, tarso plus duplo longior, cum tarso tibiam cum $^1/_3$ patellae longitudine fere aequans. (In exemplis parvis pedes 1.[i] paris breviores sunt quam in majoribus, cum corpore vel cephalothorace comparati). Minus dense pubescentes et pilosi sunt pedes, aculeis debilibus et sat brevibus armati. Patellae modo singulum aculeum habere videntur; tibiae supra aculeis carent. Tibiae 1.[i] paris subter 2. 2. 2., antice et postice 1. 1. 1. aculeis munitae sunt, metatarsi hujus paris 2. 2. 2. aculeis longioribus, in lateribus magis subter sitis; in tibiis 2.[i] paris aculei subter 2. 2. 2., antice et postice 1. 1. 1. vel 1. 1. sunt, in metatarsis ejus paris subter 2. 2., antice et postice 1. 1. Metatarsi posteriores secundum totam longitudinem aculeati. *Abdomen* ovato-lanceolatum, fere duplo longius quam latius. *Mamillae* breviores, superiorum art. 2.[s] sub-conicus.

Color. — *Cephalothorax* in fundo piceo-niger, nitidus, area inter-oculari purius nigra; pilis nigris sparsus est, et pube sat densa alba ad maximam partem vestitus fuisse videtur, saltem in lateribus et postice, ut et transversim pone oculos posticos et ad medium marginem frontalem; clypeus albo-pilosus est et annuli circum oculos anticos albi. *Sternum* et *partes oris* nigro-picea, mandibulae colorem aeneum paullo sentientes et saltem magis intus in dorso pilis albis sparsae. *Palpi* testaceo-picei, saltem magis versus basin supra paullo albo-pubescentes, partibus tibiali et tarsali piceis et pilis longis sat densis nigris munitis. *Pedes* 1.[i] paris picei, patellis et tibiis in medio paullo clarioribus, coxis et trochanteribus (his saltem ad partem) testaceis, metatarsis nigris, tarsis fusco-testaceis, apice piceis; reliqui pedes testacei sunt, femoribus apice sat late, tibiis et metatarsis apice anguste et basi etiam angustius nigris, patellis saltem apice nigris. *Abdomen,* pilis nigricantibus sparsum, supra et in lateribus nigrum est, dorso nitido, colorem aeneum vel cyaneum paullulo sentienti et macula una alterave parva transversa subrecurva pallidiore in fundo, paullo ante anum, notato; in utroque latere superius vittas duas breviores obliquas e pube alba formatas ostendit, quarum anterior paullo ante medium longitudinis sita est, posterior (quae interdum deest) paullo longius ab apice postico quam ab ea; ad ipsum apicem posticum linea vel fascia brevis transversa albissima ea quoque e pube alba formata notatur. Praeterea anterius saltem in lateribus et in declivitate antica albo-pubescens est abdomen, hac pubescentia minus densa vittam basalem recurvam interdum formanti. (In exemplis illaesis fortasse dorsum et latera etiam magis albo-pubescentia sunt). Venter, pone rimam genitalem late niger, in lateribus satis anguste testaceus et albo-pubescens est itaque fasciis duabus longitudinalibus albicantibus notatus. *Mamillae* nigrae.

Femina ad formam parum a mare differt. *Cephalothorax,* paullo longior quam tibia cum patella 1.[i] paris, et patellam + tibiam + metatarsum 4.[i] paris longitudine aequans, plane ut in mare est, excepto quod impressio ejus media minor et ovato-acuminata est, sulco breviore; latera in medio plane recta et parallela

videntur. *Oculi* fere ut in mare; sed linea recta oculos anticos medios supra tangens laterales paullo sub margine superiore secat; spatium, quo hi ab illis remoti sunt, paullo majus videtur; quadrangulus oculorum $^1/_3$ longitudinis cephalothoracis occupat. *Sternum, maxillae* et *labium* ut in mare. *Mandibulae* quoque ut in illo, modo paullo breviores, vix dimidio longiores quam latiores, patellis anticis parum breviores. *Palpi* breviores; pars patellaris dimidio longior est quam latior, pars tibialis eâ brevior et paullo angustior, paullo (non dimidio) longior quam latior; pars tarsalis priores duas conjunctas longitudine paene aequat, parte tibiali parum angustior, a basi usque ad apicem obtusum sensim modo paullulo angustata; praesertim in partibus tibiali et tarsali pilis longioribus fortibus dense vestiti sunt palpi. *Pedes* 1.[i] paris breviores quam in mare, tibiis vix 4.plo longioribus quam latioribus, patellâ non parum (sed non dimidio longioribus; tibiae 2.[i] paris patellâ vix longiores sunt, reliquae tibiae, praesertim 4.[i] paris, patellâ paullo longiores. Metatarsus 1.[i] paris tarso fere duplo longior est, cum tarso tibiâ paullo longior. Eodem modo atque in mare pilosi et aculeati sunt pedes, excepto quod metatarsi 1.[i] paris 7 aculeos habent (2 apice extus), et aculei igitur subter 2. 2., antice 1, postice 1. 1. dici possunt, vel potius 2. 2. 2. subter et 1 postice, in apice. *Abdomen* depressum, sub-ellipticum, duplo longius quam latius, basi sub-truncatum, apice breviter sub-acuminatum, in lateribus modo leviter rotundatum. *Vulva* parum conspicua, nisi si in fluido quodam immersa est aranea: tum ante rimam genitalem maculas duas parvas circulatas nigras, et ante eas aream sat magnam, triplo latiorem quam longiorem, antice sinuatam vel sub-emarginatam, postice magis truncatam, in lateribus anterius rotundatam, pallidam et costa tenui fusca limitatam video, quae costa in medio postice abrupta est et hic lineolis duabus brevibus parallelis nigris cum maculis illis nigris conjuncta; spatium minutum pallide fuscum inter has duas lineolas antice ad longitudinem striatum videtur.

Color. — *Cephalothorax* piceus, area inter-oculari et lateribus cum limbo postico nigris, vel potius niger dicendus, plaga magna picea pone oculos posticos; eodem modo atque in mare albo-

pubescens est et fusco-pilosus, clypeo albicanti-piloso, annulis circum oculos anticos albicantibus. *Sternum* nigrum. *Mandibulae* nigrae, aeneum colorem vix sentientes, albo-pilosi. *Maxillae* et *labium* nigro-picea. *Palpi* obscure testaceo-picei, parte femorali apice supra nigricanti, partibus tibiali et praesertim tarsali obscurioribus, nigro-piceis, nigro- et sub-ferrugineo-pilosis. *Pedes* testacei, exceptis 1.[i] paris, qui magis picei sunt, femoribus apice late nigris, tibiis nigro-piceis, basi et apice anguste nigris, metatarsis nigris, coxis, trochanteribus, femoribus (basi subter) et tarsis testaceis; in reliquis pedibus femora apice satis anguste nigra vel nigro-maculata sunt, patellae, tibiae et metatarsi basi et apice plus minus anguste nigra. *Abdominis* dorsum in fundo plaga magna sub-cinereo-testacea, non plane usque ad apicem posticum nigrum pertinenti, in lateribus inaequali occupatur, quae linea longitudinali nigra (anterius dilatata) quasi est dimidiata, et postice lineas vel vittas transversas paucas breves subrecurvas obscuriores ostendit: haec plaga saltem versus margines suas albo-pubescens est; pone eam, ad ipsum apicem posticum, linea vel vitta transversa brevis pallida dense albo-pubescens conspicitur. Latera abdominis satis anguste nigra sunt, fasciis binis brevibus obliquis superius, magis postice, notata, ut in mare. Venter fuligineo-testaceus, fascia longitudinali pallidiore albo-pubescenti ad utrumque latus. *Mamillae* nigricantes.

♂. — Lg. corp. 8 $^1/_5$; lg. cephaloth. 4, lat. ej. 3, lat. front. 2 $^1/_3$; lg. abd. 4 $^1/_2$, lat. ej. paene 2 $^1/_2$ millim. Ped. I 12 $^1/_4$, II 8, III 7 $^1/_2$, IV 7 $^3/_4$ millim. longi; pat. + tib. I 5, pat. + tib. III 2 $^1/_2$, pat. + tib. IV 2 $^1/_2$; metat. + tars. IV 2 $^1/_2$ millim.

♀. — Lg. corp. 8; lg. cephaloth. 3 $^3/_4$, lat. ej. paene 3, lat. front. 2 $^1/_4$; lg. abd. 4 $^3/_4$, lat. ej. 2 $^1/_4$ millim. Ped. I 8 $^1/_2$, II 6 $^2/_3$, III 7, IV paene 7 $^1/_2$ millim. longi; pat. + tib. I 3 $^1/_2$, pat. + tib. III 2 $^1/_2$, pat. + tib. IV 2 $^1/_2$; metat. + tars. IV 2 $^1/_2$ millim.

Exempla pauca, inter ea feminam adultam singulam, in monte Singalang Sumatrae collegit Beccari. — Ad picturam abdominis, cet., haec species satis cum *Plexippo* (*Hyllo?*) *ianthino*.

C. L. Koch [1] — cujus varietas *P. succinctus*, id. [2], esse videtur — satis convenit; sed cephalothorax in *P. ianthino* multo altior est.

Cel. Karsch, ad quem marem *N. Sundevallii* misi, et qui eum cum exemplis typicis *P. ianthini*, in Museo Berolinensi asservatis benigne comparavit, ad me scribit, illam a *P. ianthino* « saltem specifice esse diversam ». Haec praeterea in litteris suis addit vir clarissimus: « Bei *P. ianthinus* ist der Cephalothorax *sehr hoch*, steigt an seinem thoracalen Theile sanft gewölbt von hinten nach vorn bis zu den Augen der hintersten Reihe allmählig an, ragt über dieselbe hinaus und steigt vor denselben ziemlich gerade wieder nach vorn herab und ist auch im Verhältniss vorn viel schmäler als bei *Nicylla Sundevallii*. Desgleichen ist auch der Clypeus des *P. ianthinus* etwas höher als der der *Nicylla*. Die Beine sind bei *P. ianthinus* sämmtlich ganz gleich gefärbt, und von einer Ringelung nicht die Spur wahrnehmbar. Länge des *P. ianthinus* 11 $^1/_2$ millim. »

(1) Die Arachn., XIII, p. 97, Tab. CCCCXLVIII, fig. 1160.
(2) Ibid., p. 98, fig. 1161.

QUADRO DELLE SPECIE DI RAGNI FINORA (Dicembre 1885) OSSERVATE NELL' INDO-MALESIA (ECCETTUATE LE ISOLE FILIPPINE), E DELLE LOCALITÀ DOVE FURONO TROVATE.

ARANEAE.

ORBITELARIAE.

EPEIROIDAE SIVE EUETRIOIDAE.

		Altre parti dell'ASIA; AFRICA, EUROPA	Sotto-Regione INDO-MALESE												Sotto-Regione AUSTRO-MALESE
			Pinang	Malacca	Singapore	Bintang	Bodjo	Sumatra	Banca	Pulo Loz	Labuan	Borneo	Java	Selebes	
	Gasteracantha (SUND.).														
1	Mengei, *Keys.*			I	I			I				I			
2	* eurygaster, *n.*													I	
3	fornicata (*Fabr.*)	I						I				I	I		
	Var. bubula, *n.*							(I)							
4	vittata, *Thor.*							I				I	I		
5	montana, *n.*							I							
6	* flebilis, *Cambr.*											I			
7	Doriae, *Sim.*											I			
8	Butleri, *Thor.*													I	
9	* leucomelaena (*Dol.*)							I					I		
10	cuspidata, *C. L. Koch*												I		
11	* Kuhlii, *C. L. Koch*												I		
12	brevispina (*Dol.*)	I		I			I	I				I	I		I
	Plectana (WALCK.).														
13	arcuata (*Fabr.*)	I		I				I				I	I		
14	Beccarii (*Thor.*)													I	
15	clavatrix, *Walck.*													I	
16	* claveata (*Cambr.*)													I	
17	* globulata, *Walck.*							I					I		
18	Blackwallii (*Keys.*)	I						I				I			
19	Hasseltii (*C. L. Koch*)				I			I					I		
	Paraplectana (CAP.).														
20	depressa, *Thor.*													I	
21	picta, *Thor.*													I	I
22	maritata, *Cambr.*	I						I							
23	villosa, *Thor.*													I	
	Caerostris, THOR.														
24	paradoxa (*Dol.*)							I					I		
	Cyrtarachne, THOR.														
25	perspicillata (*Dol.*)							I					I		
26	* nigro-humeralis, *Van Hass.*							I							
27	tricolor (*Dol.*)													I	I
28	laevis, *Thor.*													I	
29	lepida, *n.*							I							
	Poltys, C. L. KOCH.														
30	illepidus, *C. L. Koch*				I	I									
31	* Idae (*Auss.*)											I			

		Altre parti dell'ASIA; AFRICA, EUROPA	Sotto-Regione INDO-MALESE												Sotto-Regione AUSTRO-MALESE
			Pinang	Malacca	Singapore	Bintang	Bodjo	Sumatra	Banca	Pulo Loz	Labuan	Borneo	Java	Selebes	
32	elevatus, *n.*							I							
33	columnaris, *n.*							I							
	Argiope, AUD. in SAV.														
34	catenulata (*Dol.*)	I						I					I	I	
35	chelifera (*Van Hass.*)							I							
36	aemula (*Walck.*)	I						I			I		I	I	I
	Var. nigripes, *Thor.*													(I)	
37	*Mauritia (*Walck.*)	I						I							
38	versicolor (*Dol.*)							I				I	I		
39	Reinwardtii (*Dol.*)							I					I		I
	Var. Sumatrana, *Van Hass.*							(I)							
40	chloreis, *Thor.*													I	
41	pumila, *n.*							I							
	Herennia, THOR.														
42	multi-puncta (*Dol.*)			I				I					I	I	
	Gea, C. L. KOCH.														
43	*spinipes, *C. L. Koch*									I					
44	sub-armata, *n.*				I							I	I		
45	decorata, *n.*							I							
46	guttata, *n.*							I							
	Euetria, N.														
47	Moluccensis (*Dol.*)	I									I		I	I	I
48	Forbesii, *n.*							I							
49	salebrosa (*Thor.*)	I												I	I
	Cnodalia, N.														
50	harpax, *n.*							I							
	Epeira (WALCK.).														
51	goniaea, *Thor.*														I
	Var. virens, *n.*												(I)		
52	virguncula, *n.*							I							
53	caestata, *n.*							I							
54	de Haanii, *Dol.*							I				I		I	I
55	*Bogoriensis, *Dol.*												I		
56	*serrata, *Van Hass.*							I							
57	exanthematica, *Dol.*												I		I
58	diazoma, *n.*							I							

		Altre parti dell'ASIA; AFRICA, EUROPA	Sotto-Regione INDO-MALESE: Pinang	Malacca	Singapore	Bintang	Bodjo	Sumatra	Banca	Pulo Loz	Labuan	Borneo	Java	Selebes	Sotto-Regione AUSTRO-MALESE
59	origena, *n.*							I							
60	* Junghuhnii, *Dol.*												I		
61	prospiciens, *n.*							I							
62	soronis, *n.*							I							
63	hispida, *Dol.*													I	I
64	Pfeifferae, *Thor.*													I	
65	ferruginea, *Thor.*													I	
66	punctigera, *Dol.*	I						I				I	I	I	I
67	* pictithorax, *Van Hass.*						I	I							
68	pullata, *Thor.*							I						I	I
69	nox, *Sim.*							I						I	I
70	Theisii, *Walck.*	I			I			I					I	I	I
71	inusta, *L. Koch*							I							I
72	Enyoides, *Thor.*													I	
73	prasia, *n.*							I							
74	herbea, *n.*							I							
75	seriata, *Thor.*												I		
76	Laglaizei, *Sim.*														I
	Var. ecaudata, *n.*							I							
77	myura, *Thor.*													I	
78	longicauda, *Thor.*													I	
79	acropyga, *Thor.*													I	
80	oxyura, *Thor.*													I	
81	centrodes, *n.*							I							
82	spathulata, *n.*							I							
83	* citricola (*Forsk.*)	I												I	
84	anseripes, *Walck.*	I			I			I				I		I	I
85	bifida, *Dol.*														I
	Var. macrura, *Thor.*							I						I	(1)
86	* strangulata, *L. Koch*						I								I
87	caligata, *n.*							I							
	Milonia, N.														
88	* Singiformis (*Van Hass.*)							I							
89	* hexastigma (*Van Hass.*)							I							
90	brevipes, *n.*							I							
91	trifasciata, *n.*											I	I		
	Arachnura, VINS.														
92	digitata, *Thor.*													I	

		Altre parti dell'ASIA: AFRICA, EUROPA	Sotto-Regione INDO-MALESE												Sotto-Regione AUSTRO-MALESE
			Pinang	Malacca	Singapore	Bintang	Bodjo	Sumatra	Banca	Pulo Loz	Labuan	Borneo	Java	Selebes	
	Lipocrea, THOR.														
93	fusiformis (*Thor.*)													I	
94	tabida, *L. Koch*													I	I
	Nephilengys, L. KOCH.														
95	Malabarensis (*Walck.*)	I					I	I			I	I	I	I	I
	Var. annulipes, *n.*							(I)					(I)		
	Nephila (LEACH).														
96	maculata (*Fabr.*)	I			I			I			I	I	I	I	I
97	imperialis (*Dol.*)												I		I
98	Wallacei, *Thor.*													I	
99	* Piepersii, *Thor.*													I	
	Callinethis, N.														
100	fastigata, *Sim.*	I						I							
101	fastuosa (*Thor.*)													I	
102	elegans (*Thor.*)													I	
103	auro-cincta (*Thor.*)													I	I
	Argyroepeira, EM.														
104	Hasseltii, *n.*							I							
105	nigro-trivittata (*Dol.*)							I					I		
106	Celebesiana (*Walck.*)	I			I			I						I	I
107	granulata (*Walck.*)													I	I
108	argentina (*Van Hass.*)							I							
109	scalaris, *n.*							I							
110	stictopyga, *n.*							I							
111	gemmea (*Van Hass.*)							I							
112	striata (*Thor.*)		I					I						I	I
113	ventralis (*Thor.*)							I						I	
114	longula (*Thor.*)							I							I
115	pumila (*Thor.*)							I						I	
116	* (?) nigro-tarsalis (*Dol.*)												I		
117	* (?) Javensis (*Dol.*)												I		
	Orsinome, N.														
118	Vethii (*Van Hass.*)							I							
	TETRAGNATHOIDAE.														
	Tetragnatha (LATR.).														
119	gracilis (*Stol.*)	I												I	I
120	fronto, *n.*							I							

		Altre parti dell'ASIA; AFRICA, EUROPA	Sotto-Regione INDO-MALESE												Sotto-Regione AUSTRO-MALESE
			Pinang	Malacca	Singapore	Bintang	Bodjo	Sumatra	Banca	Pulo Loz	Labuan	Borneo	Java	Selebes	
121	pulchella, *Thor.*	....	..	..	..	..	..	I	..	..	..	..	...	I	
122	Hasseltii, *n.*	....	..	..	..	..	..	...	..	..	..	..	...	I	
123	minatoria, *Sim.*	I	..	..	..	..	..	I	..	..	..	..	...	I	I
124	mandibulata, *Walck.*	....	..	..	..	..	..	...	..	..	..	..	I	...	I
125	*flagellans, *Van Hass.*	....	..	..	..	..	..	I	..	..	..	..	...		
126	*Nepiformis, *Dol.*	....	..	..	..	..	..	...	..	..	..	..	I		
	Limoxera, N.														
127	gracillima, *n.*	....	..	..	..	..	..	I							
128	marginata, *n.*	....	..	..	..	..	..	I							
	Mitoscelis, N.														
129	aculeata, *n.*	....	..	..	..	..	..	...	..	..	..	..	I		
	Eucta, Sim.														
130	anguilla (*Thor.*)	....	..	..	..	..	..	...	..	..	..	..	...	I	
131	Javana, *n.*	....	..	..	..	..	..	...	..	..	..	..	I		
	ULOBOROIDAE.														
	Uloborus, Latr.														
132	zosis, *Walck.*	I	..	..	..	..	..	I	..	..	I	I	I	...	I
133	*humeralis, *Van Hass.*	....	..	..	..	..	..	I							
134	pinnipes, *Thor.*	....	..	..	..	..	..	...	..	..	..	..	...	I	
	RETITELARIAE.														
	THERIDIOIDAE.														
	Phoroncidia, Westw.														
135	aciculata, *Thor.*	....	..	..	..	..	..	...	..	..	..	..	...	I	
136	hexacantha, *n.*	....	..	..	..	..	..	I							
137	Lygaeana (*Walck.*)	....	..	..	..	..	..	I							
138	*(?) trigona (*Gieb.*)	....	..	..	..	..	..	...	..	..	..	..	I		
	Argyrodes, Sim.														
139	fissifrons, *Cambr.*	I	..	..	..	..	..	...	..	..	..	..	...	I	I
140	Sumatranus, *n.*	....	..	..	..	..	..	I							
141	*Sundaicus (*Dol.*)	....	..	..	..	..	..	...	..	..	..	..	I		
142	*delicatulus, *Thor.*	....	..	..	..	..	..	I	..	..	..	..	...	...	I
143	tenuis, *Thor.*	....	..	..	..	..	..	...	..	..	..	..	...	I	(I)
144	fragilis, *Thor.*	....	..	..	..	..	..	...	..	..	..	..	...	I	
	Ariamnes, Thor.														
145	*(?) setipes (*Van Hass.*)	....	..	..	..	..	..	I							
146	angulipalpis (*Thor.*)	....	..	..	..	..	..	...	..	..	..	..	...	I	

		Altre parti dell'ASIA; AFRICA, EUROPA	Sotto-Regione INDO-MALESE												Sotto-Regione AUSTRO-MALESE
			Pinang	Malacca	Singapore	Bintang	Bodjo	Sumatra	Banca	Pulo Loz	Labuan	Borneo	Java	Selebes	
	Linyphia (LATR.).														
147	Beccarii, *n.*							I							
148	phyllophora, *n.*							I							
	Thwaitesia, CAMBR.														
149	argentata, *n.*							I							
	Chrysso, CAMBR.														
150	(?) quadrata, *Cambr.*	I						I							
151	(?) alearia, *n.*												I		
	Theridium (WALCK.).														
152	*(?) plumipes, *Van Hass.*							I							
153	trigonicum, *n.*							I							
154	oxyurum, *n.*												I		
155	simplex, *Thor.*													I	
156	biseriatum, *n.*							I							
157	tepidariorum, *C. L. Koch*	I						I						I	I
158	amoenum, *Thor.*	I						I						I	I
159	rufipes, *Luc.*	I						I					I		
160	tubicolum, *Dol.*												I		I
161	zonulatum, *n.*							I							
162	atratum, *Thor.*													I	
163	decem-maculatum, *n.*							I							
164	Ludekingii, *n.*												I		
	Helvidia, N.														
165	scabricula, *n.*							I							
	Lasaeola, SIM.														
166	*Bodjensis, *Sim.*						I								
167	pulicaria, *n.*							I							
168	picta, *n.*							I							
	Stethopoma, N.														
169	cingulatum, *n.*							I					I		
	PHOLCOIDAE.														
	Pholcus, WALCK.														
170	*Sisyphoides, *Dol.*	I												I	I
171	*Phalangioides (*Fuessl.*)	I											I		
172	elongatus, *Vins.*							I						I	I
173	gracillimus, *n.*							I							

		Altre parti dell'ASIA: AFRICA, EUROPA	Sotto-Regione INDO-MALESE												Sotto-Regione AUSTRO-MALESE
			Pinang	Malacca	Singapore	Bintang	Bodjo	Sumatra	Banca	Pulo Loz	Labuan	Borneo	Java	Selebes	
	SCYTODOIDAE.														
	Scytodes (LATR.).														
174	marmorata, *L. Koch*	I	..	..	..	..	..	I	..	..	..	..	...	I	I
	Dictis, L. KOCH.														
175	*pallida (*Dol.*)	....	..	..	..	..	..	...	..	..	..	..	I	...	I
176	venusta, *n.*	....	..	..	..	..	..	I							
	PHAEDIMOIDAE.														
	Phaedima, THOR.														
177	picea, *n.*	....	..	..	..	..	..	I							
178	nigra, *n.*	....	..	..	..	..	..	I							
179	armata, *n.*	....	..	..	..	..	..	I							
	Perania, N.														
180	pallida, n.	....	..	..	..	..	..	I							
	TUBITELARIAE.														
	HERSILIOIDAE.														
	Hersilia, AUD. in SAV.														
181	Celebensis, *Thor.*	....	..	..	..	..	..	I	..	..	..	..	...	I	I
	Chalinura (DALM.).														
182	Sumatrana, *n.*	....	..	..	..	..	..	I							
	DICTYNOIDAE.														
	Badumna, N.														
183	hirsuta, *n.*	....	..	..	..	..	..	...	..	..	..	..	I		
184	(?) exilis, *n.*	....	..	..	..	..	..	...	..	..	..	..	I		
	ZODARIOIDAE.														
	Storena, WALCK.														
185	melanognatha, *Van Hass.* . .	....	..	..	..	..	..	I	..	..	..	..	I		
186	vittata, *n.*	....	..	..	..	..	..	I							
187	sobria, *n.*	....	..	..	..	..	..	I							
188	hilaris, *n.*	....	..	..	..	..	..	...	..	..	..	..	I		
	CYCAOIDAE.														
	Cycais, THOR.														
189	cylindrata, *Thor.*	....	..	.	..	..	..	I	..	..	..	..	...	I	
	DRASSOIDAE.														
	Oedignatha, THOR.														
190	scrobiculata, *Thor.*	....	I												

		Altre parti dell'ASIA: AFRICA, EUROPA	Sotto-Regione INDO-MALESE												Sotto-Regione AUSTRO-MALESE
			Pinang	Malacca	Singapore	Bintang	Bodjo	Sumatra	Banca	Pulo Loz	Labuan	Borneo	Java	Selebes	
	Corinnomma, KARSCH.														
191	moerens. *n.*							I							
192	severa (*Thor.*)													I	
	Agroeca, WESTR.														
193	inquinata, *n.*							I							
	Drassus (WALCK.).														
194	hamiger, *Thor.*													I	
195	brachythelis, *n.*							I							
196	russulus, *n.*												I		
197	(?) luctuosus. *Dol.*												I		
	Prosthesima, L. KOCH.														
198	Sarawakensis, *n.*											I			
	Astratea, N.														
199	insignis, *n.*							I							
	Eutittha, THOR.														
200	montana, *n.*							I							
201	longipes, *n.*							I							
	Clubiona (LATR.).														
202	melanosticta. *n.*							I							
203	versicolor, *n.*							I							
	Matidia, THOR.														
204	virens, *Thor.*													I	I
205	tenera, *n.*							I							
	DYSDEROIDAE.														
	Ariadne, AUD. in SAV.														
206	Snellemanii (*Van Hass.*)							I							
	Xestaspis, SIM.														
207	parmata, *n.*							I							
	TERRITELARIAE.														
	LIPHISTIOIDAE.														
	Liphistius, SCHIÖDTE.														
208	* desultor, *Schiödte*		I												
209	* Sumatranus, *n.*							I							

		Altre parti dell'ASIA; AFRICA, EUROPA	Sotto-Regione INDO-MALESE												Sotto-Regione AUSTRO-MALESE
			Pinang	Malacca	Singapore	Bintang	Bodjo	Sumatra	Banca	Pulo Loz	Labuan	Borneo	Java	Selebes	
	THERAPHOSOIDAE.														
	Selenocosmia, AUSS.														
210	Javanensis (*Walck.*)												I	I	
	Var. Sumatrana, *n.*							I							
211	Doriae, *n.*											I			
	Ischnocolus, AUSS.														
212	*inermis, *Auss.*							I					I		
	CTENIZOIDAE.														
	Conothele, THOR.														
213	Cambridgei, *n.*							I							
	Cyrtauchenius (THOR.).														
214	montanus, *n.*							I							
	Diplura (C. L. KOCH).														
215	maculata, *n.*												I		
	ATYPOIDAE SIVE CALOMMATOIDAE.														
	Atypus, LATR.														
216	Javanus, *n.*												I		
	Calommata, LUC.														
217	Sundaica (*Dol.*)												I		
	Var. Sumatrana, *Auss.*							I							
	LATERIGRADAE.														
	STEPHANOPOIDAE.														
	Regillus, CAMBR.														
218	cinerascens (*Dol.*)							I					I		
219	*vulcanicus (*Dol.*)												I		
	HETEROPODOIDAE.														
	Urgulania, N.														
220	Borneensis, *n.*							I				I			
	Heteropoda (LATR.).														
221	Boiei (*Dol.*)							I					I		
222	imbecilla, *n.*							I							
223	leptoscelis, *n.*							I							

		Altre parti dell'ASIA; AFRICA, EUROPA	Sotto-Regione INDO-MALESE												Sotto-Regione AUSTRO-MALESE
			Pinang	Malacca	Singapore	Bintang	Bodjo	Sumatra	Banca	Pulo Loz	Labuan	Borneo	Java	Selebes	
224	* mediocris, *Sim.*												I		I
225	venatoria (*Linn.*)	I			I			I		I	I	I	I	I	I
226	* erythrophthalma (*Gieb.*)												I		
227	thoracica (*C. L. Koch*)							I					I		I
228	bivittata, *Thor.*													I	
229	Sumatrana, *n.*							I							
	Var. montana, *n.*							(I)							
230	signata, *n.*							I							
231	obtusa, *n.*											I			
232	* crassa, *Sim.*												I		
	Panaretus, Sim.														
233	* Javanus, *Sim.*												I		
	Palystes, L. Koch.														
234	incanus, *n.*											I			
235	* Kochii, *Sim.*				I										
	Adrastis, Sim.														
236	* atomaria, *Sim.*												I		
	Sarotes (Sund.).														
237	Mygalinus (*Dol.*)											I			I
238	ornatus (*Thor.*)													I	
239	* (?) Diardii (*Dol.*)												I		
240	* (?) microphthalmus (*Gieb.*)												I		
	Thelcticopis, Karsch.														
241	orichalcea (*Sim.*)							I				I			
	Holconia, Thor.														
242	Beccarii, *n.*							I							
	Isopoda, L. Koch.														
243	* (?) testacea (*Dol.*)												I		
	Libania, n.														
244	scabricula, *n.*												I		
	Var. sulcata, *n.*							I				I			
245	laevis, *n.*							I							
246	annulata, *n.*							I							
247	armillata, *n.*							I							

		Altre parti dell'ASIA; AFRICA, EUROPA	Sotto-Regione INDO-MALESE												Sotto-Regione AUSTRO-MALESE
			Pinang	Malacca	Singapore	Bintang	Bodjo	Sumatra	Banca	Pulo Loz	Labuan	Borneo	Java	Selebes	
	Epidius, THOR.														
248	longipalpis, *Thor.*													I	
	Dolothymus, N.														
249	pallidus, *n.*							I							
	Angaeus, THOR.														
250	rhombifer, *n.*							I							
	THOMISOIDAE SIVE MISUMENOIDAE.														
	Misumeninae.														
	Loxobates, THOR.														
251	ephippiatus, *Thor.*													I	
	Musaeus, N.														
252	politus, *n.*							I							
	Thomisus (WALCK.).														
253	* (?) musculus, *Karsch*					I									
	Nyctimus, THOR.														
254	bistriatus, *Thor.*							I						I	
	Tmarus, SIM.														
255	eques, *n.*												I		
	Daradius, THOR.														
256	annulipes (*Thor.*)													I	
257	Javanus, *n.*												I		
258	bipunctatus (*Thor.*)													I	
259	perspicillatus, *n.*											I			
260	* (?) farinarius (*Walck.*)													I	
261	duriusculus (*Thor.*)													I	
	Runcinia, SIM.														
262	Kinbergii, *n.*												I		
263	disticta, *n.*												I		
	Botryogaster, DOL.														
264	* caerulescens, *Dol.*												I		
	Phrynarachne, THOR.														
265	* decipiens (*Forbes*)							I					I		
266	Ceylonica (*Cambr.*)	I										I			
267	* dissimilis (*Dol.*)												I		

		Altre parti dell'ASIA; AFRICA, EUROPA	Sotto-Regione INDO-MALESE												Sotto-Regione AUSTRO-MALESE
			Pinang	Malacca	Singapore	Bintang	Bodjo	Sumatra	Banca	Pulo Loz	Labuan	Borneo	Java	Selebes	
	Misumena (LATR.).														
268	flavens, *Thor.*													I	
269	hilaris, *Thor.*													I	
270	dierythra, *n.*				I										
	Diaea, THOR.														
271	nitida (*Thor.*)													I	
272	zonura, *n.*							I					I		
273	concinna, *Thor.*													I	
274	insignis, *Thor.*													I	
	Narcaeus, N.														
275	picinus, *n.*												I		
	Cerinius, THOR.														
276	fuscus, *Thor.*													I	
	Tharpyna, L. KOCH.														
277	varica, *n.*												I		
278	* striatipes (*Van Hass.*)							I							
279	* (?) stellifera (*Dol.*)												I		
	Platythomisus, DOL.														
280	* octo-maculatus (*C. L. Koch*)			I				I	I						
281	* quadri-maculatus (*Van Hass.*)							I							
	Hedana, L. KOCH.														
282	perspicax, *n.*							I							
283	ocellata, *n.*							I					I		
	Peltorhynchus, N.														
284	rostratus, *n.*												I		
	Microcyllus, N.														
285	elegans, *n.*							I							
286	nanus, *n.*												I		
	Zametopias, N.														
287	speculator, *n.*							I							
	Palaephatus, CAMBR.														
288	pseudorchestes, *n.*							I							

		Altre parti dell'ASIA; AFRICA, EUROPA	Sotto-Regione INDO-MALESE												Sotto-Regione AUSTRO-MALESE
			Pinang	Malacca	Singapore	Bintang	Bodjo	Sumatra	Banca	Pulo Loz	Labuan	Borneo	Java	Selebes	
	CITIGRADAE.														
	LYCOSOIDAE.														
	Cteninae.														
	Nydia, N.														
289	punctata, *n.*	....	..	..	..	..	..	I							
	Ctenus (WALCK.).														
290	valvularis (*Van Hass.*)	....	..	..	..	..	..	I							
291	pulvinatus, *n.*	....	..	..	..	..	..	...	..	..	..	I			
292	bicostatus, *n.*	....	..	..	..	..	..	...	..	..	..	I			
	Acanthoctenus, KEYS.														
293	dimidiatus, *n.*	....	..	..	..	..	..	I							
294	laetus, *n.*	....	..	..	..	..	..	...	..	..	..	I			
	Lycosinae.														
	Sphedanus, THOR.														
295	undatus, *Thor.*	....	..	..	..	..	..	...	..	..	..	..	..	I	
	Dendrolycosa (DOL.).														
296	longitarsis, *Thor.*	....	..	..	..	..	..	...	..	..	..	..	...	I	
	Var. fasciata, *Thor.*	....	..	..	..	..	..	...	..	..	..	..	...	(I)	
297	* fusca, *Dol.*	....	..	..	..	..	..	...	..	..	..	..	I	...	I
	Dolomedes (LATR.).														
298	lepidus, *n.*	....	..	..	..	..	..	I							
299	* albo-cinctus, *Dol.*	....	..	..	..	..	..	...	..	..	..	..	I		
300	* femoralis, *Van Hass.*	....	..	..	..	..	..	I							
301	* spathularis, *Van Hass.*	....	..	..	..	..	..	I							
	Trochosa, C. L. KOCH.														
302	inops, *n.*	....	..	..	..	..	..	I							
303	conspersa, *Thor.*	....	..	..	..	..	..	...	..	..	..	..	...	I	
304	* (?) Lebakensis (*Dol.*)	....	..	..	..	..	..	...	..	..	..	..	I		
	Tarentula (SUND.).														
305	* Boiei (*Dol.*)	....	..	..	..	..	..	...	..	..	..	..	I		
306	fragilis, *n.*	....	..	..	..	..	..	I							
	Lycosa (LATR.).														
307	pusiola, *n.*	....	..	..	..	..	..	I	..	..	..	I			
308	Sumatrana, *n.*	....	..	..	..	..	..	I							

		Altre parti dell'ASIA; AFRICA, EUROPA	Sotto-Regione INDO-MALESE												Sotto-Regione AUSTRO-MALESE
			Pinang	Malacca	Singapore	Bintang	Bodjo	Sumatra	Banca	Pulo Loz	Labuan	Borneo	Java	Selebes	
309	Pinangensis, *n.*		I												
310	vagula, *n.*							I					I		
311	rabulana, *n.*							I							
312	ipnochoera, *n.*							I							
	Lycosella, N.														
313	tenera, *n.*							I							
314	minuta, *n.*							I							
	Artoria, THOR.														
315	parvula, *Thor.*													I	
	Passiena, N.														
316	spinicrus, *n.*		I												
	OXYOPOIDAE.														
	Oxyopes (LATR.).														
317	taeniatus, *Thor.*							I					I	I	
318	lineatipes (*C. L. Koch*)				I			I				I	I		
319	Javanus, *n.*		I					I					I		
320	annulipes, *n.*							I							
321	providens, *n.*							I							
322	setipes, *n.*											I			
323	obtusus, *n.*							I							
324	fronto, *n.*							I							
325	latifrons, *n.*							I							
326	* signifer (*Dol.*)												I		
327	* micans (*Sim*).						I								
	SALTIGRADAE.														
	ATTOIDAE SIVE SALTICOIDAE.														
	Synemosyna (HENTZ).														
328	clavigera, *Thor.*													I	
329	debilis, *n.*												I		
330	rufescens, *Thor.*													I	
331	nitidissima, *Thor.*													I	
332	nigra, *Thor.*													I	
333	moesta, *Thor.*													I	
	Toxeus, C. L. KOCH.														
334	procerus, *Thor.*													I	
335	* maxillosus, *C. L. Koch.*												I		

		Altre parti dell'ASIA; AFRICA, EUROPA	Sotto-Regione INDO-MALESE												Sotto-Regione AUSTRO-MALESE
			Pinang	Malacca	Singapore	Bintang	Bodjo	Sumatra	Banca	Pulo Loz	Labuan	Borneo	Java	Selebes	
	Janigena, Karsch.														
336	melanocephala (*C. L. Koch*)					I		I							
	Salticus (Latr.).														
337	formosus, *n.*							I							
338	pectorosus, *n.*							I							
	Var. sternodes, *n.*							(I)							
339	alticeps, *n.*												I		
340	leptognathus, *n.*												I		
341	* contractus, *Karsch*	I				I									
342	angustus, *Thor.*													I	
	Agorius, Thor.														
343	gracilipes, *Thor.*													I	
	Chalcolecta, Sim.														
344	* (?) amplectens (*Dol.*)												I		
345	* (?) zosterifera (*Dol.*)												I		
	Rhomochirus, n.														
346	* similis (*Van Hass.*)							I							
	Harmochirus, Sim.														
347	nervosus, *n.*							I							
348	brachiatus (*Thor.*)													I	
	Bianor, Peckh.														
349	leucostictus, *n.*							I							
350	balius, *n.*							I							
351	incitatus, *n.*							I					I		
	Homalattus, White.														
352	latidens (*Dol.*)												I		
353	mordax, *n.*												I		
354	* saevus (*Gieb.*)												I		
355	bufo (*Dol.*)							I							I
356	* albiger (*C. L. Koch*)					I									
357	* flaviger (*C. L. Koch*)					I									
358	nobilis, *n.*													I	
359	margarops, *Thor.*													I	
	Var. nebulosus, *Thor.*													(I)	
360	hirsutus, *Thor.*													I	
361	* nigritus (*C. L. Koch*)					I									

		Altre parti dell'ASIA: AFRICA, EUROPA	Sotto-Regione INDO-MALESE												Sotto-Regione AUSTRO-MALESE
			Pinang	Malacca	Singapore	Bintang	Bodjo	Sumatra	Banca	Pulo Loz	Labuan	Borneo	Java	Selebes	
	Ciris, C. L. Koch.														
362	*rotundata, *C. L. Koch*					I									
363	relucens, *Thor.*													I	
	Marptusa, Thor.														
364	nannodes, *n.*							I							
365	sex-punctata (*Dol.*)							I							I
366	*aericeps (*Sim.*)							I							
367	hians, *n.*							I							
368	decorata, *n.*							I							
369	*(?) opaciceps (*Sim.*)						I								
370	demissa, *n.*							I							
371	oppressa *n.*							I							
372	humilis, *Thor.*													I	
373	formosissima, *n.*											I			
374	*pulcherrima (*C. L. Koch*)									I					
375	*(?) rufo-fasciata (*Dol.*)												I		
	Tapinattus, n.														
376	melanognathus (*Luc.*)	I				I		I				I	I		I
	Epocilla, n.														
377	praetextata, *n.*												I		
	Chrysilla, n.														
378	delicata, *n*							I							
379	debilis, *n.*							I							
380	Doriae, *n.*							I							
381	*(?) versicolor (*C. L. Koch*).					I							I		
	Maevia, C. L. Koch.														
382	*(?) capistrata, *C. L. Koch*					I									
383	*(?) flavo-cincta, *C. L. Koch*					I									
384	*picta, *C. L. Koch*					I									
385	*(?) paulla, *C. L. Koch.*					I									
386	*(?) micans, *C. L. Koch*					I									
387	glaucochira, *n.*							I							
388	mundula, *Thor.*													I	
389	*(?) quadri-lineata, *Van Hass.*							I							
390	*albo-zonata, *Van Hass.*							I							
391	*(?) pavo, *Dol.*												I		
392	*(?) auricapilla (*Dol.*)												I		
393	*(?) atricapilla (*Dol.*)												I		

		Altre parti dell'ASIA; AFRICA, EUROPA	Sotto-Regione INDO-MALESE												Sotto-Regione AUSTRO-MALESE
			Pinang	Malacca	Singapore	Bintang	Bodjo	Sumatra	Banca	Pulo Loz	Labuan	Borneo	Java	Selebes	
394	latruncula, *Thor.*													I	
395	thalassina (*C. L. Koch*)					I							I		I
396	viridi-fasciata (*Dol.*)			I							I				I
397	gemmans, *n.*							I							
398	ombria, *Thor.*							I						I	
399	Marxii, *n.*												I		
400	vittata (*C. L. Koch*)		I		I	I									
401	* trochilus (*Dol.*)												I		
402	albo-cincta (*Thor.*)													I	
403	cypria, *n.*												I		
404	laticlavia, *n.*							I							
405	* (?) Collingwoodii (*Cambr.*)										I				
406	* (?) rhinoceros, *Van Hass.*													I	
	Gelotia, N.														
407	frenata, *n.*							I							
408	(?) bimaculata, *n.*											I			
	Linus, PECKH.														
409	fimbriatus (*Dol.*)							I							I
410	* (?) dentipalpis, *n.*							I							
	Cocalus, C. L. KOCH.														
411	* concolor, *C. L. Koch*					I									
412	salax, *Thor.*													I	
413	ramipalpis, *n.*							I							
	Euophrys (C. L. KOCH)														
414	Giebelii, *n.*												I		
	Orcevia, N.														
415	Keyserlingii, *n.*							I							
416	eucola, *n.*							I							
	Plexippus (C. L. KOCH).														
417	Paykullii (*Aud.* in *Sav.*)	I						I				I	I		I
418	culicivorus (*Dol.*)							I					I	I	I
419	gausapatus, *n.*							I							
420	* (?) erythrocephalus, *C. L. Koch*												I		
421	* (?) hepaticus, *C. L. Koch*									I					
422	* (?) nigrifrons, *C. L. Koch*					I									
423	* (?) calcaratus, *Karsch*													I	

		Altre parti dell'ASIA: AFRICA, EUROPA	Sotto-Regione INDO-MALESE: Pinang	Malacca	Singapore	Bintang	Bodjo	Sumatra	Banca	Pulo Loz	Labuan	Borneo	Java	Selebes	Sotto-Regione AUSTRO-MALESE
	Bootes, Peckh.														
424	ephippiger (*Sim.*)						I	I							
425	nigripalpis (*Thor.*)													I	
	Hyllus (C. L. Koch).														
426	giganteus, *C. L. Koch*												I	I	
	Var. Whitei, *Thor.*													(I)	
427	Walckenaerii (*White*)													I	
428	mutillarius (*C. L. Koch*)					I							I		
429	* ceratodes (*Van Hass.*)							I							
430	lacertosus (*C. L. Koch*)					I							I		
	Var. Borneensis, *n.*											I			
431	* (?) ianthinus (*C. L. Koch*)					I								I	I
	* Var. succinctus (*C. L. Koch*)					(I)							I		
432	* (?) alternans, *C. L. Koch*									I					
433	* (?) cephalotes (*Dol.*)												I		
434	* (?) Rosenbergii, *Van Hass.*													I	
	Thyene, Sim.														
435	imperialis (*W. Rossi*)	I											I		
	Viciria, Thor.														
436	Pavesii, *Thor.*													I	
437	Hasseltii, *Thor.*													I	I
438	albo-limbata, *Sim.*							I							
439	terebrifera, *n.*							I							
440	pallens, *Thor.*													I	
441	* (?) flavo-bilineata (*Dol.*)												I		
	Bathippus, n.														
442	macilentus, *n.*							I							
	Pseudamycus, Sim.														
443	* albo-maculatus (*Van Hass.*)							I							
	Carrhotus, n.														
444	viduus (*C. L. Koch*)					I							I		
	Bindax, n.														
445	chalcocephalus (*Thor.*)													I	

		Altre parti dell'ASIA; AFRICA, EUROPA	Sotto-Regione INDO-MALESE												Sotto-Regione AUSTRO-MALESE
			Pinang	Malacca	Singapore	Bintang	Bodjo	Sumatra	Banca	Pulo Loz	Labuan	Borneo	Java	Selebes	
	Hasarius (Sim.).														
446	scylax, *n.*							I							
447	validus (*Thor.*)													I	
448	Simonis, *n.*				I			I							
449	Workmanii, *n.*							I							
450	Adansonii (*Aud.* in *Sav.*)	I									I		I	I	
451	sannio, *Thor.*													I	
452	*coronatus, *Sim.*							I							
453	testaceus (*Thor.*)													I	
454	ensifer (*Thor.*)							I						I	I
455	coprea, *n.*							I							
456	sobarus, *n.*							I							
457	dispalans, *n.*												I		
458	trivialis (*Thor.*)													I	
459	McCookii, *n.*												I		
460	*(?) Weyersii (*Sim.*)							I							
461	*(?) ruficapillus (*Dol.*)												I		
	Nicylla, n.														
462	Sundevallii, *n.*							I							
	Totale	36	7	6	14	23	8	230	1	5	9	40	130	128	60

INDICE ALFABETICO

DEI GENERI E DELLE SPECIE DESCRITTI O CITATI NELLA PARTE IV, VOL. I E II

*

INDICE

ERRATA


Vol. I.

Pag.	12	lin.	8	pro	*Pistius*	leg. *Daradius*
»	17	»	30	»	*Ornithoscatoides*	» *Phrynarachne*
»	23	»	30	»	*Menemerus?*	» *Plexippus*
»	34	»	51	»	»	» »
»	35	»	12	»	= *Rhombonotus*	» = *Rhomochirus*

Vol. II.

Pag. 230 lin. 11 pro Longitudo diversa leg. Longitudinem diversam

Prezzo del presente Volume L.it. 20.


3 2044 106 260 078

